A
18-357

6. 14-38

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 18
Tabla
Número 357

N° 1
11.357

i 1850899

Bibliotth. Collegij Granaten. Societ. Jesu
R. 8349
B.l
(1)

BEATI

ANDREÆ AVELLINI

Clerici Regularis

Neapolis, & Panormi Patroni

Vita.


A FRANCISCO BOLVITO

Neapolitano Clerico Regulari

Tribus Libris conscripta

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Neapoli Apud Lazarum Scorrigium
Anno Sacro. M. DC. XXV.



ILLVSTRISSIMIS NOBILIVM ORDINIBVS,

Ac Fidelissimo Populo, Ciuitatis Neapolis.

FRANCISCVS BOLVITVS
CLERICVS REGVLARIS S. P. S.

COLLEGI vnum velut in fascem B. Andreæ Auellini gesta: inque eius virtutes ac miracula, indiculum digessi. Hũc verò alteri, quàm Vobis offerendi, Illustrissimi Ordd. Fidelissime Pop. nec potestas adest, nec voluntas. Abest certè illa. Hac etenim opella ceu rediuiuus Andreas, sponte sua ad vos venit, qui viuẽs Vester fuit. Sexaginta siquidem ferè annorum spatio Ciuitatem ipse Vestram incolens, Vobis indefesso semper animo laborauit. Vobis sudorem, & sanguinem fudit.

Veſtros calles aſsiduo calcatu in animarum ſalutem protriuit. Vtque ſemel dicam; tot ingentium ac mirabilium à ſe patratorum, perpetuum ferè theatrum, nobiliſsimũ hoc Neapolitanum. Vobis tandem occubuit: quos fędere patrocinij ſempiterno, beato ſui pignore voluit fœderatos. Cũ ſplendeſcat nunc inter Cęli accolas radiatus, fulgeantq; eius o culi abſterſa mortalitatis lacrima Dei intuitu felicisſimi; auet ille, imò ambit videri Vobis à iuſto meritorum arbitro, pro tot laboribus, non accepiſſe periturum peritura; ſed æternatum æterna. Et exemplo ſui, notos & amicos ac vniuerſim cunctos (vix enim paucos reor inueniri, quibus non vel de facie cognitus) ad vitutem allicere. Quis venientẽ ad Vos detineat, currentem remoretur? At neque ſi poſſem ego vellem. In tot quippe beneficiorum teſtamen ad æternitatem famæ conſpirantium, quibus occaſione Andreani relatus in Beatorum cenſum, à Vobis ſumus cumulati, grandius aut melius quod offeramus non habemus, quàm Andream ipſum. Peculiare huic fuit, præter ea, quæ cum alijs habet communia qui indeflexili Apoſtolicæ

Sedis

Sedis iùdicio, Beatitudinis honores sunt consecuti; quòd palmam breuiore cursu fuit assecutus. In illis siquidem habuit moras suas dispartitis gradibus matura cunctatio, in hoc celeritas festinationem, festinatio velocitatem. Quod, vt Pontificis Summi, quem Deus diu Ecclesiæ suæ seruet incolumem, factum magnificentia & benignitate, admirabundi prædicamus: sic sollicita Vestra munificentia & pietate, gratabundi laudamus. Multos præterea annos sepulchrum eius publicè venerati: ne cogitantibus quidem nobis, Patronum eum ac Tutelarem Vrbi Vestræ asciuistis. Sed vota nostra nequaquam fatigastis: quin obuia & propera liberalitate præueneristis ea, proni beneficia in nos effundere vtraque manu: ac soliti non præstita, sed præstanda computare. Renouatis itaque semper gaudia, redintegratis lætitiam. Sed nullam datis gratitudinis requiem in vetere beneficio; quia adiungitis illicò nouum. Vt oculi in quos subita & valida lux venit, conniuent & clauduntur: sic nobis pectus in larga Vestra humanitate perfusum & confusum. Fateremur interea, qui immunes sumus in vos adeo munes, esse

nos in Veſtro ære: vtque boni debitores, dilata ſolutione, confeſsionem offerremus; & debere nos ac debituros hac veluti ſyngrapha conſignaremus, ſi beneficium, mutuum reposceret: Sed mutuum reſpuit, cùm ſit maieſtate ſua præcellens. Nihil itaque nobis reliquum, niſi vt hunc ipſum Patronum Veſtrũ hiſce pagellis deſcriptum Vobis reddamus: ipſumq; in cœlis regnantem precabundi pro Vobis interpellemus: pharum & lucentem ignem in fluctuante iſto mari: Solem tempeſtiuis imbribus aridam hanc tellurem irroraturum. Quod calidè cuncti facimus & ex animo. E Domo noſtra Sanctorum Apoſtolorum. Kalendis Decembribus Anni Sacri M. DC. XXV.

D. VIN:

D. VINCENTIVS GILIBERTVS

Congreg. Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

CVm libros tres P. D. Franciſci Boluiti noſtræ Religionis Sacerdotis, DE VITA B. ANDREÆ AVELLINI eiuſdem Religionis; aliquot ex noſtris Theologis, quibus id commiſimus, diligenter examinauerint, & in lucem edi poſſe affirmauerint: Nos quoque, vt in lucem edantur, facultatem concedimus: modò ij annuant, ad quos pertinet. In quorum fidem has præſentes dedimus manu noſtra ſubſcriptas, ſolitoq; noſtro ſigillo munitas. Romæ die 3. Maij 1625.

D. Vincentius Gilibertus Præpoſitus Generalis.

† Locus ſigilli

SYLLABVS CAPITVM.

LIBRI PRIMI CAPITA.

I. ANdreæ ortus, educatio, & prima erumpentis virtutis germina. fol. 1

II. Clericali militiæ ascribitur: & puerorum catechismo vacat. fol. 5

III. Insidiæ in caput ipsius. Accessus ad Neapolitanam Ciuitatem. Virginitatis, & Legum laurea. 7

IV. Sacerdotio initiatur. Petro Foscareno Clerico Regulari necessitudine iungitur, cuius exemplo mirificè proficit. 9

V. Qualem & quantum virum sibi elegerit spiritus sui Ducem. 12

VI. Fori detestandi occasio. 18

VII. Ob sacrarum Virginum tutelam, ter in facie crudeliter sauciatur. 19

VIII. In clericorum Regularium Religione, solemnia vota Deo nuncupat. 24

IX. Vrbis loca sancta veneratur. Ieremiam Isachinum, Bernardinum Cardinalem Tranensem, & Paulũ IV. P.O.M. Clericos Regulares admiratur. 28

X. Iacobum Molanum in extremo conflictu contra Dæmonem suis precibus iuuat. 33

XI. Nouitijs instruendis præficitur. 36

XII. Obitus Magistri sui Marinonij. Hispanica profectio tentata. 37

XIII. Neapolitanæ Domus Præpositus creatur. Venatus insignem peccatorem, noctu à Dæmonibus vexatur. 41

XIV. Mediolanensem Domum à S. Carolo erectam incolit. 45

XV. Acta eius in Placentina Ciuitate: & obsequia in Farnesios. 48

XVI. Lom-

XVI. *Lombardiæ Prouinciam lustrat. Ab equo raptatur inofensus.* 55
XVII. *Scrupulis angitur suæ salutis; & Baptistam Vernaciam consulit.* 56
XVIII. *Io. Francisco Solario se tradit regendum.* 60
XIX. *Mediolanensem Domum moderatur, egregio S. Caroli testimonio decoratus.* 62
XX. *Christi humanitas illi se inter mirificum splendorem obijcit. Placentiam reuertitur. Solarij animam eælum petiisse attestatur.* 66
XXI. *Neapolim reuersus, secundò Neapolitanam domum regit.* 69
XXII. *Tumultuata plebe, Neapolitanæ Ciuitatis periclitantem quietem fulcit.* 72
XXIII. *Romanæ, & Neapolitanæ Prouinciæ Visitator.* 75
XXIV. *Aegrescens periculosè, sanatur mirè. Viceprepositus Neapolitanus.* 80
XXV. *Sanctorum Augustini, Dominici, ac Thomæ Aquinatis in ipsum tutela.* 83
XXVI. *Reliqua eius vita vsque ad mortem; & huius vicinæ prædictiones.* 87
XXVII. *Superato humani generis hoste, sanctissimè moritur.* 91
XXVIII. *Admiranda, eius sepulturam consequuta, sanguinis præsertim è cadauere emanatio.* 97
XXIX. *Andreæ facies exterior.* 103

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Qui est, De Virtutibus.

I. *ANdreæ Prudentia.* 105
II. *Spirituum discretio.* 112
III. *Abstinentia.* 117
IV. *Patientia.* 123
V. *Comitas, & Mansuetudo.* 128

VI. Hu-

VI. *Humilitas.* 134
VII. *Pauor.* 142
VIII. *Paupertas.* 145
IX. *Castimonia.* 250
X. *Obedientia.* 153
XI. *Orationis studium, & efficacia.* 154
XII. *Prophetiæ donum.* 166
XIII. *Absentium, & arcanorum cordis introspectio.* 174
XIV. *Regularis disciplinæ zelus.* 180
XV. *Potestas in Dæmones.* 186
XVI. *Religio.* 190
XVII. *Zelus salutis animarũ, & charitas in proximos.* 197

LIBRI TERTII CAPITA.
Qui est, De Miraculis, & Apparitionibus.

I. Languor varius in Principe fœmina curatus. 208
II. Ab oculo laborans, doloris fit expers. *ibid.*
III. Succurrit Patriæ incendio penè extinctæ. 209
IV. Apoplecticæ, & septuagenariæ restituitur salus, protenditur vita. 211
V. Ferocientem, ac fugientem equum suo baculo compescit. Vẽtorũ vim elusis nautis suo arbitratu dirigit. 212
VI. Pluuio cœlo minimè irroratur, & superno tunc fulgore illustratur. 213
VII. Medici casum, verbo medicatur. In periculoso itinere, socius cuius subijt tergum, eius sarcinam non sentit. 217
VIII. In partu, & à partu liberatæ, alijsque languoribus aliæ. 219

Mira-

MIRACVLA POST MORTEM.

IX. Naufragio erepti. 221
X. Biennis puer ad vitam reuocatur. 222
XI. Mirus, & varius morbus in Virgine Religiosa abducitur, & inducitur. 224
XII. Claudicans corrigitur. Lateris costæ suo loco restituuntur. 227
XIII. Infans cæcus lumen recipit: Auditum surdus. 228
XIV. Multiplex sanitas adolescentulæ variis morbis confectæ. 229
XV. Tibiæ fœdum vlcus sanatur. 232
XVI. Pueri pro mortuis reputati, spiritu, & vitâ recipiunt. 233
XVII. Quidâ à cædis cõsilio, bina B. apparitione liberatur. 234
XVIII. Furiosus menti restituitur. Casu & ruina quidam liberatur. 235
XIX. Puelli claudicantes explicatis gressibus erecti. 236
XX. Angina, exanthemata, & cephalalgia curata. 237
XXI. Malus Genius, iniusto suo domicilio exturbatur. Gutturis tumor æquatur. 239
XXII. Obiecto cuidam viso, educit ex eo Beatus scelus quadriennali obliuione consepultum. 240
XXIII. Serici, & auri admirabile incrementum, exornandæ Beati Imagini. 242
XXIV. Carneæ glandes, & floccus oculi auferuntur. 243
XXV. Plures desperatis morbis ereptæ. 244
XXVI. Alij à scelere patrando reuocati. 247
XXVII. Multa multis, per B. vestes, collata beneficia. 248
XXVIII. Calceo varij languores curantur, & eius solea atrociores. 250
XXIX. Morborum animi medela. 251
XXX. Salutares aliquot Beati apparitiones. 253
XXXI. De duracino Persico Beati manu plantato. 258

Odor

SYLLABVS CAPITVM.

XXXII. *Odor, Splendor, Motus, & Sudor in Beati Imaginibus.* 260

XXXIII. *Beati capillis prona, & prompta beneficia.* 263

XXXIV. *Insignis Arthritici, & Loripedis sanatio.* 267

XXXV. *Crebra item alia, & certa varij generis miracula.* 270

XXXVI. *De Beati sanguine mirabilium instrumento admirabili.* 274

XXXVII. *Andreæ gloria cœlitus manifestatur.* 281

XXXVIII. *Deus ipse, eiusque Parens Virgo, Andreæ apud se potentiam mortalibus propalant.* 285

XXXIX. *Fama sanctitatis Beati, eiusque sepulchri veneratio.* 287

XL. *Relatio eius in Beatorum Catalogum.* 290

XLI. *Asciscitur Panormitanæ Vrbis protector.* 295

XLII. *Eum sibi Neapolitana Ciuitas in Patronum adoptat.* 298

FINIS.



Inclina Deus meus aurem tuam, et audi: aperi oculos tuos, et vide Ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Dan. ix.

B. ANDREAS CLER. REG. CIVITATIS NEAPOLITANÆ PROTECTOR ET PRON.

N. enrey. fec.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA



DE VITA
B. ANDREAE AVELLINI
CLERICI REGVLARIS,
NEAPOLITANAE, AC PANORMITANAE
Ciuitatis Patroni.

Liber Primus.

ANDREAE ORTVS, EDVCATIO, & prima erumpentis virtutis germina.

CAPVT I.



OBORATRIX Christi pugilum Roma, arcem adhuc non suspexerat, quam diuino planè nutu, B.P.N. Caietanus Thienęus illic erat moliturus; nouam scilicet, & omnium primã Regularium Clericorum Religionem: cùm, in ea Regni Neapolitani Prouincia, quæ Lucania dicitur, eiusque Oppido præcipuo, cui nomen Castro nouo; eiusce molis architectus Deus, lapidem expoliebat prægrandem, ornamento illi futurum & munimento. Is fuit Andreas Auellinus in lucem editus Mundi reparati anno Millesimo quingentesimo vigesimo; cùm Petri nauiculam regeret Leo decimus, rerumque potiretur Carolus V. Cæsar Hispaniarum Rex. Hoc est, quadriennio antequàm ex Apostolica facultate, intra cęterorum Religiosorum Ordinum numerum, infimus quoque hic Noster adscriberetur; & in quem, ipse posteà, labente anno Quinquagesimo sexto eiusdem sæculi fuit ascitus. Molis ex-

 truen-

truendæ, finis ; extructæ, fructus ; fuit rebellem sæculi illius malitiam, in omnem sese nequitiam effundentem compescere ; & futuri bono, gentem ibi cogere ; indole, pronam institutione, vtilem bello. Id verò ausu magnanimo aggressus, cùm ijs numeris fuit adscriptus ; egregiè prçstitit Andreas, & robustè, in sexagintannali militia sua annos non plus è fastis, quàm è stipendijs suis annumerans : præstitit, inquam; cùm alibi, tùm in hac prçcipuè Neapolitana Ciuitate, vbi olim Deo consecratus, & octauo voluentis sæculi anno penè nonagenarius, vita functus. Huic porrò perpetuum ipse præsidium & subsidium : vt anteuertisse visus sit, quam nunc ipsa illi reddit cumulatè obsequij munificentiam, publica annua veneratione cum cereorum & argentei calicis oblatione, eiusque inter Tutelares Patronos suos adscriptione. Sed hæc, nequaquàm prætereunte manu tangenda ; nos hisce libris imus narratum, quos de eius vita, virtutibus, & miraculis, Christo duce & comite, bonorum omnium fonte conscribimus ; stylo sincero, mente candida : non ex incerta vulgi fama, sed ex iuratis in Canonizationis processu testibus, cçterisque publicæ fidei monumentis, atque ex opusculorum ipsius autographis. Opportunum scriptionis tempus ; cùm Apostolicç Sedis iudicio, sextodecimo ab eius in paradisum transitu anno ; festinante in Iusti sui mercedem, Dominica benedictione ; Beatus dictus est, & Sacra illi, in Templis nostris instituta, dignusque habitus, qui in Sanctorum Catalogum Pontificio canonismo referri possit.

Igitur Andreç natale solum, vt diximus, Castrum fuit nouum ; ex Patre Ioanne Auellino, Matre Margarita Apella : vbi salutari quoque lauacro regeneratus, & in censum filiorum Dei relatus, Lancellotti nomen accepit. Inter ipsas cunas, crepundia & vnguiculos ; crepuscula illuxisse sanctioris vitç, ex eo liquet ; quòd semel edoctus, Redemptionis nostrç signo se munire, illud spontè sua ac nullo impel-

impellente ſæpiuſculè frequentabat. Infantilibus excuſſis faſcijs, & in grandiorem adſpiranti ætatem, non alia fuere chariora, quàm precum recitatio, Roſarij meditatio, Eccleſiarum viſitatio: matre non ſuadente ſolùm, verùm & admirante, fœmina in primis piiſsima; & Auunculo docente illius tunc oppidi Archipresbytero; à quo hauſta quoque fidei noſtræ rudimenta, ipſe cęteris pueris, imitata Magiſtri perſona & grauitate tradebat. Hic flos pręcurſor micantis indolis. Prima Grammaticæ initia in patrio didicit ſolo. Tùm in politiori literatura erudiendus, Seniſium mittitur, quod erat Caſtro-nouo conterminum. Et ſi verò id genus adoleſcentum, tantùm vt literarum phaleris inſigniti euadant, omnem nauant operam; paucam aut fortè nullam, vt per ſtudia literarum Dei metuentiores fiant; Lancellottus tamen vtrique rei vacans, vtramque feliciter eſt aſſecutus: & literas admittens, quæ ingenium excolerent; & virtutes, quæ probitatis pallio internè eum amicirent.

Et primum quidem bonæ mentis indicium, in ipſo adoleſcentiæ vere tunc dedit, cùm veternoſus humani generis hoſtis, ſuis laqueis, pedicis, viſcatisque viminibus eum detinere conabatur. Erat Lancellottus inſigni prædituſ forma, quam præcipuè oculi venuſtabant: his muliercula, neſcio quæ, perditè capta, primùm pectoris eius robur, crebra munuſculorum miſsitatione euirare contendit: ſed incaſſum; ea etenim omnia, tanquam fœdi amoris illicia, conſtanter ille reſpuebat: poſt, dimoto ſipario, per ſui amoris conſciam, palàm illi aperit, ſauciatam ſe maximè potentiſsimis oculorum ipſius telis, ad amorem & amplexum illius exardeſcere. Ad hanc vocem conterritus & exanimatus adoleſcens; ſpiritu poſteà recepto viriliter reſpondens; *Abi, denuntia fœminæ*, inquit, *meis verbis, & hos ipſos meos oculos, quos illa deperit, nõ aliorum, ſed hiſce meis manibus mihi eruturum, ſi Deus ipſe ratum habebit, ne cui offendendi Diui-*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

ni Numinis anſam præbeam : diſcat porrò hinc, multò minus me ob volaticam voluptatem, virginitatis meæ decorem polluturum : diſcat, & reſipiſcat. Perculſa reſponſo fœmina, & ſi planè non reſipuit, ab ipſo tamen tentando deſtitit.

Ex hac velitatione gloriosè victori; nouæ paratæ ſunt inſidiæ, eò periculoſiores, quò & ipſe iam ſanguine calentior (ſextum enim decimum annum exceſſerat) & ab intimiore hoſte ac propiore. Remeantem ex Oppido Seniſij, excepere agnati omnes ac domeſtica familia cum gaudio; inter quos & eius quondam nutrix. Huius pectus, ipſo viſo, ſemel afflatum, ita æſtuare cæpit, vt flammam conſopire deſperaret, donec potiretur eius quod cõcupiſcebat: æſtuãtem animum; intra verecundiæ carceres, reuerentia illa quaſi materna cöercebat: vicit tamen libido; & protritus pudor, non fuit veritus ſuadere, cominùs adoleſcentem aggredienduum. Itaque ſumma nocte, poſt cœnam, & cùm ille labefactis veſtigijs, ad proximum cubiculum ſe recepit: vbi adductò oſtiolo validèque obſerato, nudusque ſuper nudam humum ſtratus, noctem totam lacrimarum imbre perfuſus orando tranſegit, gratias Deo agens, quòd à ſtimulis libidinoſæ furiæ, intactum eum ſeruaſſet, ſeruentibusque deprecatus

BIBLIOTECA DE CATALUNYA

tus precibus,ne vllo se vnquàm expugnari permitteret amore vesano. Bina ergo Cupidinis tela ictu irrito, in adolescentem Lancellottum in patrio adhuc lare degentem conscentem Lancellottum in patrio adhuc lare degentem contorta fuere.

CLERICALI MILITIAE ASCRIBITVR, & puerorum catechismo vacat.

CAPVT II.

INdictum sibi bellum à Diabolo eius castitatem expugnare satagente, iterato periculo, manifestè didicerat. Vnde ipse quoque in inimicum armatus, decreuit haud segniter sibi dormitandum, sed vigili semper cura resistendum & insudandum. Vt autem validiùs pro castitate propugnaret; abiecto sęculari, Clericalis militię cingulum induit. Induti, publicum voluit extare testimonium, die sacri census in pariete ędis sacrę, sua manu descripto; vnde tanquàm ex edito loco, hostem prouocaret ad pugnam: ac item perpetuum: concidit enim, temporis lapsu ędicula; non illa parietis pars,in qua illud exaratum.

Irarum porrò, haud multum visum fuisset, si vnus ipse contra hostem insurgeret: quare machinatur alios quoque contra inimicum excire, atque ad defectionem sollicitare. Vidit certè rudi illo sęculo, homines permultos, interque eos etiam senio fere confectos; quà malitia,quà inscitia,eorũ ignoratione teneri,quorum scientia necessaria est ad salutem: & indoluit maximè. Inueterato morbo, sera medicina, exiguę vtilitati futura sperabatur. Illud supererat spei pręcauendis futuris morbis; si tenera puerorum corpuscula condecorare quis potuisset bona mente; mentem in superventuros annos roborare,contra lubricum ętatis,obuios errores, fraudulentas insidias, imminentia pericula: ipse hoc sibi, Diuina pręeunte gratia,assumpsit: formandi scilicet in-

genia

genia puerorum ad virtutem, ne vitijs informarentur, seu potiùs deformarentur. Obseruat ergo, in tractu illo multa esse Castro-nouo contermina Oppida & Vicos; in quorum vnoquoque vel saltem frequentioribus, si schola erigeretur cathechistica, magna fieret militantium Christo Domino accessio, ad cuius postea castra, multi Diaboli transfugę possent transire. Ergo primùm in Oppido cui nomen Rocca-noua, catechismum ipse docere cępit hac lege. Quotidię, summo mane aduocabantur pueri in certum locum; ibi vnius horę, spatio, fidei rudimenta discebant; inde ad Ecclesiam conueniebant; Numen precibus adorabant, Sacro aderant, tùm abibant. Occiduo sole repetebatur instructio, & Litanię B. Virginis recitabantur. Festo die, prçter hæc, & sermunculum manè audiebant, quo Fidei capita declarabantur, ac paræneſim ad bene viuendum; modusque præcipuè quo suis se quisque peccatis expiaret, tradebatur. A prandio, omnes ij pueri candido induti amictu, incedentes bini & senili grauitate; orationem Dominicam intereà, vel Angelicam salutationem, aut cantiunculas alias concinentes, ipso duce & comite, Oppidum aliquod non longè dissitum petebant, excepti ab incolis obuijs, velutque peregrini, modò hanc, modò illam Ecclesiam deuotionis fama celebrem venerabundi adibant: ante noctem in Oppidum vndè digressi, redibant, Imagunculis Sãctorum calculis Rosarij, & eiusmodi pijs puerorum illicijs, ab ipso donati. In orbem inter multa Oppida diu sic factum, occupato in ijs Catechismis Lancellotto, etiam post primum sacrum ordinem susceptum, & interim paternum solum inuisente; nam, vt dixi, in vicinia erant Oppida. Pretium operę aliud non erat, nisi puerorum profectus: qui certè Diuini Numinis benignitate non fuit exiguus; vidit enim ipse simul, & germen, & surgentem segetem, & instantem messem virtutum. Vix vna, aut altera vice id à Rocca-noua factum, cùm confluere cęperunt ad ipsum agmina puerorum. Hi omnes, timorem ingenuum

fontem

fontem pietatis hauſere, cuius præſidio tuti, præterueherę potuerunt vada improbitatis, & nequitię. Hę ipſorum iucunditates, luſus, & oblectamenta. Hinc ſolida gaudia parentum, experientium eos promptos, faciles, ac ductiles in paterno obſequio. Viſi ſunt etiam ea occaſione, ſenes nonnulli repueraſcentes, vt Chriſti myſterijs imbuerentur; & quos à publico catechiſmi loco pudor arcebat, in latibulis domorum diſcenda diſcentes, pueriſque ſe ſubdentes de repentè è diſcipulis, Magiſtris factis.

INSIDIAE IN CAPVT IPSIVS.

Acceſſus ad Neapolitanam Ciuitatem. Virginitatis, & Legum Laurea.

CAPVT III.

A Militiæ Tyrunculo, ſemel atque iterum, turpiter ſe deiectum indignatus aduerſarius, erectaque nuper ab ipſo adoleſcente catechiſtica ſchola, eius ſe gladio penitùs confodiendum arbitratus, copias inſtaurat, crudelesque in eum exſuſcitat iras, quibus ambuſti, ipsũ omnino de medio tollerent. Accidit enim, honeſtorum quorumdam virorum conſanguineã, pudicitię ſuæ iacturam fuiſſe paſſam. Illi præcipiti conſilio, rati, non ab alio, quàm à Lancellotto eam proſtitutam, ad illius necem deſçuire conſultò deliberant: dumque anxiè ſolliciti tanquam venatici canes eum quęritant, tutatus fuit innocentem Deus, qui ſuos premi, opprimi non patitur; verèque fonte inuento, ab eo illi, omni Diuino timore ablegato, proſtitutionis pœnas abundè ſumpſerunt. Mater cui omnia comperta fuere, filium atque adeo ſua viſcera à ſe diuelli paſſa fuit, ne aliquando innoxium lugere cogeretur occiſum. Neapolim illum deſtinat, altero quem tantùm habebat filio cui nomen Nicolao Antonio, in ſenectutis ſuæ ſolatium domi reſerua to: commeatum illi parat,

& ſu-

& ſupellectilem ex paupertatis ſuę cenſu, locupletiſſimamq; adiungit ſalutarium monitorum, quæ toto ille hauſit pectore: dumque ſe viæ committit, comitem ſe illi adiungit ad vſq; ſecundum ab Oppido lapidem, locum ſcilicet vbi Cappella erat B. Virgini ſacra, quam, recitatis eius litanijs conſalutauere: indè ſuppreſſo dolore qui in diſcedendi confinio creuerat, veneratus matrem, vię ſe tradidit.

Et ipſum quidem è patrio ſolo, non fœmineus mortis timor pellexit, ſed quo cęteri incitantur, amplitudinis amor: vt nempe, familiæ decus quale quale eſſet quod à maioribus acceperat, auctius, quà ſcientię, quà opum auxilio ad poſteros tranſmitteret. Verùm antagoniſtam ſuum, quem toties laceſſitus ſemper gloriosè proculcauerat, vbique habuit aduerſantem. Neapolim itaq; cùm appuliſſet, vix in contubernio, quod erat prope Eccleſiam Diui Petri Cęleſtini, pedem fixerat, cùm Diaboli apparuere conamina ipſius animum per emiſſarias ſuas cateruatim conuolitantes, impuritate labefactare ſtudentis. Vna etenim inter ipſas effrenatior, intuita pulcherrimum iuuenem ſolitariè quippiam aliquandò ſecum meditantem, opportunitatem temporis nacta, noxijq; amoris oeſtro percita, irruit in eius amplexus, & oſcula. Anceps conſilij in ſubitario inſultu adoleſcens, vt ex ijs tandem tricis enodem ſe euolueret; expreſſo exemplo à caſtitatis prototypo Ioſepho, fugam velociſſimus arripit, cunctis quæ ad vitę neceſſitatem in contubernio depoſuerat, ceu venenato fœminę halitu infectis, ibidem relictis; quod ſelegit libentiùs, quàm illibatum Virginitatis florem in conſpurcationis periculum vocare. Ac de ſui puritate iam ſollicito, irrequieta intereà fuere domicilia, incertæque ſedes, ne quę mulier, ex cohabitationis diuturnitate, eius titillaretur amore.

Cęterùm tertiò iam obſcęnitatis petitus inſidijs; tertiò diuina fauente gratia victor; vt ęternum Virginitatis amorẽ intemeratus coleret, ac ne caſtitas precaria, aut in ſpeciẽ

tantùm

tantùm quęsita videretur, perpetuo eam muniuit proposito pudicitię, perpetuoq; timoris vallo circumsepsit: perpetuo, inquam, etenim nonagenarius ferè, animi vigore obtusus, ieiuniis emaceratus, viribus emaciatus, diuturno labore fessus; adhùc tamẽ de castitatis casu in extremo vitę halitu fuit trepidus; quòd videret se nondùm vinculis huius carneę compagis resolutum. Quòd verò sciret libidinis nutriculam non aliam esse, quàm desidiam, roburq; spiritus segnitia languescere; in eam sic fuit armatus, vt nullo vnquam diei momento quiesceret, legum scientię addiscendę nauans sedulam operam, quodq; ab ijs addiscendis supererat tempus, musicæ impendens, qua decens videbatur sacris addictum, saltẽ leuiter imbui. Impigrè laboranti, nullisq; voluptatum illecebris retardato, aut futilibus occupationibus eneruato, ad maturam frugem studiorum semina confecta, Doctoratusq; Laurea & insignia cum plausu collata.

SACERDOTIO INITIATVR. PETRO FOSCARENO Clerico Regulari necessitudine iungitur, & eius exẽplo mirificè proficit.

CAPVT IV.

IVris Laurea donatus, semet Christo per Sacerdotii susceptionem statuit consecrare; quo tandem in Aede Maiori rite fuit initiatus. Ei mox, vt notę bonitatis viro, ac legum peritia prędito, excipiendarum Christi fidelium Confessionum facultas fuit collata. Persensit illicò, sibi, vt pote Diuinorum beneficiorum mole obruto, vitę quam incęperat tenorem firmiùs exequendum, ac maximè ardores in pœnitentię studio conduplicandos, vt dignum sese exhiberet sacris Altaribus ministrum. Adhuc tamen nubecula quadam animus eius caligabat, qua obnubilatus, splendorẽ Numinis Diuini in corde suo radiantem, minimè introspiciebat.

Erat ea, vasta quædam semperuè hians cupiditas splendoris, amplitudinis, opum; ad quæ arduo licet, ac difficili itinere, & per obstantia quæque contendere, minimè formidabat: nam quæ fortè aliorum ignauiæ fuissent inaccessa, virtuti suæ putabat futura superabilia: augebatque famem, ipsius ingenium, quantæcunque disciplinæ capax. Itaque vt gradum aliquem cõscenderet, imperauit sibi, nullis se casibus quamuis atrocibus irritãdum, nullo ictu percutiendum, nullo prosternendum; nihil spectaturum, nisi vnde gloria sibi nasci potuisset; quamquàm non impetu temerario, aut insolenti; sed rationis ductu, & ex suorum probitate morum. Hac igitur turgidus gloria, veluti quodam cippo cõercitus detinebatur.

Commiseratus hominis languorem Magnus ille animarum Medicus, è cœlesti suo panario, eduxit magna tanto morbo pharmaca. Domum nostram Neapolitanam moderabatur tunc Petrus, ex antiquissima, & iampridem Veronæ extincta familia Foscarena. Hic in adolescentiæ vere Lutetiam profectus, sub celebri Magistro Antonio Solerio laurea Doctoris Parisiensis assecutus fuerat, & Cancellarij Baiocensis Ecclesiæ dignitate, Italus inter Gallos donatus, & pingui etiam Sacerdotio in patria sua. Hæc tamen honoris decora, Petro non fuerant magna, non fuerant concupiscenda; quòd apud ipsum, ea tantùm eminerent & excellerent, quæ humilitatem saperent; pro hac omnis ei fuerat contentio; pro hac præpinguia illa beneficia aspernatus, in abiectissimum sese Religionis nostræ statum demiserat. Hũc adibat sæpissimè Lancellottus; hoc est, Parisiensem Doctorem, & in animarum cura versatum, famaque apud Neapolitanos celeberrimum, Nouitius in sacra disciplina tradenda, & pro conscientiæ, vt vocant, Casuum difficultatibus enodandis; interim venerando eius aspectu & modestia illectus, ac morum suauitate detentus. Dùm ei, quem primum ex Nostris cognouit, necessitudine iungitur, quam crebra illa colloquia fouebant; vulgatur quod humilitatis ergo tectum aliquan-

aliquandiu fuerat; Franciſcum I. Galliæ Regem, Epiſcopatus Baiocenſis Cathedram Petro contuliſſe, Oratorique ſuo mandaſſe, vt apud Pontificem Paulum III. id diligentiſſimè curaret, prorſusque & omninò conficeret. Petrum verò in honorum deſpectu immotum, in propoſiti ſui conſtantia obfirmatum, ſpecioſum titulum ampla pendentem patrimonia repudiaſſe; Aulicorum preces, quorum permultas acceperat literas, eluctatum; Regi ipſi eum extra cancellos humilis vitæ, quam elegerat, vi abripere nitenti, toto conatu obſtitiſſe & reſtitiſſe. Quati cæpit horum fama honoripeta Lancellottus, ſuorum ſpe meritorum verticem attollere ſatagens, atque ad faſtigia honorum & opima Sacerdotia ſuſpirans: & iam reflectere in quem impegerat: intueri hominem probitatis cunctæque doctrinæ ſpecimen: virtutis veram propaginem: virum inter humilia, inconcuſſa ſecuritate tranquillum: exilem & magnum, & maiorem ſe magno cùm reſpuit magna. Hunc fortè conſultiùs ſapere, honorū deſpectu, virtutum cæterarum ſaporem condientem; ſe potius deſipere inani faſtu infatuatum, ac turgidum; & vereri ne gratioſo, ac plauſibili errore ſibi ipſe ſuppalpet, dùm tumentia præcordia, meritorum ſpe quaſi ventoſo folle videtur inflare.

Foſcarenus intereà vertente anno Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Cœlum petijt; & petijſſe certò creditum eſt ex patientia cæterisque virtutibus, quarum ſpecimen ſemper quidem, ſed maximè in languoris illa diuturnitate præbuerat; cùm præſertim à cœleſtium contemplatione, precum Diuinarum recitatione nunquam deſtitiſſet. Intrante hebdomada ſancta morbi vis inualuit: Vitam ipſius non vltra diem cæteri protendere; ipſe moriturum ſe eodem die quo Dominus rediuiuus exurgeret, affirmare. Effectu vaticinium comprobatum. Conuenêre in decumbentis cellulam Noſtri, exeuntem animam Pſalmis & orationibus de more comitaturi. Inter cæteros, Pſalmus *De pro-*

fundis, recitatur, cùm ad illum peruenitũt versum, *Si iniquitates obseruaueris Domine*, *Domine quis sustinebit?* Petrus qui iam triduum pœnè mortuus iacuerat, familiari versu excitus, præuertit alternantem Chorum Patrum, ac sonora distinctaq; voce, ter sequentem quo recreari solebat, subdit; *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redẽptio*: eoq; vix completo, tradit spiritum Redemptori. Funus ipsius posteà magno populorũ concursu ob viri sanctitatem veneratum. Versat hęc animo Lancellottus, tacitusq; contemplatur; qualem vitæ exitum sortitus fuerit homo per solidam introrsus virtutem honores quoscunque summa despicientia calcans; qui tamen dùm inglorius esse cupit gloriam sibi comparauit æternam.

QVALEM, ET QVANTVM VIRVM SIBI *elegerit Spiritus sui Ducem.*

CAPVT V.

QVatiebant ista; adhuc tamen non concutiebant Lancellottum, quẽ inflantes spiritus, in eam crepidinem sensim & latenter deferebant, vnde facilis futurus fuisset casus in imas voragines, ni opportunè manum suam in eius auxiliũ protẽdisset Deus. Etenim adeunti frequentius Domũ S. Pauli, vt Foscarenũ consuleret; cognitus fuit quoq; Sanctus planè Vir Ioannes Marinonius (hoc enim vulgari cognomine appellabatur, seu Sanctus Dei) Huic se totũ erudiendum tradidit, & toto illo octo annorũ spatio quo in sæculo demoratus est, perpetuum ipsum habuit spiritus sui Ducẽ. Vt primũ cũ ipso collocutus est, detumescentibus cænodoxiæ & philargiriæ fluctibus, vidit limina tãtùm se spiritualis vitę eousq; salutasse, quia salutare odiũ sui adhuc minimè adiunxerat, & omnimodã voluntatis suæ abnegationẽ. Abdicato ergo gloriæ & diuitiarũ appetitu, oculis desiderãtibus

Christum

Christum, nihil mundi huius amplius dignabatur aspicere; propriã exinde cõpescendo volũtatẽ, ęternùm firmato decreto; Dei suum traditum imperium, sibique relictum obsequiũ, illis tantùm verbis, tùm pro corporis, tùm pro spiritus indigentijs Numen deinceps apprecaturo, *Fiat Domine volũtas tua;* quod perpetuũ postea fuit eius Symbolũ ac tessera.

Erat tunc annorum viginti septem: tantaque fuit cœlesti dulcedine in hoc mentis proposito superinfusus, vt ex hoc tempore, non ex gloriosè repetita illa de hoste victoria, aut relatu in censum Sacerdotum, spiritus sui primordia & conuersionis initia deducenda duxerit; vt sæpissimè fassus est, cùm ad Augustinum Cardinalem Cusanum scribens, vocat hunc vigesimum septimum annum, primum verę cognitionis Dei, mundanæque vanitatis. Luculentiùs autem in literis ad Aloysium Carafam Hostiliani Principem extremo vitæ suæ tempore datis, vbi cùm de insatiabili gloriæ, & diuitiarum appetitu ageret, subdit: *Expertus sum ego ipse hæc omnia; nam à sextodecimo ad vigesimum septimum ætatis meæ annum; Dæmonis fraude deceptus, æqualiumque meorum exemplo illectus, dignitatum, ac diuitiarum acquisitioni totus inhiabam. Deus autem ignorantiæ meæ commiseratus, magni cuiusdam serui sui opera, erroris me redarguit mei, tuncq; mundanorum amorem, desiderium, & procurationẽ penitùs reliqui.* Huius porrò magni Dei serui, hoc est Ioannis Marinonij vitã, vulgauerunt varij; nos carptim tantùm aliqua delibabimus, vt transmissum in Lancellottum Ioannis spiritum, hoc est in sobolem, gratiam Patris, lector intelligat.

Ortus est ipse Venetijs, anno Millesimo, quadringẽtesimo nonagesimo. Teneri ingenij, & mollioris ætatulæ informatores nactus fuit Aloysium Lippomanum, & Ioannem Benensem sidera sæculi illius; quibus institutoribus, rudimenta spei suum habuere incrementum: nam Sacerdotio insignitus fuit, & Canonicatu Ecclesiæ S. Marci decoratus. Vt autem arctiori nexu Christo iungeretur, sęculo nuncium misit,

misit, & in Religionem nostram vix quadrimulam adscitus fuit, adscribente B.Patre nostro Caietano. Cùm prima vestigia in solo nostro poneret, ea vsurpauit verba, quæ olim egregius Christi athleta, & Pontifex Sanctissimus Clemens ad suos pro fide commiliones: *Non meis meritis ad vos me misit Dominus vestris coronis participem fieri*. Beato postmodum Caietano Neapolim petituro, comes & socius adiunctus, Domum Neapolitanam annis viginti nouem incoluit, & vndeuiginti magno cum animarum fructu rexit. Victum porrò ipsius appellare quiuis potuisset proprij corporis cruciatum, perpetuumque innocentiæ tenorem: Cibus etenim ipsius parcus fuit, ac tenuis, & quo vix valetudo fulciri posset. Mensæ dum accumberet, edentibus cęteris, panẽ tantummodo gustabat, & obsonij loco pauculas herbulas. Ægrotanti iussit aliquando Medicus perdicem comedere; percontatus ęger, quanti auis veniret? audiuit, quatuor carolenis; & sanctè tunc contra medicum insurrexit, quòd epulis quęsitioribus, & multo auro partis; cupedijs potiùs palati consuleret, quàm vitę, quocumque tandem victu sustentandę. Dormientis cubile asseres fuere, ac sępius nuda quoque humus. Somnum non vltra tertiam horam protendebat. Noctium nulla pręteribat, in qua saltem semel ferreo catenarum flagello, proprij attritione corpusculi, in se non animaduerteret. Carnem his blanditijs ita compescuit, vt Virginitatis florem intactum toto vitę suę tempore asseruasse creditus sit.

Religiosam paupertatem, & coluit eximiè, & amauit feruidè. Dum Prępositum egit, si casu inter lectionem sacrã, qua comedentium animi reficiebantur, nomine tenus ea suis se se auribus insinuasset, vidisses hominem comedendi oblitum, naturę quodam impetu exstimulatum & adactum, ad eius laudes concelebrandas. At aperiente manum suam bonorum omnium largitore Deo, ad Nos pascendos supernè tantum auxilium expectantes; replebatur quidem in-

genti

genti lætitia, paternã Dei expertus benignitatem ; ſed hanc, inſtillatus mœror ſubleuatæ paupertatis temperabat : vnico enim hoc recreabatur ſolamine, ſi nempe neceſſariorum defectum pateretur. Perpeſſo autem aliquandiu, accurrebat opportunè Deus, vt extremę inopię meritum aſſecutus; & Diuino, cui impensè confidebat, patrocinio, minimè deſtitutus videretur. Quod frequentiſſimo euentu clariſſimum fuit ; ſed illo in primis illuſtri, quando ad communem refectionem aduocatis fratribus, paucula tantùm panis fruſtula inuenta, & aurantium pomum ex domeſtico horto collectũ, in ſingula capita appoſitum : inſolito tunc ille repletus gaudio, ac mirum in modum exultabundus, hortatur ſuos, gratesque Deo fuſiùs impendendas ; *cumulatioris*, inquiens, *fuiſſe beneficij, quòd diurno, nocturnoque labore fractis, ne panis quidem fruſtulis exſaturari liceret*. Quod, dùm impensè exaggerat, ecce ianitor admonet, ad fores oſtij adſtare incognitum, qui non illius tantùm diei, ſed & multorum victum, inſperatò attulit.

Nemo illo humilior, aut abiectior fuit ; inque cæterarum virtutum auguſto confeſſu, hæc fuit pręcipuè conſpicua. Valetudinarij & culinę vaſa ipſe mundare : Domum ipſe euerriculo purgare : Hoſpitum pedes, ſuis ipſe manibus lauare : Literarum eius ſubſcriptio hęc erat, *Ioannes ſenex & peccator*. Iniurijs appetiti cor, nunquam viſum fuit amareſcere, ſed ſemper inturbatum, &, quod ipſum etiam offendentem poſſet tranquillare : appetentior quippe erat iniuriæ ferendę, quàm fuiſſet aduerſarius faciendę. Cuidam veniam deprecãti, quòd caſu tranſeuntem ſe colluuiali, ac putida aqua collutulaſſet ; *Eccur, autem ?* reſpondit ; *non alia certè aqua hæc tellus irriganda erat*. Dignitates & honoris culmina omni conatu auerſabatur, vt non niſi recuſanti & contra eas enitenti fuerint collatę. Sed omnes exeruit vires, cùm Archiepiſcopatu Neapolitano à Paulo IV. P. O. M. fuit decorandus. Nam accitum Neapoli, fruſtrà eloquentiſſimus,

simus, ac disertissimus Pontifex suadere conatus fuit, obfirmato animo oneri obsistentem, & non verbis solùm, sed lacrimis acerrimè contendentem, quibus flexus fuit Pontificis animus demirati eius constantiam, ac desperantis se verbis aliquid posse proficere. Dimisso colloquio, solum vbi ad Pontificis pedes supplicabundus iacuerat, abundanti lacrimarum imbre perfusum apparuit. Et Neapolim, velut post liminio reuersus, solemni hymno in gratiarum actionem, benefactorem Deum iuit veneratum.

Heröem tantum, voluit adhùc Deus suo more aduersis explorare, ac virtutum robur ad trutinam infirmitatum appendere: nam prę lacrimarum frequentia opthalmia premebatur. Ischiade prętereà, seu coxendicum morbo laborauit. Dura multa in languore, sed patientia ipsius facta lenia: totum corpus tabescebat, animi ne minimum quidem ægrescebat. Visus est quandoque dolenter illacrimari; putauit aliquis, prę nimietate dolorum; at ipse seriò, quòd, vt alijs faceret satis, medicorum & medicaminum solamina cogeretur adhibere: medicamentis tamen, sic volente Deo, medendi vis omnis tunc excussa fuit.

Precandi, vt diximus, assiduitate, supra quàm dici potest, detentus fuit: frequenter in oratione perdius, frequentissimè pernox fuit, vt meritò genibus callum obduxisse visus fuerit. Dùm iter faceret, si à diuersorij vicinia Templum fuisset dissitum ad quod oraturus properaret, in ipsomet diuersorio clancularium locum venabatur, vbi semotus à socijs, cum superis iucundaretur. In Psalmodia, inundari se delitijs, hand poterat dissimulare, & manifestè diffusus ille per faciem ardor id coarguebat, sensuumque extimorum recessus, & absona quædam vocis modulatio, quam vix retundere poterat sonora Patrũ voce, ea fini ipsum in Choro circumuallantium. Ad Eucharisticum autem epulum nunquàm accessit, nisi producta in longum temporis spatium oratione; tanta spiritus dulcedine in sacrificando delibutus,

vt re-

vt remissas lacrimarũ habenas haud posset adducere, quod solemne erat in epotando salutari Calice,& quotiescunque Dominicæ Passionis mysteria celebrarentur. Aliquoties etiã contigit, Historiã legentẽ percussi alapa Domini, ad Altare, ipsa fer.vj.in Parasceue populi multitudine circũfusũ,intimo cordis dolore percelli,deciduũq; in terrã prolabi cũ percusso Domino. Tanta autẽ contẽplationis suauitate supereffusus, non exiguã tamen partẽ curarũ proximo iuuando impertijt.

Corporis morbis medelam præbuit vtilem,vtiliorem animi languoribus. Seuerum enim quendam Fundanum, in opuscula quædam Græca à se Latio donata nimis affectum, tunc reddidit sanitati; cùm illa,accensa pyra combussit. Morientibus in extremo conflictu strenuè aderat; nam certò sperabatur,tutò illum hinc decedere, ad quem morientem ipse non dedignaretur accedere. Sed quo plus proximo auxiliares prębuit manus,Verbi Dei fuit prędicatio,vt plurimũ extẽporanea,& pro re nata;sẽper autẽ post Deũ oratione cõsultũ: verborũ phaleris, ceù curiositatis irritamentis, haud ornata; sed eloquio robusto dotata, & vi quadã ineluctabili ac triũphatrice animorũ,audientes totos potestate quadam mirabili transformans; vtq; semel dicã, ex Apostolico schemate: quod,Hieronymus Cardinalis Seripãdus,& Episcopi, Cornelius Mussus Bituntinus, Sebastianus Minturnus Vgẽtinus,& Galeatius Florimontius Suessanus; ac Ioannes Frãcisscus Lombardus Canonicus Neapolitanus; & è Societate Iesu,Iacobus Laines,& Alphonsus Salmeron,ipsius quondã Neapoli auditores, Tridenti ferè omnes, dùm in Cõcilio de Cõcionatorũ reformatione agerent,sæpius fuerũt attestati.

Fuisse autem dæmonibus cum tanto viro implacabile odium,nemo dubitabit, furentibus in hominem innocentiæ stola exornatum, virtutumque agmine roboratum; sed ab illo generosè protritis: vti & ipsum inferis in visum, superis fuisse charissimum. Sed hæc prosequi nostri minimè est instituti, qui virtutes tantùm ipsius, & neque omnes prorsùs,

 susce-

ſuſcepimus delineandas. Plura qui volet vitam eius percurrat, quæ anno huius ſæculi ſextodecimo è typis Romanis prodijt cum Superiorum permiſſu.

Hunc vitæ ſuæ arbitrum ſibi delegit Lancellottus: & ex tali Magiſtro irrigua ducta in eum ſanctitatis fluenta.

FORI DETESTANDI OCCASIO.

CAPVT VI.

NVnc de ſemita in viam. Legum, vt iam diximus laurea donatus Lancellottus, patrocinandi munus in Eccleſiaſtico foro ſuſcepit. Amicum ſibi familiaritate coniunctiſſimum, iniuſtè quidam tunc diuexabat. Lancellottus iudicij acrimonia, & ingenij acie exacutus, aduocauit ad eius patrocinium vires induſtriæ, ſolertiam forenſem, præſidia doctrinæ, decora eloquentiæ: Sed inter tot adiumenta rei ſui, leuiculo etiam mendacio officiosè vſus fuit, quo veritatem obnubilauit. Ex antiqua ipſe conſuetudine; antequam lectum peteret, aliquid è Sacra ſcriptura lectitabat; ſiue vt Dominico eloquio diem obſignaret; ſiue vt matura pararet amuleta contra nocturnas dæmonum illuſiones. Ea nocte, legenti, obuia fuere ea Sapientiæ verba, quæ habent, *Os quod mentitur occidit animam*. Quibus, velut ſibi dictis, tremefactus, exiſtimauit mendacio illo tanquàm venenato gladio peremptam à ſe & iugulatam animam ſuam. Cruciabatur, diſcruciabatur, intimisque ærumnis tabeſcebat mens propriæ mortis rea, externorumque deſtituta ſolamine, implacabili luctu ſe ipſam deflebat amarè. Noctem totam duxit inſomnem, amariſſimis intereà lacrimis ſtratum corrigans. Vt primùm diluxit, ante Marinonium ſiſtit ſe ſupremi Iudicis reum, ac in ſemet iratus; *Itàne*, inquit, *in verum auſus ſum ſubdola verba proferre? ac de induſtria veritati integumenta poſui? Ergo literas appetij, quæ mihi ductrices eſſent, non*

ad atria

ad atria veræ ſapientiæ, & penetralia virtutum, ſed ad concinnandos mendaciorum fucos? Abuſus ſum ad nequitiam dotibus quæ mihi debebant eſſe opifices ſanctitatis. Siccine pro amico ſapui, ac Deo meo minimè placui? Cadere potui, & cecidi, oculatus ego, nulla lucri ſpe irretitus, amicitiæ tantùm ſtimulis actus; At linguam locaturo mercenariam, pecunioſo ex cauſæ victoria futuro, honoris incrementa captaturo, heu quot mendaciorum myriades cumulabuntur: Abeant ergo roſtra, valeant fora: Exardeſcant cæteri patrocinandi deſiderio: Mihi, ad mentiendum procliuitatem experto, omnis mentiendi occaſio (ea autem eſſet patrocinatio) deuitanda; nec alia deinceps cura, quàm ad perfectionis ſtudium curſu concito properare, vt cœleſtibus quotidie paſtum epulis decet; proximumque meum, non amplius lingua, ſed oratione tutari. Probat id Marinonius, conceptisque votis ad Altaris miniſterium maturescentibus, ſic fuit Lancellotti animus obfirmatus, vt ſibi in poſterum ab aduocatione interdixerit. Hoc facto emendatus & emundatus, perpetuus factus eſt oſor mendacij, ſimplicitatis ſectator ſtudioſiſſimus, patensque veritatis promptuarium: abominatus quidquid, etiam leuitate, aut incogitantia, loqui poſſet lingua in fraudis obſequium.

OB SACRARVM VIRGINVM TVTELAM ter in facie crudeliter ſauciatur.

CAPVT VII.

STadium vitæ ſpiritualis alacriter decurrenti Lancellotto, ſolidiora præbuit alimenta, & fortiora, is de quo nuper egimus Marinonius, qui in ſpiritu eum fouendum ſuſceperat. Erat tunc Neapoli Cœnobium Sacrarum Virginum ſub Archangeli Michäelis tutela ex D. Benedicti inſtituto, quarũ priſtinus ſpiritus ardor languefactus cernebatur, interiorque mentis vigor lapideſcens ac ſterileſcens. Neapolita-

nam Eccleſiam eo tempore Ioannis Petri Carafæ Cardinalis Theatini Archiepiſcopi Neapolitani nomine, moderabatur Scipio ille Rebiba, quem ipſe poſteà ad Summi Pontificatus apicem euectus, in Purpuratorum Patrum Sacrum Collegium cooptauit. Huius pectus collapſis aliquarum ex ijs Virginũ moribus pœnè lancinabatur: qui tãdem tanquã ad extremã opem, ad Marinonium confugit. Anxium verò iubet hic bono eſſe animo; in promptu citum remedium haberi, Virginum cuſtodiam vni Lancellotto ſpectatæ virtutis Sacerdoti demandandam. Annuit Rebiba, immo & grates addidit. Accerſito ergo Lancellotto; arcem illam olim benè munitam, tunc malè propugnatam, Rebibæ nomine tuendam illi tradit Marinonius; imperatque, vt apud Deum cauſam Virginum agat, nec ceſſet fatigare precibus cęlum, quoad flectat Numen, opemque impetret præſentem. Lancellottus inuicto robore, ac operoſa ſedulitate, incipit caſura ſubſtentare, ſegreges diligenter conquirere, vt Chriſti faciat congreges; perpetuisque excubijs inuigilare in ouile ſibi concreditum; nec veretur fidem ſuam pro ipſarum tutela, ad ſanguinis vſque profuſionem obligare. Primùm itaque Eccleſiam ijs ampliorem conſtruit, vbi tanquam in proprio thalamo, ſponſi ſui Chriſti delitijs poſſent abundantiùs perfrui: tùm diligenter curat Monaſterij clauſuram cõcludi, ne quà aliquis in illud irrumpere poſſit, idq; lapidibus ad fabros ſuis etiam quandoq; humeris aduectis. Ad hæc, quæcumque ijs ad cibum neceſſaria forent, ipſe cöemebat; ne qua illę temporalium indigentia præpedirentur; neu inter ipſas ac ſæculares, vlla, ob illata beneficia coaleſceret amicitia.

Verùm his & ſimilibus non aliud factum, quàm (vt eſt in paræmia) ăerem verberare, aut milium terebrare. Aliquibus enim ex ijs ardui voti pertæſis, ſub ſacro velamine caro æſtuabat, nec compeſci poterat: & ecce ex inſidioſi veteratoris arte adoleſcentẽ quendam, Virginis cuiuspiam ibidẽ in-

cluſæ

cluſæ amore captum. Hunc ad meliorem frugem reuocare nititur Lancellottus, ſed nequidquam: cùmq; ipſius cauſa aditum ad optata flagitia obſeptum videret; furenti adoleſcens ac præcipiti animo in ipſum deſæuit. Immiſſa itaque ſatellitum infernalium biga, eum in propria domo trucidandum mandat; ad quam illi diuertentes, cùm nunquam antea viſum, minimè cognoſcerent, ab eodemmet obuio ſciſcitati ſunt; vbi nam eſſet Lancellottus? Et ipſe, ex vultu minaci, aſpectuque truci, coniectatus ad ſe mactandum illos accurriſſe; ſiue potiùs Diuino monitu illuſtratus; ambiguo ſed prudenti minimèq; callido reſponſo reſpondit, Lancellottũ ante ex indigitato oſtio trãſiſſe, quod certè veriſſimum erat: dumque acti rabie circumſpectant illi, & queritant, qua effugerit via; ipſe domo egreſſus, vitæ conſuluit ſuæ. Rem narrauit Marinonio Lancellottus timidiuſculè; ſed hunc Apoſtolicis ille verbis roboratum, *nondum*, effatus, *vſque ad ſanguinem reſtitiſti* (quaſi ex alta ſpecula quid olim futurum præuidens) ad Rebibam remiſit: Iſte verò, vt cominùs hoſtem arcere poſſet, iubet ipſum intra ſepta Monaſterij ſedem ſibi ac domicilium figere. Fuit ibi caſus eius ſæpius pertentatus: nam deuexo iam die, earum nonnullæ, virginali flammeo detectæ, mammisque nudatis, mentitæ confitendi voluntatem, quę vergeret in impudicitiam, ipſum adibant: ſed operante Diuina gratia, nonnullæ in lacrimas effuſę, veniam à Deo precabantur; alijs interim per ſubdolas Dęmonis artes ad optima quęque obſurdeſcentibus. Sed vt ad adoleſcentem redeamus; is deluſus, ſcelus ſcelere cumulat, veſtigatque audaciſſimum hominem, quà precibus, quà pecunia fœdiùs corruptum; cogniti Lancellotti necem, vel ad minus oris contumelioſam vulnerationem, in ipſo medio foro, in ipſa etiam ſacra ara poſtlicentem. Tenduntur vndique inſidię, iamque pręda in caſſes iecta exiſtimatur: poſtridiè enim eius diei, primo diluculo, ingreditur Lancellottus Templum D. Agrippino

pino Episcopo vni ex Neapolitanis Tutelaribus sacrum; ouiculas sibi creditas Principi Pastorum commendaturus; vt ex terrena caula ad spiritualem aulam eas dignare-tur transferre. Exultabundus facinorosus ille, vestigijs eius inhæret, nefariam innocentis cædem patraturus: sed intuitus hominem in genua ad orationem procumbentem, pœnè corporis exortem, & ex ipso vultu cœli accolis quàm simillimum; interno afflatu conterritus, non est ausus in eũ stringere gladium, quem carne tãtùm hominem, cætera Angelum credebat: sic Deo supplicem suum tutante.

Adolescentis animus fracto semel atq; iterum cędis consilio minimè fractus, vela dat furori; & ex ipsis tartari faucibus accitum hominem, locupletiore promisso adigit ad eum vbicunque tandem inuentum, quacunque via de medio tollendum: hic auidiùs potiùs, quàm audaciùs mandata eius executus, prę trepidatione haud satis valido vulnere os eius deturpauit. Spreuit impauidus hæc diaboli territamenta Lancellottus, nec de custodiæ vigilia quidpiam remisit; quin potiùs animi voluptatibus circumfluere visus est, omni periculorum & ærumnarum sensu obruto, ac se neci destinatum & Martyrij candidatum existimare; atque ex inflicto vulnere eo spiritus ardore succendi, vt enixè posteà rogaret; si qua esset pro ipso, cęlesti mercede munerandus, ea certè alia non esset, quàm, vt leuiter percusso, atrociora quàm primùm infringerentur vulnera. Præstò adfuit roganti Deus: vix enim ab oratione surrexerat; cùm ipsum ad sua pergentem negotia, bini truculentorum hominum adoriuntur, & valido vulnere altèque defixo à dextra per medias nares in sinistram genam, venerandam ipsius faciem consauciant. Statim fluere sanguis ex incisa arteria, oris fœditas inspici, illudque necessariò prospici, vt, vel mors sit obeunda, vel contumeliosè dehonestato, ignominiosa vita viuendum, quorum alterutrum erat in optatis perditi adolescentis. Sed qui iam ardenter expetiuerat, vt corpus suum ob Virginum

tutelam

tutelam ante Deum holocaustum caderet; excepit securo pectore ferrum, immotus inter medios gladios furentis sicarij. Quò tamen pergeret omni terrenorum ope destitutus homo, vt sauciato corpori medelam præberet? Ad illud ipsum animæ suæ confugium Marinonium Neapolitanæ tunc Domus Præpositum; vt, cuius suasu Virginum custodiæ inuigilatum fuerat; eiusdem auxilio accepta pro ijs vulnera sanarentur. Exceptus est, fotus, recreatus: mixtæ vtrinque lacrimæ manantem toto triduo perenni fluxu sanguinem cõæquantes; ex eo præcipuè, quòd militi suo stipendia duplicaret Summus Imperator. Aduocati Chirurgi, quorum artem dirigente Magno illo cęlesti medico, obstupescentibus cunctis, nedum sanata fuere vulnera, sed eo pacto cicatrix obducta, vt signo nullo relicto, nulli postea, etiam ipsorũ conscio patuerint. Hęc sunt tria illa vulnera, quorum vicẽ abundè rependit Deus, totidem in mortui corpusculo inflictis: è quibus profluus sanguis, non iam ad ignominiam pedibus fuit incedentium proculcatus; sed ad gloriam, argenteis reconditorijs asseruatus, tanquàm sanitatum & gratiarum officina, vt nos ipsi alias narrabimus.

Licet autem adolescens ille, impiusque sicarius humanæ iustitiæ vindictam effugisse crederentur; perpetuùm obtinente Lancellotto, & ipsi etiam Proregi per suos administros auctorem, seu patratorem criminis efflagitanti, reos occultante; memori tamen irę cęlesti, in arrogantiæ cumulo debitas pœnas exsoluerunt, sensuntque mox à tergo vindicem Deum. Nam adolescens, breui ad ipsos gradus Ecclesiæ B. Pauli gladio fuit confossus; scelera sua in extrema illa hora minimè confessus. Sicarius ad triremes ob alia scelera damnatus ibi miserrimè demortuus est. Monialis tanti causa mali, dum perpurgando corpori pharmaca sumeret; vltimo ipsius haustu, spiritum emisit, ac vitam amisit, cuius protensionem per eas salutares potiones sollicita satagebat. Monasterium denique, nonnullarum salute Monialium pœnè

despe-

desperata, à Nostro Cardinali Aretio Neapolitano Archiepiscopo destructum fuit, superstitibus in varia eiusdem ordinis Cœnobia iussis commigrare.

IN CLERICORVM REGVLARIVM *Religione solemnia vota Deo nuncupat.*

CAPVT VIII.

AErumnarum pro Virginum tutela perpessione; Deum inter,& Lancellottũ ea coiuit necessitudo,vt penetralibus cordis eius ardentiore fulgore colluſtratis,visus sit Dominus animam illius omnino sibi vindicare, atque adiungere voluisse. Itaque cœpit hic, recessuum suorum introspectu secum discutere,quanam in tuta arce res animę suę collocasset: nam diutiùs inter sęculi ambages commoraturo,certum aliquod veneni genus timendum erat; quo,subductus pietati, eriperetur Christo. Intuebatur quoque mancipato sibi per castitatis votum, ad compedum illam trigam verè diuinam, adhuc reliquos esse binos: Paupertatis nempe; qua per terrenorum despectum firmiùs Deo adhęresceret; & Obedientię,per quam se illi mactaret hostiam. Considerabat etiam Athleta Christi, in spiritus palestra, victoriosiùs triumphare eum qui alieno viuens arbitratu cęcaque obsequij alacritate,collato multorum studio, validiore manu cõmunẽ hostẽ adoriri potest; dũ pugnantibus vniuersis, singuli vincunt. Ad hęc, ad progignendam spiritualium frugem, Religiosum solum millecuplò esse sęculari feracius. Vellicabat autem maximè ipsius memoriam, sanctę illius sodalitatis conuersatio, qua sauciato sibi & vulnerum curationi intento,illis diebus frui datum fuerat, inter Nostros versato: Perfricabat, nec iniuria: Nam, Marinonio Domus Pręposito, Otium proscriptum ęternùm exulabat; Opes humanę omnes egestati & inopię posthabitę; Libertas subiectione volun-

voluntaria lętanter commutata. Exardeſcentia cuiuſque viſcera in animarum ſalute procuranda. Effuſę perpetuò cum feruore preces. Media nocte alacriter Domino laudes decantatę. Litatum quotidie cum lacrimis Redemptionis ſacrificio. Vitijs extirpandis indictum implacabile bellum. Quid plura? Memorabatur vidiſſe ſe ibi homines, in media Ciuitate extra Ciuitatem, in mundo extra mundum; & pœnè mortuos ante mortem.

Ergo captus ſanctitate congreſſus eorum Patrum, & admiratione virtutis, ſupplicabundus pergit ad Marinonium, eique arcana pectoris aperit, ardentis cordis deſideria nudat. Neutro de Numinis voluntate dubitante; in Clericorum Regularium Religionem admittitur, ipſo peruigilio Aſſumptionis Dëiparę in cęlum, anno ſalutis humanę Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto, & ab inſtituta religione trigeſimo ſecundo, ætatis verò ſuę trigeſimo ſexto. Qui religioni noſtrę nomen dant; primùm per quadrimeſtre tanquam hoſpites in prima probatione inſtituuntur: quo exacto, nomen ipſum, vt plurimùm, cum veteri homine exuunt, atque ad Habitum, & Probationis annum admittuntur. Lancellottus quoque ad huius inſtituti formam quadrimeſtri exacto, mutato nomine, audiuit Andreas; pro nominis ethymo robuſtè fortis, ac in dæmonis lucta ſuccũbere neſcius; ad ipſas verò cruces gliſcente animo geſtiens.

Nouum ſubijt Andreæ pectori robur ad perfectionis ſtudiũ; & noua ſuppeditata ſtatim occaſio ex conuictu alterius, qui inſequenti ſemeſtri ei adauctus eſt ad Probationem. Is fuit Paulus Aretius, legum peritiam aſſecutus, quam Philoſophię & Græcarum literarum cognitio venuſtabat, & poſitiuæ Theologiæ ſcientia decorabat; quibus dignitatem Conſiliarij Neapolitani Regni fuerat aſſecutus. Huius ſtationis illum intellexerat Paulus eſſe ſcopum; protegere bonos; emendare malos: Tribunal ſic firmauerat, vt cathedra factum eſſet iuſtitiæ, aſylum innocentium, ſcopulus nocentium:

centium : nullis vnquam flexus douis ; nam inſpectore Deo cauſas trutinabat : quinimmò ex ingenuo fonte liberalitatis & charitatis , egeſtati litigantium ſæpe ipſe ſuccurrebat , ne ij cauſa caderent , incredibili interim humilitate, contẽne ij cauſa caderent , incredibili interim humilitate, contẽtus modeſtia pro fama,& re pro laude. Elegerat Paulus animæ ſuæ moderatorem , ſuarumque expiatorem culparum Marinonium , quem adibat ſæpiſſimè. Hoc ſuaſore , cùm iã ſeptenniũ, æqua ſemper lance ius cuique ſuum reddidiſſet , emerſit è tenaci mundi cœno , cùm quadraginta ſex annorum eſſet, ac in Religionem aufugit ; vt in ea,in ſorte ac humilitate fratrum Laicorum animæ conſuleret ſuę . Vbi id per Vrbem vulgatum fuit ; accurrit magno concurſu miſerorum turba ad Domus noſtræ ianuam ; eiulatu miſerabili clamantium,peremptam iuſtitiam, ſublatum ſibi refugium . Perſtitit ille ſemper infracto pectore ; ſolemnibusque votis Deo nuncupatis, immaculatè, ac ſanctè per viginti & vnum annos in Religione vixit ; eluctatus ter Philippi II Regis Catholici potentiam , eum ad Epiſcopatum Caſtri-maris ad Stabias, & Cotronenſem, & Archiepiſcopatum Brunduſinũ pinguiorum tunc reddituum , nominantis . Manus tamen dare coactus eſt Chriſti Vicario,Sanctiſſimoque Pontifici Pio V. quo in virtute Spiritus ſancti præcipiente , Eccleſię Placentinę Paſtor fuit deſignatus,& in S. R. E. Cardinalium numerum cooptatus , & ab eius ſucceſſore Gregorio XIII Archiepiſcopatui Neapolitano Præſul datus . Mutua ergo Paulus & Andreas contentione certabant , pręcipuè ad primas humilitatis capeſſendas . Optauerat Paulus , vt abiectioribus vilioribusque Domus miniſterijs vacaret,à Clericali gradu abſtinere . Negatum id illi , ac ſub obedientię pręcepto imperatum , vt ſacris ſe ordinibus inſigniri pateretur . Hoc verò ne deſiderare quidem Andreę permiſſum, iamdiù ante ad eum gradum in ſęculo euecto . Coniunctim tamen demittebantur,eòuſque vt viliſſima appetere,abiectiſſima exequi , omnium atteri pedibus , glorioſum ęſtimarent : ac in-

nouo vitæ genere quam elegerant iam veteramentarij, detritos calceos manibus ipſimet ſibi conſuerent ſuis. Tanti eſt, amoris Diuini telis ſemel ictum eſſe. Hæc libenter ſunt nobis commemorata; vt par in terris commilitonum, æquali in cęlis gloria coronatum; æquali in terris honore decorandum, detur ſperari. Non enim caſu, ſed diuino potiùs nutu factum exiſtimamus, vt labente huius ſęculi anno vigeſimo quarto, quo iſta ſcribimus; quando Beatorum faſtis Apoſtolico diplomate adſcriptus eſt Andreas; exeruerit Paulus caput, & notus inſurrexerit; educente nemine, præterquàm illo, qui de tenebris lumen facit ſplendeſcere; tanta ſanctitatis fama, tanta miraculorum frequentia; vt Decio S. R. E. Cardinali Carafæ Archiepiſcopo Neapolitano de ſui prædeceſſoris honore ſollicito, ad incudem viſum fuerit omnia vocare, teſtesque ſuper ijs Sacramento adigere, ad Apoſtolicam poſtea ſedem cuncta tranſmiſſuro.

Sed ad noſtra reuertamur. Palmam præripuiſſe in humilitatis curſu viſus eſt Andreas. Decumbentis enim in lectulo ſenis, quem diuturni morbi vis, impotem mentis fecerat, cura illi demandata fuit. Suſcepti ſui, dum phreneſi corriperetur (correptus eſt autem viginti menſium ſpatio, quoad ſcilicet vixit) nec vim temperare, nec ferociam compeſcere valebat: totus in eius obſequio occupabatur, dum cibare illum, & à ſordibus purgare cogeretur; attamẽ iniurioſis verbis, pugnis, & calcibus ab eo immaniter impetebatur: Sed incenſum ac flagrantem Andreæ animum eæ contumeliæ paſcebant, quantalibet voluntate paratum obſequi, peritũ humilitatem cum patientia miſcere. His autem, alijsque dum Probaretur, egregiè geſtis, ad ſui elationem minimè exultans; ſed ad Auctorem Deum cuncta referens; virtute in obſequendo, demiſſione in laudando; ſemper extra gloriam, nunquam extra merita fuit. Poſito tyrocinio, expletoque Probationis tempore, Profeſſionis vota nuncupauit ſolemni ritu, ſummo animi feruore, pietatisque ſenſu pœnè

incredibili, in Ð.Pauli templo ad Aram maximam, ipſo die vigeſimo quinto Ianuarij eius Conuerſioni dicato, anni Milleſimi, quingenteſimi quinquageſimi octaui. Conſtans fuit multorum ſententia, qui Andreæ ſpiritum aduerterunt; in eius ad Religionem acceſſu, impletum eſſe quod pluries repetito vaticinio Marinonius prædixerat: nimirum; ſe, naſcẽte Religione ad eam aduocatum, haud quidem vt primariũ lapidem ad fundamentum; ſed veluti rudem ac impolitum in ima abſcondendum, mortalium obtùtu minimè dignum (humilitatis erant hæc verba.) Ea tamen adoleſcente, ab eodem Chriſto ædificij totius Architecto, adducendos alios lapides, eoſque ſectos, ac politos, ædificij faciem ac proſpectum mirificè exornaturos: Andreas etenim, vt diximus, religionem petijt ab eius inſtitutione trigeſimo ſecundò anno: At Marinonius inijt eam quadrimulam.

VRBIS LOCA SANCTA VENERATVR.

Ieremiam Iſachinum, Bernardinum Cardinalem Tranenſem, & Paulum IV Pontificem Optimum Maximum, Clericos Regulares admiratur.

CAPVT IX.

REcenti Profeſſionis ſpiritu vegetus Andreas, in cęleſtiũ tantùm amorem totus exardeſcere viſus eſt. Horum autẽ cùm velut effigiatũ quoddam ſchema habeantur ſancta Vrbis loca; ad ea peregrinationẽ inſtituere (modò ij annuãt, quorũ nutibus ſe regendũ tradiderat) pertentat. Vetus id ei fuerat olim deſideriũ, ſed longè diuerſo fine: Nã furẽti tũc appetitu gloriæ, inſatiabiliq; cupidine diuitiarũ; ductu tamen vt diximus, rectè factorũ, nihil videbatur inuiũ aut lõginquũ; & eminere inter honeſta ſatagenti, ſuadebatur nullibi oportuniùs quàm Romæ viuendũ, vbi ſi quæ patraſſet egregia (& patraturũ ſe fidebat) tãquã in editiſſima orbis ſpecula forẽt

conſpicua

conſpicua. Diuinis poſteà introrſum illuminatus illuſtrationibus; quàm eſſent iſthæc omnia futilia;& cognouerat probè,& exprimebat apertè. Romanũ tamen iter, ſed inſtinctu Religionis,anxius sẽper meditabatur; ſollicitùsq; illud maturanti, nunquã arripere conceſſum; quà, quòd velut infans lactaneus à nutricio ſuo Marinonio,ne breui quidẽ temporis momento poſſet auelli; quà,quòd vigili præpediretur Sãctimonialiũ ſibi creditarũ cura. Præſenti autẽ tempore,id videbatur factu facillimum, à gregis cuſtodia liberato, & in albũ iam Noſtrorum aſcripto. Non ceſſat itaq; Marinonium efflagitare, vt eundi faciat facultatem, ac Peregrinantis habitu & charactere: nempe,vt liceat nudis pedibus incedere:ſtipem emendicatò colligere;negata,conuitijsq; dicto,factoue laceſſitum,non conqueri: internoctù, gratuito ſub cęlo hoſpitio frui: nihilq; non perpeti,quo ſpes increſcere,fides poſſet augeſcere. Marinonius feruorem ipſius demiratus,iuſtis rationibus probat,non eſſe ex Dei voluntate nimias illas ſeueritates; eſſe conſuetum Noſtrorum itinerandi modũ III. Nonas Aprilis anni Milleſimi quingenteſimi quinquageſimi noni, Romã peruenit. Et ſi verò vix quiſquã ſit eam adeuntium,qui naturę ipſius impulſu,Vrbẽ tot monimentis inclytã, tot prodigiorũ feracẽ non ſuſpiciat; ipſe tamen nullo curioſitatis pruritu ſollicitatus, cunctis extraneis cogitationibus valere iuſſis; ab ijs, quæ ex antiqua naſcebantur Gentilitate ſubducere aſpectũ: venerari ſanctos cineres: terram tot piorũ cędibus ſanctificatã,quęq; Apoſtolicũ ebiberat sãguinẽ exoſculari: locaq; alia ex alijs obire;ea præſertim,quę Sanctorum Martyrum fuerant nobilitata triumphis: ibi ex imo pectore preces fundere,& inexplebili meritorum Chriſti theſauro diteſcere. Dum autem venerabundus aſpectat laureata Martyrum capita, erumpit rediuiuus Martyrij ardor,cuius ſe candidatum olim viderat; nec deſinit ſortem ſuam grauiter conqueri, cui minimè datum fuiſſet pro Chriſto ſanguinem fundere; ac facinoroſo illi ſubiraſci,qui

ictu

ictu validiore eum non percutiens, ex ipsis suis manibus palmam sibi eripuerat, gloriæque Martyrij fecerat exortem. Efflasset porrò Andreas animam in Martyrum tumulis; ni hoc solamine recreatus, deliberasset ad proximos è peccatorum cœno liberandos pertinaci deinceps studio se vacaturum, cum honoris etiam & vitæ iactura: ac Tyrannorum defectu, in corpus suum piè sæuiturum; victus lautitias excluſurum; vigilijs, laboribus, macerationibus, vim eius omnem attenuaturum. Hoc itaque præcipuè bono in Romana peregrinatione ditatus fuit.

Accessere autem & alia, ex trium insignium Nostri Ordinis Virorum, qui tunc Romæ degebant, congressu; quorum meritorum seriem frequentissimo sermone à Marinonio audierat. Primus eorum fuit Ieremias Isachinus Salodiensis: hunc Ioannes Petrus Carafa Venetijs nouerat virtutum omnium condum & promum; factusque Pontifex summus Pauli IV nomine asciuerat ab intimis cordis sui secretis; vt nempe, & supremi fastigij viri consuetudine frueretur; & inter ipsos humanæ celsitudinis apices, imaginem apud se haberet humilis, ac Religiosæ vitæ, quam ipse quoque duodecim annorum spatio tenuerat; & pro qua statuenda plus ipse cęteris, plus ipso etiam B. Caietano laborauerat. Extra Venetum limen pedem extulerat Ieremias, sed Pontificis præcepto cöercitus, ac promisso roboratus, nullo se impedimento detinendum, quin Clericali instituto, quoad fieri posset, victurus esset. Venit; contra diuitiarum & honoris affectum communia Aulæ vitia, eiusque limina vix extremo pede terentium, fortiter munitus: & à neutro ipsorum se vnquam obsessum, illustribus postea exemplis comprobauit: Abundè quidem opum affluentia cumulatus; nam quadriēnio toto, quo ibi demoratus est, detritam vestem ex vili panno contextam non renouauit, eademque semilacera Venetias Pontifice defuncto repetijt. Admiranda verò magis eius animi celsitudo eos honores contemnentis, qui tam

auidè

auidè expetuntur . Dictum aliquando illi fuit; inter ſchedulas à Pontifice in ſecretioribus capſulis ſepoſitas ; inuentam,referentem,ipſius aliorumque nomina,quos intrante Septembri,ſi vita comes fuiſſet, Purpura decreuerat ornare: Et ille,non ſortem indoluit ſuam ; non Pontificis præpropetum fatum : ſed infracto pectore conſtanter affirmauit , nunquam ſe fuiſſe adſenſurum, quin potiùs ſelecturũ irrequieto ſemper motu,incertisque ſedibus vagari, mũdi totius extorrem . Hunc ſæpiſſimè Andreas adibat; ac de gloriæ,opumque contemptu ipſiſſimis venenatis iaculis quibus eius quõdam pectus fuerat ſauciatum,plus facto, quàm verbo dicentem audiebat : Deo nullam non arripiente occaſionem, malagma ad purulenti eius vlceris ſanitatem admouendi. Parem vitæ exitum (ne hoc reticeamus) ſortitus eſt Ieremias : ex Aulæ enim tumultibus liberatus,Mediolanenſem,ac Venetam Domum rexit. Dumque lues illa celeberrimas Italiæ Vrbes graſſata, Patauium quoque depaſceretur ; ipſe eò Venetijs ad fratres ſuos curandos,igne Sancti Spiritus ſuccenſus accurrit ; quorum ſeptem ad Cœlum tranſmiſſis,quibus ipſe ſua ſemper manu corporalia , & ſpiritualia adminiſtrauerat , quodque magis horreſcas tumulo etiam eos condiderat ; octauus ipſe eodem quoque morbo ſublatus eſt ; dextera Crucifixi imaginem habens, ſiniſtra ſacrarum precũ libellum , vnde egredienti animæ ſuæ precabatur ; quas vix compleuerat , cùm in cęlum euolauit . Martyrum fortè catalogo aſcribendus , cum ijs quos Eccleſia pridie Kalend. Martias veneratur ; id mortis genus ob incredibilem pietatem,& robuſtam fidem ſuſceptum, nihil à Martyrij ſplendore abeſſe decernens.

Vidit etiam Bernardinum Schottum Sabinenſem , primũ noſtri Agelli poſt quatuor primos Patres germen , S. R. E. tunc Cardinalem Tranenſem nuncupatum ab Eccleſia Tranenſi,ad quam electus,& à qua ad Placentinam poſtea trãslatus fuerat . Huius viſendi ſummo ſtudio tenebatur An-

dreas

dreas: quippè quem audierat vnum inter tot eximios viros Romæ Oratorio Diuini amoris mancipatos, interritum ac intrepidum B. Caietano in erigendæ Religionis negotio adhæsisse; Aloysio Lippomano, Iacobo Sadoleto, Gaspare Contareno, Tullio Crispoldo; & alijs ad vsque octo supra triginta, Instituti paupertate eò vsque in Ecclesia inauditi, pueriliter conterritis, & à promisso vacillantibus: cuiusque Epistola de Regulari disciplina Nostrorum manibus terebatur (typis nunc excusa) anno eius sęculi vigesimonono ad Patres Romæ in Generalibus Comitijs congregatos, Apostolico planè spiritu conscripta. Audijsse porrò eius pręcepta dici potuit Andreas, cùm eum coràm fuit intuitus; hoc est, virum Gręco, Hebraico, Caldeoque idiomate loquentem: Cęsari chariſſimum; apud quem trium Episcoporum Apostolicę sedis Legatorum Theologus, de exitioso illo Interim pro Catholicę fidei puritate sępius egerat: Pontifici à consilijs, & Confessionibus; Piscatoris annulo diplomata Pontificia obsignantem: semper tamen ambitū auersantem, familiari Symbolo, *Abstine, & sustine*, contra mundi illecebras se munientem: ad quietem aspirantem, & pro ea crebris lacrimis suspirantem: ex Aulę tumultibus ad Nostra, vel Cassinatum Patrum claustra, tanquam ad Beatorum sedes, anhelo cursu fugitantem. Libabat hos flores, florilegus Andreas; ac in semet infremebat; recogitans, quàm ipse ardenter, quantulus homo, ad honores inhiasset despectos summis Viris, contra eos tàm generosè obluctatis.

Sed nullo maiore desiderio vrgebatur Andreas, quàm vt Pauli IV Sanctissimos pedes exosculari daretur: illum enim Religio semper venerabunda suspexerat; multumque illi se debere profitebatur, quippè cùm, fama orbi notus & Episcopali dignitate reuerendus, Religionis negotium ipse perfeciſſet; dū B. Caietanus assiduę contemplationis dulcedine detentus esset: Et feliciter Andreę factum, eo tempore Romam adijsse, quando sedatis iam bellorum tumultibus, dæ-

monis

monis arte excitis; propinquis Vrbe ac Domo eiectis, redditaque Orbi pace; Pontifex se ac totum in vnam Catholicam fidem reparandam deprauatosque Aulæ mores corrigendos occupabat; ea animi tranquillitate ac segetum vbertate; vt proprio ipse diceret ore, inde auspicanda sui Pontificatus initia. Eius eloquio ac maiestate, mirum quàm fuerit animatus Andreas ac zelo Regularis obseruantiæ, quam tunc maximè in cęteris Religiosorum cętibus moliebatur Pontifex, accensus. Triginta quinque dierum spatio Romæ commoratus, VIII. Idus Maij Neapolim redijt.

IACOBVM MOLANVM IN EXTREMO conflictu contra Dæmones suis precibus iuuat.

CAPVT X.

INcrementa sanctitatis in Andrea post Religionis ingressum dilucidè patentia; neminem non extimularunt ad eundem vitę statum capessendum; ex ijs, qui Neapoli purioris vitæ semitas terebant. Inter cęteros, Iacobum Molanum excitarunt; Sacerdotem, qui tam rigidum ac seuerum imperium exercuerat in sensus & affectus suos, vt vita ipsius proponeretur cunctis tanquam perpetua morum censura: Hunc tamen occidua ętas roboris iam effœta, multorumque languorum scopulis illisa, imparem oneri subeundo reddiderat. Verumtamen ipse pro abundantia fiduciæ quam in Christum habebat, cuncta sperans prona & peruia, Marinonium adit Domus Neapolitanæ Præpositum, apud quem suas quoque labes expiabat, obnixèque deprecatur; vt se ad cęli atria breui, vt sperabat, transiturũ, collocare velit in sanctæ Religionis vestibulo, ad quã recenti Andreæ exemplo excitabatur; additque se posse cũ Dei gratia & laborioſa pietate, ardua quęcumq; subire, confragosa,

 quęque

quæque complanare. At Marinonius,ſenij aliorumq; morborum agmine circumſtipato, ſuadet extra ſepta vitæ rigidioris extremum illum diem præſtolari, & bonis interim operibus ad illum ſeſe parare. Ægrè id tulit Iacobus, ac deſiderij vehementia adactus,occultas Confeſſario tet endit inſidias,ſibi tamen ſalutares. Primùm enim rogat,vt domeſticam ſuppellectilem ſuam tãtisper in ſacris illis ædibus cuſtodiat, donec è patria ſupremo Vale ſalutaturus conſanguineos & amicos redeat; quod impetratu ei fuit facillimũ. Tùm aliquot dierum elapſo interuallo, eiectum ſe domo à nouo eius conductore lamentatur, nec poſſibile eſſe paucorum dierum vſuræ,alteram domum reperire; publica hoſpitia incommoda eſſe ſeni, indecora Sacerdoti à turba ſeiungendo: vnicum ſibi ſupereſſe ſuffugium in eius charitate; tectum ſe tantummodò petere,prætereà nihil. Commiſeratus hominem Marinonius, iubet eum cum charitate recipi; in vnam ex noſtris cellis collocari; lectum ſterni, ac cætera ex noſtra paupertate apparari. Intereà Patres ad cœnam in Refectorio conuenerant: & ecce hoſpes in ipſo medio,humi ſtratus, ante omnes, perrumpens cęlum vi gemituum, effuſione fletuum, ardore ſuſpiriorum, crebritate ſingultuum, admitti ſe ad Religionem efflagitat. Tùm Præpoſitus imbecillitatem virium librans, ac ſpiritus impetum cómetitus, coniectusque Diuinum aliquid in eo latenter aſſeruari,conuerſus ad ſuos,*Eia*, inquit, *Patres*, *non meretur tantus feruor repulſam*: & in Noſtrorum numerum eum cooptauit ipſo die vigeſimo ſeptimo Nouembris, qui B.Iacobo interciſo in Eccleſiaſticis faſtis ſacer deſcribitur. Receptus eſt,tantùm, vt ardentiſſimi deſiderij meritum videretur aſſecutus: nam exacto Hoſpitij quadrimeſtri,atque ad Probationis annum admiſſus; decretorium mortis ſuæ diem adeſſe perſenſit. Expertus eſt autem, maximo animæ ſuæ fructu, Andreæ charitatem,atque orationis efficaciam. Huic, eius cura in vltima vitæ linea conſtituti demandata Rem ipſe-

met

met teſtatam reliquit in Tractatu quem de ſpe & timore conſcripſit. Nam, ipſa die D. Pauli Commemorationi ſacra, dùm cęleſtium colloquiorum pabulo moribundum ſolaretur; illum videt admirabili quodam gaudio perfundi & exilire: Quidnam ſit, interrogat; auditque Beatiſſimam Virginem Mariam ſibi tunc affulgere dignatam eſſe. Procubuit ad hæc audita Andreas in genua, & in faciem: & Iacobus poſteà congaudere illum ſecum rogat, cuius mentem piiſsimę Matris viſitatio mirificè recreaſſet; ipſumque bono eſſe animo, cuius obſequia & procubitus fuiſſent Virgini apprimè chara; viciſsimque pariter gratiarum largitrici gratias habendas. At bonorum noſtrorum inuidi, Deique perduelles Angeli, vt Iacobo viam ad cęlum intercluderent; illicò minitabundi, velutque ad prædam inhiantes, lectulum eius obſident, formidabili quodam modo pro ſuo iure animam illius euocantes: ille concuſsione lectuli; crebro anhelitu; tractis ab imo pectore ſuſpiriis; corpore ob animam ad ſummas anguſtias redactam, ſudore perfuſo; pauoris ſui dare teſtamina: Andreas illum confortare, & in ſpe Redemptoris validè firmare: illi rurſus, actionem, & accuſationem inſtituere; & noxarum obiectatione ad miſerandam aſſequędæ Beatitudinis deſperationem inducere: atque ab ipſis cunabulis vitæ acta repetere; eorumque rationes exigere: territus animo Iacobus, multis ſe negare obnoxium; aliorum, miſericordiam conſecutum affirmare; aliorum, veniam deprecari: Dubio euentu, ecce Andreas palęſtritē ſuum adiuturus, audacter in infernales miniſtros inſiliens, imperio precum, orationis efficacia, caſti & intemerati corporis puritate oppidò illis aduerſa, illos ſtatim cöercuit atque ad barathri tartara cōtruſit Iacobi mente tranquillata. Hæſit poſteà aliquātiſper Andreas, & cū obeūte, attonitus ruminat, quibuſcū nobis in mortis vicinia colluctandū, quātularū rerū à nobis rationē exigēdā, quibuſq; laboribus ad cęlū ſit enitendū. Poſtera die Iacobus agonis ſui prędmia à iuſto agonotheta in cęlo recepit.

NOVITIIS INSTRVENDIS PRAEFICITVR.

CAPVT XI.

QVadriennio toto vitam priuatam vixit Andreas, expiandis tantummodò per Pœnitentię Sacramentum animabus intentus. Anno verò Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, publicã etiã inſtituere coactus eſt; vt illam ad ſanctitatem; ita & iſtã ad prudentiã; vtramq; tamẽ ad exemplũ. Nouitiorũ enim formandorũ cura illi demãdata fuit à magno illo ſpiritualiũ Magiſtro Marinonio; iudicante, eũ qui ſemel iã in vno cõmilitone ſuo gloriosũ de diabolo reuexerat triumphũ; iteratò id facturũ ac ſæpiſſimè in ſuis quotidie tyronibus. Hanc autẽ curã à ſe primũ eſt aggreſſus Andreas; exiſtimante ſe prẹuio illos aſſumpturos virtutũ decora; & ex ſe, tanquã ex optimo exẽplari deſumpturos mores ſuos ab omni impuritate defęcatos; illisq; non ſolas aures duces futuras ad probitatẽ, verũ & oculos. In ijs verò inſtituendis probandisq; nullę artes deſideratę ſunt: nã artificio mirabili ad cuiusq; indolẽ ſe cõponebat; ſụauiùs, inſuauiùs; at sẽper amãter. Omnibus ex humanitatis compaſſione omnia factus, vt omnes lucrifaceret: ſed ex humanitate integra, & plena; hoc eſt, ſe ipſo non excluſo. Quare, cũ interdiù cogeretur inſtruere illos & fouere, ac ſęculariũ prętereà cõfeſſiones audire; internoctù poſteà binis ſeu ternis ante Matutinũ horis è lectulo conſurgebat ac in genua procũbens prolixè orabat. Sed comperta erunt iſthæc magis, cùm de eius virtutibus inſtituetur narratio. Decennium in hac arte ſe exercuit: nec enim ab ea deſtitit, etſi aliquando Neapoli Præpoſitum egit: Atq; ad eorum inſtructionem, qui Nouitijs regendis præficiendi eſſent, inſignem conſcripſit Tractatum, qui hodieque extat. Sub hoc non pœnitendo Magiſtro, Religio dignitate ac numero auctior eſſe cępit, & prẹuidit ipſe lætiſſimę prænuncia ſegetis: Ex ipſius enim agro

ducti fuere posteà multi pietate soboleſcente inſignes, quos ſæpiùs etiam non vocatos, obuios in hoc opere intuebimur; illos præcipuè, quos ipſe virtutis aliqua excellentia peculiariter dilexit. Mirum autem fuit; hominem, qui altè animo infixerat ſuo, omnes, ſi licuiſſet, ad hanc Agni cęnam aduocare, etiam compulſos intrare; cunctantem tamen fuiſſe, & conſtanter inexorabilem, ne vacillantis valetudinis, dubiæque ſanitatis hominēs admitteret: Ipſique tanquam auctori peruulgatum illud aſcribitur, *Religionem animorum, non corporum, eſſe valetudinarium*: quòd ſcilicet, quanta quanta eſt, in curandis animi morbis occupari debeat; verùm corporis curam delicatulè fouendi, vti certam ſui perniciem auerſari, vitare, impedire.

OBITVS MAGISTRI SVI MARINONII. *Hiſpanica profectio tentata.*

CAPVT XII.

EXeunte anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Marinonius, cuius toties meminimus, quiue Andream in Chriſto genuerat, è vitę huius ſtatione deceſſit, ad cęli gaudia euocatus, Beato Numinis aſpectu fruiturus, cùm illi efflueret ſecundus ſupra ſeptuageſimum annum. Hic inter ipſas mortis anguſtias, multa de plagis Domini meditatus eſt, quæ ex dicentis ore à Saluatore Caracciolo poſteà Compſano Archiepiſcopo excerpta, typisque nunc tradita, piorum manibus & cum fructu teruntur. Ipſo tandem die tertiodecimo Decembris, qui D. Luciæ ſacer eſt, cuius oſſa Venetijs vbi ipſe in lucem editus fuerat, aſſeruantur; Neapoli verò, vbi fere trigintannali habitatione vixerat, D. Agnelli Ciuitatis Patroni peruigilio dicatur; relictis corporis exuuijs ad ſempiternæ lucis gaudia fuit accitus, eo prorſus temporis momento, quo in-

Cho-

Choro ad Vesperas concinebatur Antiphona, *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.*

Quod ad Andream attinet; is toto eo languoris spatio, decumbentis Magistri lectulo pœnè affixus visus fuit: Horarias preces quotidie, vltimo etiam vitæ die, non alius cum eo, quàm ipse recitauit; & quidquid intereà is cęlo magis quam terris propior, ex lectulo tanquam è suggesto concionabundus de rerum fugientium contemptu disseruit, ac de propositis æternorum bonorum præmijs, scripto excepit; vt his velut supremis parentis sui tabulis auctior fieret ac ditior. Post Magistri mortem, permulceri cępit Andreæ dolor: putauit enim certò, dignam cęlo ipsius animam Deo commendatam, ad ipsum transmissam. Recreabatur quoque iterati promissi recordatione, quo ille, se, quem ipse doctorem & directorem vitæ spiritualis expertus fuerat, tutelarem multò magis in cęlis despondebat, ac de sui perseuerantia sollicitum. Sed nec illud minori fuit Andreæ solatio, quod Beatrici Carafæ Pauli IV sorori contigit. Ea enim relicta Io. Aloysij Lagonissę, cùm ferè nonagenaria esset, peruigil supremum diem expectabat. Ipsam Andreas à Romana peregrinatione redux inuisebat sæpiùs, vt Pontificis votis ac mandatis obtemperatum veniret. At ipsa nihil aliud ab Andrea frequentiùs rogitabat, quàm vt precibus suis flecteret vitę ac mortis Dominum, vt eo die è carcere vitæ huius sibi daretur emigrare, quo Sanctus Dei (eo quippè nomine appellabatur Ioannes) cęli penetralia scanderet. Non cessauit Andreas Diuinam erga Beatricem consolationem audaci quadam fiducia conciliare. Hanc certo vidit euentu: amborum enim eadem vitę linea, idem terminus, idemque momentum: cunctis admirantibus, ac vno ore, Dei in supplices suos benignitatem commendantibus.

Post hæc, impetu quodam vehementissimo in Hispanias optauit commigrare, quando eas Paulus Aretius petebat: ad

vnicam

vnicã tamen regulã voluntatis Diuinæ, ſuã exęquare ęquũ iudicauit. Quare negatam à Superioribus proficiſcendi voluntatem, tranquillus excepit ac ſedatus: Nam affectibus moueri, humanum eſt; illis affici, peſſimum; quotieſcunque enim adoleſcunt, in noſtri perniciem conualeſcunt, virtuti obſtrepunt, eius munia conturbant, atque ab ea nos faciunt ſegreges. Perfecti autem viri eſt, illos domitare, compeſcere, cöercere: quod in Andrea expertum fuit. Profectionis hęc erat opportunitas. Cùm Tridentini Concilij Decreta Pont. Maximi Pij IV iuſſu publicarentur, Philippus II Hiſpaniarum Rex, acerrimo fidei Catholicæ zelo exardeſcens; vt pro ea fortiſſimum propugnaculum extrueret contra hæreſum tabem ac labem, Germaniam totam tunc populantium; decreuit in Regno quoque Neapolitano Tribunal ſanctæ Fidei erigi, quod in eius violatæ reos, bonorum etiã proſcriptione poſſet inquirere. Neapolitani, quorum obſequia erga Deum & Regem, ſemper ſolida & ſincera fuere; infauſto nũcio perculſi, imperium Philippi aliquantò durius non deſperarunt mitigare: & coacto concilio, ad eius vultum deprecabundè deliberant, & reuerenter accedere. Occurrit ſtatim Aretius Neapolitanæ tunc Domus Præpoſitus: multumque de illo ſe polliceri audent, quem ſciebant Regi eſſe chariſſimum, ac probitate notiſſimum. Excitus eſt Andreas eius comitandi cupiditate; quòd vidiſſet eum obfirmato animo honorariam legationem, quamue multi auidè expetebant, excutientem. Nam Sex-viris Neapolitanæ Ciuitatis obnixè id ab eo efflagitantibus, apertis verbis Paulus abnuerat. Adiunctæ preces Proregis Parafani Riberæ Ducis Alcalæ; eæque irritæ. Recurſum ad Pontificem, opera Aloyſij Requeſenſij Militiæ S. Iacobi Commendatarij maioris, Oratoris Catholici; ſed incaſſum: nam Pontificis nomine à S. Carolo Cardinale Borromęo ſcriptas literas, ſubterfugerat Paulus, vti nullo pręcepto cogentes. Additę ſecundæ, ac tertiæ, repetita iuſsione in virtute Spiritus ſancti; quibus tandem

manus

manus dare coactus fuit. Extorsit hoc Pauli factum ab Andreæ animo, ad honoris decora olim inhiantis, ingentia desideria eum comitandi; quem in rerum caducarum despectu supra hominem existimabat; sperabatque in Hispanica legatione, hausturum se ab illo tanquam ex perenni humilitatis fonte, proculcandæ humanę vanitatis innumera exempla. Ad hæc, vacillans Pauli valetudo, ob quam ipsemet Pontifex, relatu Oratoris Catholici, primis literis à præcepto abstinuerat; vicinęque senectutis molestiæ (nam annũ agebat quinquagesimum tertium) anxium de eius salute reddebant Andream, solliciti exhibitione obsequij, imbecillitatem ipsius inter itineris angustias & pericula, vtcumque fulcire sperantem. Existimabat item, & iure, futurum Paulo periucundum, cuius patentia præcordia Religionis amore inflammata cernebantur; si non quiuis ex ea, sed ipse secum pergeret, eius olim in spiritu collactaneus, omniumque laborum particeps, quocum posset consuetis de virtutũ adeptione & vitiorum extirpatione exercitamentis proficere: nec mutua charitate vinctos, locorum interuallis esse seiungendus. Paulus quoque impensè à Pontifice efflagitauerat, abeunti sibi in Hispanias, in Domus suæ Præfectura subrogari Thomam Goulduellum, gente Anglum, patria Cantuariẽsem, insignem sanctitate virum; qui paterno solo ac nobilitate contempta, solemnia Deo vota in Neapolitana Domo nuncupauerat Octobri anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi, & à Iulio III Reginaldo Cardinali Polo, Angliæ Legato, socius datus fuerat: à Paulo vero IV Episcopus Asaphensis factus, pro contribulibus suis, egregiam nauauerat operam, vsque ad impiæ pseudoreginę Elisabethę Regnũ; quando desperatis iam rebus, rursus Neapolim petijt, vbi etiam Prępositum, Episcopali licet dignitate insignitus, egit, antequam ad Tridentinum Concilium à Pio Quarto mitteretur. Sed id negauit Pontifex: nam Goulduelli opera in Belgio vti decreuerat, vt labantes in Catholica fide Anglos,

quo

quo posset modo repararet. Paulus ergo cùm euanidam spem suam de Asaphense comperisset; assumpto in socium Petro Caputo, non putauit Andream loco dimouendum, ac proinde Domui, imò & Ciuitati toti, per eius absentiam pessimè consultum ire. Id fuit Andreæ iniucundum: attamen renouato per obedientiam proprij arbitrij holocausto, insultantem animum prohibuit exilire, illumq; intra propriæ abnegationis carceres compescuit facillimè.

NEAPOLITANAE DOMVS PRAEPOSITVS creatur. Venatus insignem peccatorem, noctu à dæmonibus vexatur.

CAPT XIII.

CVm decennium Andreæ imperatum fuisset, facile factum fuit, vt bene ipse didicisset imperare, & optimè præfuturus speraretur, qui optimè ante paruerat. Hac certitudine spei, Neapolitanæ Domus Præpositus est renunciatus. In eo ipse gradu constitutus, decreuit apud se; priùs imperare sanctitate morum, quàm potestate. Vitam suam, legem futuram gregi: & omnino se velut holocaustum integrum & illibatum pro fratrum suorum salute Deo dicare. Typum porrò perfecti Clerici Regularis, expresserat in Neapolitana Domo Marinonius: Eius vestigia pede certo presserat Aretius, qui Andream in Præfectura præcesserat: ijs insistere, vt videbatur arduum, ita securũ ac tutũ. Attamen sedulis ministris semper allaborandi nouę erumpunt occasiones: viciſſimq; Deum verè quęrentibus, præstò adest, & vbiq; ipse Deus. Andreæ profectò in vita priuata pro eo laboranti, nulla vnquã fuit requies: at in publica & Præfectura, insatiabilis etiã quædã fames addita; animas sibi concreditas ad perfectionis metã, quò & ipse tendebat, omni ope secũ prouehendi. Et certè cooperante Deo; segetis,

ſeu perceptę, ſeu ſperatę fuit maxima lętitia. Triennium enim pręfuit, & ſub ipſo multi Chriſto in Religione nomen dederunt. Horum agmen duxit Ioannes Franciſcus Solarius Genuenſis, quem in extremo conflictu, nobili triumpho de hoſtibus reuecto decoratum, Andreas ipſe palam atteſtatus eſt: Clauſit verò Baſilius Pignatellus, filius Marchionis Lauri, ac Eques Sancti Iacobi, nunc Epiſcopus Aquilanus.

Non multum effluxit temporis; quando vnum è ſuis filijs cum ingenti ſuo gaudio ad cęlum meritis onuſtum, vidit euocatum. Is fuit Iulius de Ponte; Ioannis Franciſci natu maior, qui & ipſe quoque ex Marchione Murconi, & ſupremi Italię conſilij apud Philippum II Catholicum Regem, Conſiliario, ac Neapoli Collateralis conſilij Decano, iam ſeptuagenario maior, Deo ſe in hac minima Religione dicauit. Etenim, cùm Genuam peſtilentię lues graſſaretur; qui tunc ibi Prępoſiti munus agebat Paulus Pignatellus, quatuor è noſtris Sacerdotibus (ne omnes periculo ſubijceret) ſortitò elegit, qui morientibus Eccleſię Sacramenta miniſtrarent. Prima ſortitione, Cornelius Solarius prodit: tũc trepidare Iulius, ne ſortem experiretur aduerſam, quę nolentes quandoque adigit, volentes abigit. Quare priſtino naſcentis Eccleſię feruore renouato, vltroneum ſe & ſponteneũ decedentium offert miniſtrum certiſſimoque interitui deſtinat & morti; quam paulò poſt oppetiere, tùm ipſe, tùm qui tertia & quarta ſortitione prodierunt, Ambroſius Baronus Bituntinus, & Alphonſus Oſorius Hiſpanus.

Ioannem quoque Scorcouillum peculiari quodam iure dicendus eſt Andreas enixus. Cęteris enim Patribus de eo in Religionem admittendo ambigentibus, ac fortè refragantibus; veritis ętatis teneritudinem, à qua ſuccubitum puero ſub Regularis diſciplinę onere timebant; vnus Andreas pro illo ſe vadem conſtituens, ſpondet vberrimam ab illo virtutum frugem colligendam; Patresque idcirco libentes in ſuam traxit ſententiam. Quod, irrito ne, an proſpero prędixerit euentu;

euentu ; iudicium sit pœnes considerantes, ipsum ad summum Religionis gradum euectum, ipso etiam Andrea in humanis existente, maximo zelo per sexennium, Prępositum Generalem egisse,& alia sępius alia munia.

De Andreę verò solertia,redibit iterum sermo, quam adhibebat in traducendis subditis à mundi illecebris ad operosę charitatis exercitia & contemplationis dulcedinem : eiusque arte mirabili, qua cuiusque propensionum gnarus, suo quemque cibo & esca capiebat.

Per ea tempora inuisit Franciscum Molignanum, Oppidū ditionis sue incolentem, quod Pomilianum dicitur, cui Pœnitentię Sacramentum impertiuit, itidemque omnes quotquot habebat ille domesticos familiares, eodem salutari lauacro emundauit. Sed animarum helluo Andreas, cęteros quoque loci incolas adegit ad eximij eius beneficij participationem, integrumque diem ijs Christo reconciliandis impendit. Erat quidam ibidem, inueterato ac sęuo odij morbo & insanabili pressus: in eius etenim pectore, cęco perciti furore,ingentes iam irę sat loci inuenerant; nihil iam prętter odia & necem inimici meditantis. Ipsi ad pacem suadendo,adstiterant multi frequentesque ; sed fatigati destiterant ; surdo enim fabula narrabatur, contra omnia bonorū hortamenta obnitenti, vltima semper mala inimico minitanti, & à nefario obduratę mentis proposito, nunquam recessuro, nisi trucidato aduersario & frustillatim fracto, discerpto,conciso. Aduentante Andrea,accurrere statim ad ef feratum hominem amici, totaque conniti ope, vt ante illum pœnitentium amantissimum Patrem, sese truculentis sordibus expiandum sistat. Ille reniti,eorumque preces ac suasiones eluctari ; ac tandem velut per irrisionem,ludibundus accedere. Sed Andreas interim precibus suis impetrauerat à benignitate diuina, vt lucis sue radijs, indignum licet collustrare dignaretur. Complexatus ergo hominem, illicò noxas ab eo commissas exaggerauit; quibus cęlestem iram in

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ſui vindictã iuſtè concitauerat; ſempiternaq; inferorum ſupplicia, quibus affatim foret torquendus: Ex infinita tamen Dei clementia, miſericordiæ Diuinæ theſauros aperuit: & affulgente tũc pietate Numinis, ſenſim cępit efferati animus frangi, domitari, miteſci, in ſe ipſum ſubiraſci, agnoſcere plenam flagitijs vitam, flere, dolere, in diriſſimas ante actæ vitæ execrationes effũdi, & inexpectata prorſus metamorphoſi, ex leone iam ouicula, ex impio pius, ad inimici genua procubus aduolui, ab illo veniam deprecari, ipſum amplexari, oſculari; maximoque doloris ſenſu de patratis à ſe peccatis concepto, vulnera conſcientiæ ſuæ omnia ante medicum Andream ea curaturum aperire. Sed oſorem generis humani, diſſidiarumque ſatorem Diabolum; peruerſi huius conuerſio dolenrer cruciauit. Cùm ergo ſe videret deluſum, amiſſo quem in cauea ſua habebat incluſum; in recluſorem Andream cępit ſæuus incrudeſcere. Nec diù diſtulit vindictam: ipſa enim nocte media, cùm feſſa diurno labore membra ſopori tradidiſſet, ac in lectulo conquieſceret cum ſocio ſuo Michäele à Conſulibus horum teſtimonium reddente, cùm Epiſcopus eſſet Soranus; dormientem adoritur, conaturque eum ſtrangulare. Expergefactus ſocius inaudit, interceptis quaſi faucibus, eius ſpiritum pœnè extingui; maturat propterea anhelanti ſuppetiari. Sed humanam opem reſpuens Andreas, Diuina tantùm ſe tuetur, ac in genua procumbens reliquum noctis orando tranſegit. Albeſcente die, percontatus Michäel, ecquidnam ſibi internoctù contigiſſet? audit; ter ſe à diabolo ob raptam illi prędam immugiente appetitum, ſpiritum eius elidere conato; ter ipſius niſus irritos factos. Id verò ſibi oppidò eſſe familiare, quotieſcunque talia egregia facinora in Dei gloriam patraret. Attamẽ diuina ſemper cooperante clementia, fruſtrà ſe illos aggreſſos; & eoùsque territãtes illum dęmones, ſemper ignominiosè ſuccubuiſſe: Reddendas proinde ab ipſo quoque debitas Deo grates: quem

ea oc-

ea occasione non destitit hortari, vt in communem se studeret hostem armare; & impigrè certare, quò ex igniuomis ipsius faucibus animas Christi sanguine redemptas posset eruere.

MEDIOLANENSEM DOMVM A S. CAROLO erectam incolit.

CAPVT XIV.

QVandiù S. Carolus Romæ fuit, à Summo Ecclesiæ Catholicę Pastore Auunculo suo in consiliorum partem, immensique oneris leuamen ascitus; oculato experimento vidit, quàm essent Nostri ab omni terrenorum affectu defœcati, tantùmque Diuini Numinis gloriæ propagandæ, quà Concionibus, quà Confessionibus, sacrorumque Templorum nitore, solerter intenti. Perlustrauit, & obseruauit præcipuè Domum nostram S. Siluestri ad Quirinalem collem: quæ frequentioribus tunc ædificijs, vt hodie, minimè circumsepta, sacra quædam eremus ei visa est, & asceterium quodam, siue exercitatorium virtutum: Ventitabant enim ad illam, loci venerabilitate illecti, quotquot sanctioris vitæ cultores censeri cupiebant & esse. Inter quos & S. Philippus Nerius; quo satore, permulti ibi tanquam in fœcundo solo & sub propitio cęlo, spiritualium collationibus & exercitamentis, ad maturam frugem citò perueniebant: quorum plerosque Sanctus ille in ampla diuersarum Religionum horrea lætus condebat. Multos illi Nos quoque acceptos ferimus: Sed in primis nobilem illum manipulum Sebastianum Mancinum conciuem suum; cui ipse decenni, robustarumque virtutum in tenera illa ætatula promo, cælestis vitæ præmonstrator datus à parentibus fuerat, ac ductor; perspecta angelica eius vita, micantibusque sanctitatis fulgoribus, quotidianã illi Eucha-

ristiæ

ristiæ sumptionem non renuit & cum fructu concedere: eumque velut cęli accolam semper deinceps fuit veneratus. Sed præreptum mundi periculis,in eodem virtutum feracissimo Quirinali solo collocauit. Vnde vix Deo per solemnem professionem nuncupatis votis, subductus terris adolescentulus, immortalitatis regionem felicissimè tenuit. Vt Philippo; sic & Carolo, frequens ad hunc eundem locum ventitatio, seria cum Nostris confabulatio, insolita ipsorum virtutum demiratio. Hic etiam ad Sacerdotium, quo, mortuo Friderico Comite Borromęo fratre suo, quàm primùm insigniri satagebat, seiunctus ab Aulæ tumultibus, se per aliquot dies apparauit. Vitam quoque suam per id temporis apud Nostros instituerat Magnus ille Gulielmus Sirletus ipsiusmet opera paulò post sacra Purpura à Pio Pontifice decoratus; Græcæque ac Hebraicæ linguæ peritissimus,tres ex Nostris ijs imbuebat, Ioannem Baptistam Viualdum,immatura morte earumdemque literarum æterno damno denato,Gregorium Florellam,& Antonium Agellium,optimè de Sacræ Scripturæ interpretatione, Bibliorum Vaticanorum correctione,sacrorumque Conciliorum editione meritum. A Sirleto,minutula quędam,vestigatrice cura scisscitatus Carolus; inaudijt, plura abdi in Nostrorum penetralibus virtutum robora, Deo cunctorum conscio intecta & recluſa; quàm, quæ exteriore illo amictu mortalium obtutibus patescerent.

Vt primùm ergo Carolus, Pontifice è viuis sublato, grauem illam sarcinam è suis humeris excussit; Nostros Mediolanum accersijt: impedimentis tamen quibusdam,res non ante annum septuagesimum eius sęculi confecta est, in Comitijs Generalibus Romæ eo anno celebratis; studio, & industria Cæsaris Speciani, posteà Cremonensis Episcopi, id Cardinalis nomine apud Patres sollicitè curantis. Annuentes Patres, eo ablegant Ieremiam Isachinum designatum Præpositum; Andream nostrum Vicarium; & Io. Paulum

Mon-

Montorphanum,ternionem Apoſtolicorum Virorum:iiſque addunt non contemnendæ virtutis, Michaelem à Conſulibus,Saluatorem Caracciolum,Ignatium Pugiolum, Paulum Pignatellum,Vincentium Tuſium, Andream Mormilium, Ioannem Scorcouillum, & alios. Ducenti aurei à Cardinali in Noſtrorum viaticum ſuppeditati, & Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Sanctum Calimerum extra portam Romanam tradita, quam incoluerant fratres Humiliati tùm extincti. Hanc Cardinalis ſuis expenſis ſacra inſtruxit ſuppellectili, quemadmodum & domum,vtenſili,ac familiari.Mediolano,vt auditum aduentãtium ſocietatem ſanctitatis fama conſpiciendam appropinquare; approperant Caroli familiares, eique ſiunt obuiam extra portam Romanam; ad Cardinalem deducunt,auidè eos expectantem, benignè excipientem, intimisque viſceribus complectentem: adaucto enim feruentiũ cooperariorum numero,totus hilareſcebat. Septenniùm hic demorati: poſteà enim cum noſtri in tabifica lue Ciuitatis vaſtatrice,propriæ vitæ fuiſſent ſæpius prodigi; Archiepiſcopus, qui omnia reſciuerat; perpetuoque molimine, maiorẽ gregis ſui vtilitatem meditabatur; ex angulo Ciuitatis in illius centrum eos aduocauit,vt alias dicemus.

Sed, vt ad Andream reuertamur; ipſum in familiare colloquium excepit ſæpius S.Carolus,in penetralibus animi intimoque cordis ſui. Ipſius ope,in ijs quæ Paſtoralem curam attinebant,ſæpiſſimè vtebatur, ſicut & Iſachini, & Montorphani. Sed Carolum illicò Andreas, vel ipſo primo conſpectu medullitùs introſpexit; conceptaque digna de ipſo exiſtimatione, expreſſum verbis & egregium ſanè, de ipſo reddidit teſtimonium: Non enim dubitauit cum Paulo Mola familiari ſuo collocutus,& cuius ipſe Neapoli ſolemnia profeſſionis vota exceperat, & alijs; miraculorum patratorem eum nuncupare, atque in Album Sanctorum à Chriſti Vicario aſcribendum certò certiùs prædicere. Inſignis hoc anno fuit Mediolani annonæ caritas, frugum inopia;copioſusque

fame

fame enectorum numerus ; copiosior certè futurus , ni Cardinalis,periclitanti plebi,opportuno remedio consultum veniſſet ; patentibus gratuitis comeſtibilium officinis , in ipſis Archiepiſcopalis Palatij porticibus,extructis . Sed Andreas, tanquam ex eorum cœtu,qui ſupernè tantùm,non ex certo censu aut petitoria arte Dei misericordiam expectant ; Cardinalis & Mediolanensium pietatem abundè fuit expertus . Cùm annum Mediolani egiſſet, aduocante Paulo Cardinali Aretio Episcopo Placentino,Placentiam petijt .

ACTA EIVS IN PLACENTINA CIVITATE, & obſequia in Farneſios.

CAPVT XV.

NAm , fulgentiſſimum illud Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aſtrum Paulus Cardinalis Aretius,vix Placentinæ Ecclesiæ gubernacula Pio V. in Sancti ſpiritus virtute iubente, ſuſceperat ; cùm , ne iacta per ipſum Chriſtianæ reformationis fundamenta , conuellerentur ; in partem ſollicitudinum ſuarum , dilectiſſimos ſuæ Religionis Patres quibuſcum per annos viginti & vnum vixerat,aduocandos duxit ; Templũque eis tradidit vbi Eccleſiaſtica munia exercerent, Leuitæ ac Martyri Vincentio ſacrum . Noſtri verò , vt Cardinali facerent ſatis,Andream Mediolano euocatum, illò deſtinant, ipſius olim in ſpiritu collactaneum , Præpoſitumque Domus renunciant . Adiuncti alij,Roma,Neapoli,ac Venetijs accerſiti ; inter quos & Ioannes Paulus Montorphanus indefatigabilis ac ſedulus animarum operarius.Initio autem omniũ, Andreas exhilaratus fuit , dum coram intueretur Paulum ingenti auſu Paſtorale munus aggreſſum ; in perpetua ſtatione excubantem in ouilis ſui cuſtodiam ; in prauum dilapſa , feliciter reſtituentem ; charitate libera & liberali, pauperum indigentijs ſubuenientem ; difficilia & inſueta peragentem ;

ardua

ardua ſuperantem; mundanos faſtus proculcantem ; contra incurſantia inimici agmina , orationum propugnaculis ſeſe vallantem (orabat enim quotidie ſummo mane poſt Matutinas preces,quibus,vt & cęteris Canonicis Horis,intererat, duarum horarum ſpatio publicè in eadem Cathedrali Eccleſia ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti) Quarum valido prouocamento excitatus Dominus,cęleſtibus eum donis cumulatè exornauit:adeo vt ipſemet Andreas,minimè dubitarit defunctum iam & Archiepiſcopatu Neapolitano perfunctum , ad cuius Eccleſiæ gubernacula , ex Placentina fuerat translatus;Carolo Borromæo miraculis tunc inclareſcenti ; in terrenorum deſpectu , peruigilique animarum cura cöæquare ; literis ad Decium Carafam datis, Archiepiſcopum tunc Damaſcenum , Hiſpanias petentem Apoſtolicæ Sedis Legatum, nunc S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum, & Neapolitanum Archiepiſcopum .

Illic Andreas , ad excolendum Placentinum agrum ſe totum tradidit : Nec diù ſubſtitit , & omnes breui ſibi adiunxit, morum candore,doctrinæ ſalubritate , cęleſtium colloquiorum frequentia illectos , beatosque ſe exiſtimantes, quos ipſe culpis expiaſſet ſuis.Inſudauit quoq; gnauiter,quò luxuriantem veſtimentorum ornatum, quibus vt plurimùm perditi adoleſcentes ineſcari & irretiri ſolent , à mulieribus cõpeſceret.Memorabile certè fuit;ipſum,quod vix ab ijs impetratur , quibus vel vires corporis affectæ , vel ętas virtutis effœta , & omnia cum corpore defloruerunt ; à floreſcentibus & virentibus iuuenculis nullo negotio obtinuiſſe ; pompas nimirum eiuſmodi; tanquam fœdi amoris illicia deteſtatis;quas intimè poſteà cõueſtitas timore Dei,alebat Altaris cibo ſalutari,& orationis pabulo, in spẽ ęternæ vitę:atque cum ea preſentis fluxæque nouitate; vt ipſum etiam,nõ modò cęteros,in admirationem excirent, ſuetorũ eius ętatis ac temporis morum exceſſu ; quorum omnium, ſecundùm Deum,non alius,quàm ipſe auctor. Talia aggreſſum Andreã,

ſęuus dentium dolor inuaſit, nullo cruciatus interuallo, vt quaſi in æſtuarium acerbitatum demiſſus dici potuiſſet. Doloremque neceſſariò conſęcutus fuiſſet teterrimus eius comes mœror; niſi animum ſuum ea conſolatione refocillaſſet; quòd pro Deo maiora perpeti paratus erat, cuius velut præguſtatoria fercula erant dolores ij, quibus vexabatur, non atterebatur: nec ceſſabat Deo illos pro ſuorum profectu filiorum offerre; contentus eſſe eos ſibi fæuos, ſi forent illis proficui. Commiſerati eius Patres, veritique cęli inclementiam illi aduerſantem; de eo aliorsùm amandando ſtatuunt; iamque res confecta credebatur; cùm inexpectatò, ad idem Præpoſiti munus reficitur, certiſſima opinione, filiorum eius precibus fatigatum Numen id voluiſſe, dolentium tàm ſubitaria auulſione à dilectæ matris vberibus, non ſine maximo interitus periculo ſeſe diuelli.

Satagebat prętereà quàm maximè, è diaboli complexu eas abripere mulieres, quæ propatulæ eſſent libidinis; vt earum ſordibus emaculatis, ex impuris, pura Deo munera libarent. Accidit autem commodùm, Pœnitentium domum tunc à Cardinali Aretio conſtrui, ſub D. Mariæ Magdalenæ tutela & S. Auguſtini regula, exemplo domus Romanæ, & alterius quam ante trecentos annos, Epiſcopus quidam Placentinus erexerat, cuius tamen, ne veſtigium quidem viſebatur, aut memoria retinebatur. Hanc illicò Andreę tutelę credidit ac tradidit. Exeunte itaque Aprili anni Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi tertij, duodecim fœminę, quas hic pœnitentiæ Sacramento expiauerat, atque ad pietatem exſtimulauerat; in eam domum recluſę fuere: Quod vt primùm factum eſt; ſumma ope illi enitendum fuit, contra perdita quædam capita, licentia iuuenili libidinoſas faces illi domui inferre molientium; quò antiqua facies rediret, vetuſque cum ſcortillis conſuetudo minimè aboleretur. Vt autem carptim aliqua de occluſarum profectu dicamus; præiuit cęteris, vt tempore, ſic ſpiritu famoſa quædam ac prædiues

ues Veronenſis. In huius ſiquidem feruido pectore, diuina operante gratia natę virtutes; Andrea fouente educatę fuerunt poſtea fortiter, & in contubernio macerationum: nudis enim pedibus ſemper inceſſit, vilibus induta pannis, inq; ſtramentitio lecto cubans, ac ſemper in oratione pernox, ſolum quoque ipſum perenni lacrimarum imbre perfundens. Fuit & ibi alia, quartodecimo ętatis ſuæ anno pudicitiæ iacturam paſſa: calebat verò huic vernabatque ſanguis, & pertæſa ſolitudinis ac pœnitentię, nauſeantis animi tædium ferre non ſuſtinebat; dubiaque mentis valetudine, miſerè premebatur. Ægrum tamen ipſius animum, ſollicitus Pater conatus fuit ſanare, & profectò ſanauit; nec alio medicamine, quàm ardeſcentis charitatis profuſione, & aſſiduitate: quare, cùm à ſodalibus ſuis iuuencula illa nominanda eſſet; appellabatur, illa Patris Andreę. Sex hodie ex primùm ibi recluſis ſuperſtites viſuntur; ſecura recordatione, memores malorum, quibus ipſo ſuaſore ereptæ fuerunt.

Porrò non proſtitutas modò, ſed & Virgines quoq; hæc Domus aluit, & Viduas, eã incolere non abhorrentes; tantũ, vt ipſo in ſpiritù doctore frui poſſent, ipſum ſequi ductorem. Vnam Iuſtinam Lampugnanam Placentinam ſatis ſit memoraſſe. Hęc enim, claris & copioſis parentibus nata, corporeq; præſtanti forma venuſtato; per id temporis viro ſuo viduata, Andreæ diſciplinę ſe tradiderat. Nec multum effluxit tẽporis, & cęlum intueri cępit, & mortalia temnere, eaq ue faſtidire, quæ aliquando è vita abeunti, nihil opis aut ſolatij eſſent latura, & volenti nolenti deſerenda. Nullis itaque conſanguineorum dehortamentis & minis potuit auelli, quin improperium Crucis lęta ſubiret, interque proſtitutas mutato nomine audiens Paula, ſolemnia Deo vota nuncuparet: tantis intra paucos menſes in virtutum ſtadio progreſſibus, vt haberent hę abundanter, quod in caſtiſſima & nobiliſſima vidua, ſedulò poſſent imitari.

Verùm ijs virtutibus, & laborioſa pietate, iram Dæmo-

num commeritus fuit Andreas; quos perceptus animarum fructus emacerabat; percipiendus excruciabat. Malorum ergo omnium architecti, eius famam apud Octauium Farnesium Parmæ & Placentiæ Ducem adoriuntur lacerare; artibus, vt solent, improbissimis: cui per emissarios suos ementitis commentis Andreæ vitia aperiunt, nulla postera virtute eluenda. Ipsum nempe, aiunt, personatum inludere oculis hominum: gloriolam humanam mercari: prodire in publicum sub imitatione simplicitatis; sed internè excludere quidquid esset ingenuum, sincerum, & purum: laceris vestibus artificiosè circumindui; & in cubiculo pauperiem omnem auersatum, superfluis abundare. Quę protestatis verisque venditantes; ad ipsum, subdunt, spectare, occurrere venienti malo, quod à laruato Religioso vniuersæ Reipublicæ immineret; nec ei posse consultiùs obuiam iri, quàm ipso è Placentino solo eliminato. Octauius, leuiusculam ijs fidem adhibens; quia pernicioſum erat quod promebatur, rei veritatem ipse vestigare decreuit, vt maturo non præpropero consilio, & per certissima & compertissima sibi, in iudicium descenderet; haud nescius multa quandoque à quadruplatoribus moliri & confingi, vt insontibus crimina faceſſant, eosque opprimant. Imparatum itaque Andream in sua cellula inuadit: lustrat circumquaque oculos; nec aliam ibi videt pretiosam suppellectilem, quàm stramentitiam in lectulo culcitram; pauculos super tabulam libellos; ligneum scamnum ad sessionem; luteum vas aquę lustralis; Sanctorum Imagines in charta impressas; ligneam Crucem in cuius amplexu noctu conquiescebat; ac prętereà nihil. Contemplatur admirabundus viri mansuetudinem, modestiam, humilitatem. Miscentur colloquia ex intimo corde prodeuntia, de mundi contemptu, ac cælestium suauitate: Nec vlteriùs se continere potuit optimus Princeps, quin expectoraret illi sui cordis arcana, & quo eum adijsset fine; veniamq; festinæ credulitatis deprecabun-

cabundus efflagitaret; fidemque ſuã pro eo ſemper adiuuã-do ligaret. Virtutibus ergo ſuis, vitijsque aliorum, præceps Andreas in gloriam & amorem Octauij venit. Obſtupefacti & crepantes Diáboli ſatellites, qui odium, qui infamiam, qui proſcriptionem expectabant; viderunt Ducem præconem eius factum, ab eius nunquam laude ceſſantem; accuſantium fraudes aduertentem, & in eos ſtatim animaduertentem. Sic nimirum fluctuare & vacillare viſum eſt cõſilium illud, cui Dęmon fuerat auctor & fautor.

Narrata hęc omnia ab Octauio Duce, Mariæ Alexandri Principis filijq; ſui vxori, è Regio Luſitano ſanguine prognatę, ſed nobiliore virtutum ſtemmate clariori: Quę cognoſcẽdi hominis deſiderio incenſa, accerſitum ad ſe in Parmensẽ Ciuitatem, venerabunda ſuſpexit, atque ad diuinarum rerũ colloquium, vnde ipſa multum ſolidæ hauriebat voluptatis, prouocauit. Quot Andreę verba, tot ignium globuli, quibus Principis pectus inflammatũ fuit: Quę deſiderij impetum cõercere non valens; coacta fuit ad ipſum Placentiam reuerſum litteras dare, quibus ſcripto tradi expetebat, quæcunque ille priuatim in congreſſu illo familiari ſecum collocutus fuerat; & vrſit efficaciter, ad binas ei literas, in poſterum, in menſes ſingulos dandas; è quibus ſedula cæleſtium negotiatrix, ſua manu excerpta puncta, ſeponebat ſibi ad meditationem ter in die ſuper ipſis inſtituendam. Extant plures literæ, continuata temporum ſerie ab Andrea ad ipſam datæ: &, ſi demas ea tẽpora, quibus alteruter apud alterum fuit; & quæ fortè effluxerunt inter itinera Romana, ter ab eo dum Placentię ageret, repetita; videbis debiti obſequij promiſſum ab eo minimè violatum. Scripſit etiam ad illam tractatum de contemptu mundi: multa etiã ei de Alexandro Sereniſſimo Principe viro ſuo vaticinatus.

Ex Maria in Raynutium; hoc eſt è parente in ſobolem tranſcurrit reuerentia in Andream. Raynutius ſexennis ei à matre fuit oblatus, vt eum benedictionis ſuæ dono cumularet.

laret. Quoàd Placentiæ fuit,ipſi ſuas labes confitebatur. In Belgium pergens, ſalutaribus eius monitis noluit deſtitui; ſed ex condicto, ſingulas in menſes ſingulos expectabat literas; ad quas libens lubensque reſpondebat; non Bruxelis modò, ſed vndecunq; metatus fuiſſet caſtra, & ex ipſa etiam prælij acie. Literarum caput erat; aduerſus militarē licentiam,timoris vallo Principem munire: ipſum edocere, quantum inter cęleſtia & humana diſcriminis interiaceret; æternaque perituris præſtarent: ac vigilem curam ſuadere; ne quo ipſe faſtu infatuatus,conditionem excellentiſſimam, qua à Deo decorātus fuerat, dehoneſtaret. Modus autem; tantum ei inſtillare,quantum inter bellicos tumultus poſſet cum ſpiritus accretione concoquere. Primùm inſtituta fuit tractatio de Amore Dei: tùm de Humilitate Chriſtiana: illa opus fuit ad eius animum roborandum; hac, ne ob egregia in Belgio patrata facinora,elatus inſoleſceret: vtraque multis literis, hodieque extantibus explanata. Horum vnam typis traditam Princeps ad Eliſabetham miſit Angliæ Pſeudoreginam; tentatum,an ferreum illius pectus,in Catholicæ fidei obſequium, ſic potuiſſet emollire. Tandem Raynutius dicta eius omnia ſcriptaque ſecum aſſidua meditatione reuoluens: cuius deſperauerat,ſe vnquam poſſe grata præſentia frui, ob deuexam penèque decrepitam ętatem; eius ſimulacrum expetijt; vt, imagine ſaltem poſſet exſaturari, quando colloquio negabatur. Id porrò ab Andrea reluctante, & nonniſi Superioris ſui diris comminationibus adacto, expreſſum fuit,paucis ante eius obitum annis,vt Principi cui multùm ſe Religio deuinctam fatebatur, obtemperatum iretur.

Andreas interim,febris valido morbo preſſus eſt, Nouembri Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi quarti anni. Iterū Iunio ſeptuageſimi quinti, quando vicenûm dierum ſpatio, noctes totas inſomnes duxit,coactus è lectulo etiam deſilire, ne ſuffocationis periculum ex intercluſo anhelitu ſubiret.

LOM-

LOMBARDIAE PROVINCIAM LVSTRAT.
Ab equo raptatur inoffensus.

CAPVT XVI.

DVm Placentiæ degeret, Prouinciæ Galliæ Cisalpinæ lustrandæ onus ei demandatur. Nam in Religiosorum cœtu arctiùs Deo coniungi satagentium; instituitur ea Domorum visitatio, tanquam regularis obseruantiæ fulcrum; quæ labascere quandoque potest; siue quòd, natura in laxiora proniores simus, & ea quæ libertati magis fauent; siue quòd, Superiorum oscitantia, per ignauam quandam clemẽtiam à monitis grauioribus abstinentium, robur illud spiritus elangueſcere possit: &, ne, syluescente paulatim agro, nihil virtutum sit reliquum, quod in Dominicum horreum seponi possit. Visitatoribus ergo egregium hoc opus commẽdatur, Religiosam disciplinam lapsabundam firmare; sartãque ac tectam seruare. Id verò Andreas ausu magnanimo fuit aggressus: Vigilanti enim sollicitudine curauit, ne cuiusquam morbus inueteraſceret: aut ex detestabili ipsius silentio & muto mętu, ęger quispiam periret: neu ex segni indulgentia, noxius quis implexus abiret. Item; vt omnis ętas, procul ageretur ab omni otio, quo in Dei famulatu nihil est periculosius; & ab omni quoque negotio, cui esset altera meta extra gloriam Dei & proximorum salutem. Seriò & non cursim monebat, incitabat, docebat; voto, voce, vita; publicè, & priuatim; nullis vnquam difficultatibus occumbens, nullos labores aut sudores auersatus; ad ardua semper protendens manum: nunquam tamen frustraneo euentu; nam inconsulto Deo, & per orationem inflexo, nihil arripiebat: Virtutum prætereà ipsius fama, multum illi apud omnes conciliauerat venerationis; adeo vt ad confirmandam dubiam alicuius indolem, satis roboris habuisse visa sint hęc tantũmodò verba: *Sic Andreæ videtur*. Tertiùm

dùm

dùm Placentię fuit, eo luſtrationis fine, itineri ſe tradidit. Quod cùm aliquando eques conficeret, atque ex equo deſilijſſet, rurſumque ſe inſulturę accingeret, pedemque in ſubſellari ſtapede haberet; equus feritate incenſus, ſiue impetu raptus, curſu volucri, per auia ruere cępit & fragoſa impetere, ipſumque pendulumque inter ſaxa certò quatiendum ac dilacerandum pertrahere. Effrenem equum, accurſantiũ turba virorum vix cöercuit. Ex ijs, quidam ad Andream acceſſit, vt rebatur, exanimem; erecturus conſternatum, lenibusque verbis à trepidante metum excuſſurus: attamen inuenit eum, per huiuſmodi curſum & raptum, non modò inoffenſum & illęſum, ſed ad grandiora prouocatum: pectus quippè ipſius occupauerat, imò peruaſerat ingens patiendi ardor; atque conſolantem ſe ſolatus: *Age*, inquit, *collætare mecum, quem illicò Deus, abundèque donis ſuis cumulauit, enixè per me antelucanis precibus & in Altaris incruento ſacrificio exoratus, vt moleſtum aliquid pro ſe perpeti, mihi hodie largiretur*. Obſtupefactus ille; *Bellè quidem*, reſpondit, *ingemiſcimus cuncti in malis, efflagitamusque à nobis triſtia remitti, Tu verò Pater, immitti*. Tùm ad adſtantes conuerſus, aliquid in homine ſupra hominem latitare, non dubitanter aſſeuerauit. Ille poſtmodum incolumis iter peregit ſuum.

SCRVPVLIS ANGITVR SVAE SALVTIS, & Baptiſtam Vernaciam conſulit.

CAPT XVII.

CONtra inflantem elationis tumorem, vigili ſemper ſtudio armatus Andreas; in luctuoſum aliquando timorem trepidus incurſauit. Animum quippè ipſius amariſſimę cogitationes torquebant; ſollicitudinum intempeſtiui ęſtus collidebant, angoresque tabifici macerabant: Nimirùm, inuiſa

uisa esse Christo sua studia ; ad cęlestis patriæ hæreditatem, spem ipsius esse prorsus euanidam ; incassum aliorum salu-ti operam impendere , de sua interim dubium ac penè des-peratum . Quibus , consimilibusque curis perpetuò eius au-rem vellentibus,animus quoque lacerabatur, talique metu, inquietato corde,functionum mentis quædam consequeba-tur veluti perturbatio . Hæc dum anxius cogitat tetroque pauori se mancipatum dolet , consilia aspernatus propria , expetijt aliena . Viuebat tunc Genuæ Baptista Vernacia Sanctimonialis Ordinis Canonicorum Regularium in Mo-nasterio Gratiarum : cui,Sanctitatis fama , & scriptorum pe-nè diuinorum profunditas, celebritatem peperit ac venera-tionem . Ad hanc sibi charitatis nexu , dum ipse quoque Genuæ esset, fœderatam, literas dare, cœlesteque per eam placitum exposcere decreuit . Affulsere autem illicò Diuinę bonitatis radij quibus tristitiæ illa nubila quamprimùm di-secta fuere . Id verò non aliunde liquebit luculentiùs,quàm ex ipsissimis Baptistæ verbis , ipsiusque Epistola , quæ typis prostat ; vndè quæ ad rem præsentem faciunt , sequentia ex-cerpimus . Ac primùm quidem , excusatam se vult , nec au-daciæ quòd responderit, redarguendam . *Ad puncta quædã*, inquit,*Epistolæ tuæ, non fuissem ausa respondere,nisi iussu tuo, & Angeli exemplo audentis Dominum in agonia positum con-fortare . Quandoquidem igitur creatura ausa est Creatorem solari,audeo & ego tecum, cuius verba mœrorem ac tristitiam redolent,lætis de rebus colloqui ; certò tamen sciens, in tui cor-dis profundo semper adesse gaudium,dicente Domino :* Gaudiũ *vestrum nemo tollet à vobis*. Et post pauca subdit . *Amaram illam cogitationem,qua nonnunquam cruciaris , tuæ scilicet sa-lutis ob tuas imperfectiones dubius, age omnino abs te elongem factam proijce . Ecquid enim sunt , mundi vniuersi cuncta scelera , quouis in tempore patrata , Bonitati illi comparata , quæ æterna est , & infinita ; Amori, qui æstimatione caret & mensura ? Quonam verò modo, fons boni totius , se amantem*

damnabit, à quo iubemur ipſos etiam inimicos diligere? Scriptum eſt, ſi quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Si à Maieſtate diligimur diuina; num quippiam ab ipſa mali timebimus? Si amanti ſe manifeſtat, eiuſque cognitio vita eſt æterna, quemnam iſta priuabit vita? Scimus infinitum bonum ex ſui intrinſeca naturalique bonitate, non poſſe ſe ipſum negare; immò ob ſui exceſſiuum amorem nos quærere, vt Samaritanæ olim dictum, cùm de veris adoratoribus eſſet ſermo, Pater tales quærit, qui adorent eum. Qui ergo nos dignatur quærere, expellet ne quæſitus quærentes? Memento Scripturæ dicentis; Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet illos. Gaude ergo in Domino ſemper; iterum dico, gaude, ſi infinita illa celſitudo te dignetur amare, tuque illam viciſſim redames. Semper nobis in amoris delitijs iucundandum: nec fruſtrà in amarulentis cogitationibus ex proprio amore naſcentibus terendum tempus. Si noſmet verè ac totos Deo tradidimus, quænam, quæſo, amplius noſtri cura nos inutiliter perurget? Sciet, ſciet porrò æterna illa Sapientia nos, vtpotè rem ſuam, curare. Sufficiat nobis in eius amore perpetuo ac ſeruitio ſemper eſſe diſpoſitos; ſiue ad Inferni barathrum detrudendos; ſiue in beatiſsimis Paradiſi ſedibus collocandos: atque conſtanter obfirmatos; vt oblatis; hinc creatorum omnium dominatu, felicitatisque totius abundantia, abſque tamen Dei amore; hinc verò ærumnis, inter quas temporaria hæc vita tranſigenda eſſet, & poſtera illa æterna inferorum; amarius nobis futurum ſit; mundo frui abſque Dei amore; quàm pro eo, amore ſcilicet noſtro, bonorumque omniũ noſtrorum repoſitorio, cruciari. Quisquis itaque decreuit vſque ad iudicij diem Domino deſeruire; ſiue præmio; ſiue ſupplicio afficiendus; hunc arbitror poſſe omnino in infinito illo bono quieſcere, horisque ſingulis ineffabilibus amoris ſui delicijs perfrui; amarulentis cogitationibus vlteriùs non vexandum, &c. Hæc Baptiſtæ verba animum Andreæ trãquillarũt;

ſedatis

ſedatis omninò, quibus anxiè pauitabat, timoris fluctibus. De ſtatu quoque vitæ proſequendæ conſulta; hoc etiam attulit non impotentis ſolaminis refrigerium. *Circa id, quod ais, expetere te Dei beneplacitum; Num tui tantùm, an & aliorum quoque ſaluti, vti & hactenus feciſti, ſit tibi deinceps incumbendum: Magna ſunt certè iſta, & vix cum doctiſſimis communicanda; non mecum quæ nihil ſum; dicente Apoſtolo, Sapientiam loquimur inter perfectos. Te tamen vrgente, dico: Erga Deum infinitè perfectum, nil poſſe nos boni exercere, nec infinitati eius minimum quid addere, vel minuere; vt abſque vlla mei comparatione probè noſti. Idem tamen ſummè bonus, ſit pro nobis egenus, expectatque auxiliares à nobis manus, beneficos nos ipſe magnificaturus: quodque in infinita te ſua haud valet excipere; libens, lubensque acceptat in dilectis ſuis; quod & faſſus eſt, cùm dixit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quid igitur poſſimus egregius erga Maieſtatem ſuam patrare; quàm cùm, precibus, ſermonibus, operationibus, proximo ſumus iuuamini; conijcere neſcio; vt ex ijs apparet verbis, quibus Petro à Domino dictum eſt; ſi diligis me, paſce oues meas. Cùm ergo certò ſciam, in ſuperioritatis gradu nihil te attuliſſe tui, ſed ad illum à Domino aduocatum tanquam Aaron; ingenti replebor gaudio, ſi te videã pro Dei gloria ſolerter occupatum in adducendis ad ipſum animabus, & pro multorum collatione talentorum, fideliter rationem reddentem. Nec vereor alienæ intentum ſaluti, tuam te obliuioni daturum: imò ſpero ardentiori poſthac cura, te illi inuigilaturum. Augebit porrò ille Dominus omnipotens pro cuius gloria laborabis, augebit amorem, dabitque tibi quod tantopere percupiſti, mundo emori, Chriſti vita viuere. Quæ à me dicta ſunt; Deo ac tibi remitto. Tu te, iuxta infuſum tibi ab illo lumen gubernato.*

IOANNI FRANCISCO SOLARIO se tradit regendum.

CAPVT XVIII.

VErebatur tamen adhùc opera ſua; nec ſe, quem facilè falli poſſe timebat, volebat deinceps arbitrum vitæ, quam ad amuſſim diuinam conformare ſatagebat. Vitam ergo curarum omnium expertem inſtituere peroptans, moresque non pro ſua voluntate; virum quæſiuit cuius nutui parêret, & à cuius imperatis non deflecteret, veneraturus in eo vicariam Dei poteſtatem. Is fuit, Ioannes Franciſcus Solarius Genuenſis, quem ipſe olim in Chriſto genuerat, ingentique cordis ſui gaudio, terrena cuncta videbat forti calcatu proterentem, & arctiſſima cum Deo coniunctione perpetuò vinctum. Id tamen inconſulta illa Baptiſtæ, de qua Superiori capite egimus, minimè eſt aggreſſus. Quàm fuerint, quas ad eam dedit, literæ, humilitate decoratæ; ex ipſius Baptiſtæ reſponſo colligere poſſumus: quod velut egregium de Andreç ſanctitate teſtimonium, pretium erit operæ hic adſcribere. *Admirabilis tua epiſtola ſummopere mihi chara fuit, vtpotè in profundiſſima humilitate fundata: Ex quo comperio, adſtare te, quoad ſit poſſibile, præſentemque eſſe fulgentiſſimo illi aſpectui, quem optabat qui dicebat: Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum; ibique commorantem, veritatem illam agnoſcere, de qua ſcriptum eſt: In veritate tua humiliaſti me. Hunc certè reor veracem eſſe modum cognoſcendi nihilitatem noſtram; cùm ſcilicet, veritas infinita, ſingulis momentis inſpicitur. Nam clariſſimè videtur, Deum verè eſſe boni totius fontem; cuncta verò reliqua, nihil.* Ac paulò poſt: *Aeſtimo te in his ſuperdelicioſis paſcuis occupatum, iure eſſe illuminatum, adeoq; profundatum, vt peroptes diſcipuli tui eſſe diſcipulus. Quid tibi in hoc, Pater, dicam, prorſus ignoro. Sunt enim in literis tuis quædam*

puncta,

puncta, quibus iniussu tuo ausa nõ eßem respondere. Quis enim tu sis, quæuè ego, rectè perpendo. Ex tuo tamen præcepto calamum arripui, Dominum deprecata, vt ipse cuncta peragere dignetur. Paucisque interiectis, rursus ait. *Videris mihi hac præcipuè molestia affici, quòd mundo cupiens ac tibi emori, Christique vita viuere, cùm nunquam, vt ais, id obtinere valueris, totum te, cuiusdam quondam tui spiritualis filij, singulari curæ tradere deliberas. Habeo nonnihil, per quod mens mea cum tuo pugnat desiderio. Nam, ostendente mihi Domino, nisi erro, inter eos censendus es, quibus à Propheta dictum est: Iacta super Dominum curam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Et ab alijs aliter. Sed Euangelistæ Ioannis sententia clarissima est: Vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo. Cùm ergo hac tu sis vnctus vnctione, quid tibi est reliquum, nisi in eam magis, magisque conuerti? At quia nulla prædita sum scientia, qua, vtrum vera dicam necne, iudicare possim; ad Deum conuertor, vt iussisti, ipsum deprecans, quatenus, vota tua, si ab ipso sunt, confirmet; sin secus, dignetur ipse tibi esse ductor: hoc vt feci, sic faciam semper.* Eo Baptistæ responso, quod potius in suæ commendationem humilitatis vergebat, hæsitabundè diu suspensus Andreas; consultius tandem ac tutius existimauit, omninò se Solarij, obedientiæ sacrare, ex veterano milite, rursus tyro; imperantemq; in eo Deum cõsiderare: eò profundiùs æternis immersus, quò potentiùs voluntati propriæ ac perituris reddebatur ereptus. Vltroneam istam subiectionem, vt probauit Deus abnegationis nostræ suasor & auctor; sic tacitè commonstrauit, indigum ea non fuisse Andream; qui abundè satis interno lumine collustrabatur. Latenter, inquam: negato, scilicet, sine præpedito Solarij conuictu & contubernio: Vix enim illius se disciplinæ tradiderat, cùm Placentia discessit, Solario interim ibi necessariò ad animarum illarum fructum relicto:

relicto: & cùm Placentiam Mediolano remigrasset; ille mortales exuuias exuit ad cœlestem patriam, vt sperandum, elatus.

MEDIOLANENSEM DOMVM MODERATVR, Egregio Sancti Caroli testimonio decoratur.

CAPVT XIX.

DIximus aliâs, Mediolanum, aduocante S. Carolo Archiepiscopo, Nostros petijsse; industriaque cura animarum saluti nauasse operam sedulam. Sed domicilium quod figere coacti fuerant, ad D. Mariæ ad Sanctum Calimerum extra Portam Romanam; haud satis commodum Mediolanensibus reddebatur; & Nostros de mutatione sollicitos esse, dedecebat. Verùm septennium ibi demoratis, ac talia non audentibus, parata noua Domus, glorioſa profectò occasione. Nam, cùm teterrima illa lues immaniter Ciuitatem vniuersam depasceretur; Præpositus Domus nostræ Paulus Pignatellus, vegeti ad huc spiritus, in viuido pectore, ob egregiè patrata in Genuensi quoque lue; cæterique Patres; certissimæ neci sese vouerant: inglorio & ignauo exitu vitam rati amittere; nisi facta eò vsque fortia pro animarum salute, decora morte, quam propediem affuturam cernebant, signarent. Perque S. Caroli præeuntis vestigia, triũphum mereri expectantes, Nunquã eo pestilentiæ tẽpore à publica in Choro psalmodia destiterant: Missas item quotidiè coram frequentissimo populo celebrabant: Confessiones in Ecclesia à summo mane ad Vesperam vsque audiebãt: Domos ægrotantium inuisebant: Casas ligneas extra Ciuitatis Portas extructas frequentabant: Languentibus spiritualia ministrabãt, propriæ vitæ prodigi, cautèque incauti, ac nullo contagij timore: Frequentique miserorum morte, velut olei superiectu succendebatur ardescens ipsorum

Cha-

Charitatis flamma. Maximis huiuſcemodi conatibus, omnium valetudo reſpondit ſemper integra, viriumque robore contra aduerſantia & incurrentia quæque mala cęleſti Numine ſatis tuta. Vbi deſæuit morbus, Carolus demiratus tot Martyrij Candidatos; ex ora ciuitatis extrema; in eius cẽtro ac meditullio ipſos collocãdos ſapienter decreuit; vt prompto ac cito auxilio, infernum hoſtem, vaſti illius corporis membra vndecunq; petentem; validiùs adoriri poſſent. Quosque expertus fuerat propriæ vitæ ac ſanguinis profuſores; hos voluit peculiari quodam modo laborum, quos pro Eccleſia ſua ingentes patrabat, cooperatores. Nam auctor fuit, vt Eccleſia S. Antonij, quæ prope eſt Metropolitanam, Noſtris concederetur à Marſylio Landriano Abbate, poſteaque Vigeuanenſi Epiſcopo: ea quam incolebant ad Sanctũ Calimerum, in Orphanotrophium Sanctæ Sophiæ mutata. Domum iſtam nouam primus omnium Andreas moderatus fuit.

Neque verò ei hic negotium defuit, actuoſo in cunctis & innato quodam animi feruore acri & alacri: Tanquam enim de cęlo lapſus, ſic omnium votis exceptus fuit, omnibus auditus, etſi non omnibus viſus. Ventitauit ad ipsũ promiſcua turba, ventitauit & principum virorum cętus: horum nonnulli ab ipſo Domus antiquæ quondam fundamenta iacente, in ſpiritu geniti, ac per literas enutriti fuerant: Alij ipſum ſtatis anni temporibus Placentiam adire ſoliti erant, & ſalutis monita auidè ab eo hauſtum ire. Increbuerat quoque Sanctam illam Heroinam Mariam Luſitanam, Principem Parmenſem, multùm illo directore profeciſſe; eiuſque literas omni auro prætioſiores inter chariora ſibi aſſeruaſſe, indeficientem quotidianæ contemplationis ſuæ materiem. Itaque vltronea quadam addictione, breui viſus fuit ab vniuerſis penè circumſeptus, & obſeſſus. Inſigne autem fuit, quod initio fere aduentus ſui hic patrauit: E viuis enim excidit Pomponius Cuſanus Auguſtini Cardinalis Frater, relicta

licta Paula Vicecomite dilectissima coniuge; in quam plura decora confluebant; nobilitatis, formæ, diuitiarum; &, quæ solet muliebrium laudum altissimum esse fastigium, pudicitiæ. In huius confestim pectus, instillauit Andreas cęlestium desiderium. Ipsa verò breui cunctisque obstupescentibus, languidum, & marcescentem florem humanæ felicitatis, cõtemptui habere cępit, & mox etiam protriuit; nõ aliud fassa orbitatis suæ columen siue tutamen se quæsituram, præter Deum. Repugnare fortiter consanguinei, thorisecundi suasores: fortiùs ipsa propugnare, & laruatorum hostium impetus generosè sustinere. Donec, pectoris sui fortitudinem Andrea, & apud S. Carolum attestante; vltrò in Monasterio Cappuccinarum, quod tunc iste moliebatur inclusa, & à cętu mortalium excluſa; tranquillitatis æternæ abundantia superinfusa, læta hilarisque supremum diem expectauit, & excepit: ipsius Andreæ testimonio sæpius commendata; palmamque præcipuè promerita obsecundantis animi, & vel in minimis, à primo tyrocinij sui momento, morigeri. Eo facto, quotquot Paulæ sanguine erant iuncti, Andreæ fuerunt veneratione coniuncti: ac in primis Augustinus Cardinalis Cusanus; qui maxima concepta de viro existimatione, quæcumque deinceps in imo cordis sui latuissent; omni fuco sepositò, illi consueuit retegere, actionesque suas cunctas, ex illius præscripto voluntatis moderari; nihilque magnum aggredi, ipso non monitore ac præmonstratore. Reddidit porrò ei Cardinalis, innumera, quæ ab eo acceperat beneficia, impetrata postea illi ab Apostolica Sede, omnium vbiq; Christi fidelium confessiones audiendi potestate; ipsis etiam Episcopis, in quorum Diœcesibus versaretur, incõsultis: Insueto sanè indulto; ideoque maximi faciendo; sed pro Andreæ insatiabili laborandi ingluuie, quem animarum helluonem, exiguum illud temporis dispendium, quod locorum Ordinarijs adeundis impendebatur, enecabat.

Sed magnificum hic itidem prompsit diuitiarum despectum;

ctum ; illuſtrem proinde à S. Carolo iure promeritus laudẽ. Noſtrorum etenim hic inopiæ ſubleuandæ nullo certo cenſu victitantium ; vigintiquinq; aureos in menſes ſingulos liberaliter elargiebatur ; qua pecunia illi diu recreati. Vt primùm autem, accedente Mediolanenſium pietate, caput eis exerere licuit, & aliquo rei familiaris commodo vtcumque fulciri ; Andreas de repudianda abundanti Cardinalis eleemoſyna deliberat, ac decernit ; metuentior certè nimiæ commoditatis, quàm ſint cæteri, paupertatis. Aduentantem itaque primo tempore Eleemoſynarium, alloquitur, Maximo Patres Cardinali, aſſerens, deuinctos beneficio, prò eius ſemper officioſa ac prompta liberalitate : omni tamen excuſſa ſimulatione, fateri ſe, ſubuentum eſſe eatenùs eorum egeſtati, quibus, quantulumcunque eſſet, ſatis eſſet : metuere ne fierent locupletiores, quàm par foret arctiſſimam paupertatem profeſſos : ac vereri, ne ſi ſuperfluis aſſueſcerent, temperatis poſteà faſtidirentur : & omninò expedire, pauperes Chriſti, ipſorum etiam, quę neceſſaria eſſent, penuriam aliquandò perſentiſcere : Aliorum proinde egentiorum tenuitatem ea largitione ſubleuandam : eos verò tunc eſſe oppidò plurimos, quibus nollent eam vllo modo præreptam. Narrauit rem Carolo Eleemoſynarius : & ille admirabundus, ſubſtitit aliquantiſper : Tum conſiderans valentis hoc eſſe pectoris ac robore pleni, diuitiarum pondus excutientis, validoque impulſu eas proterentis, exclamauit. *Verè Patres iſti Sancti ſunt*. Sed propenſam Caroli voluntatem in beneficentiam, benignitatem, liberalitatem, munificentiam ; nequidquam ea Andreę abrenunciatio detinere valuit : quinimò alacriori deinceps animo ijs fuit opitulatus, quorum experiebatur vigoroſiùs pulchreſcere virtutes, à domeſticis ſuis laribus omnimodum ęris affectum inceſſanter arcentiũ.

CHRISTI HVMANITAS ILLI SE INTER mirificum splendorem obijcit. Placentiam reuertitur. Solarij animam cœlum petijsse attestatur.

CAPT XX.

SEcundo Numine, Andreę labores Mediolani prouehebantur: incunctanter enim vnus ipse multorum munia exequebatur: hos Sacramento expiabat Confessionis, illos grauiter affectos recreabat, opera vna eiusdem sępè corpori animoque cum fructu medela porrecta: Afflictis solamen: depressis opportunũ præstabat auxilium: Noctù intereà diùque diuinis precibus indesinenter adstabat: nec vnquam quietis quantulæcumque opem, poterat degeneri mora tolerare. Exultabat S. Carolus, à se delectos viros talia videns pro animarum salute patrantes: Andream idcirco familiaribus suis, & celebrabat assiduè, & imitandum proponebat fortiter. Non infimo inter eos erat loco Ioannes Maria Talliaferrus Cassanensis, Abbas S. Michäelis Archangeli, ad mortem vsque perpetuus Cardinalis familiaris: audieratque ipsum sępiùs Andreę virtutes celebrantem; diuitiarumque despectorem in eo magno, sed vero prędonio extollentem (nam suis ipse manibus, aureos illos de quibus superiori capite, attulerat & retulerat) quibus adactus, excitusque; illũ sibi spiritus sui Ducem elegit. Magna inter eos confestim coiuit necessitudo: erat enim Ioannes Maria spiritualium auidissimus; cùmque Carolo esset à sacris studijs; multa ab Andrea de corrigendis Ecclesiæ moribus hausta, ad Cardinalem deferebat, libenter ea audientem, sedulò complectentem, publicitùs probantem. Cum hoc itaque, familiari aliquandò colloquio de orationis fructu agens Andreas; cœlestesque gratiarum pluuias commemorans, quibus orantium mentes irrigari, & quadam veluti pinguedine fœcundari solent; de Christi quoque Domini Nostri corpore sermonem proten-

protendens, Spiritus ſancti opera in puriſſimis Mariæ viſceribus efformato; ſine vllo limite, rerum creatarum pulchritudinem ſuperante; haud vlteriùs ſe cöercere valens; effuſus in lacrimas, fidenter amico filioque chariſſimo propalauit diuina ſolatia & cœleſtia oſtenta abundè ſibi communicata (quorum commodùm hoc in loco meminimus, prefixi temporis neſcij, quo contigêre, quod tamen neceſſariò ante eam cum amico ſuo confabulationem fuit) Chriſti nempè Domini humanitatem, luce maxima circumfuſam, oranti ſibi quandoque oſtenſam: ea vultus elegantia, corporis venuſtate, auguſtiſſimaque ſpecie ſplendentem & nitentem; quali Prophetarum oraculis Chriſtus deſcribitur, cùm dicitur, *Formoſus in ſtola ſua*; &, *Specioſus forma præ filijs hominum*. Ac inſuper, quâ decora Chriſti ſpecies obtutui ſeſe obtulerat ipſius; eâdem amorem quoque in eum, penetrantiùs ſui animo ſeſe inſinuaſſe: vt contemplanti poſteà mundana cuncta; ſordida viſa ſint, ac purulenta; præ illa à qua omnes aliæ pulchritudines obruuntur. E pulchritudine verò; ad ineffabilem Chriſti bonitatem admirandam ſe raptatum, perfectiſſimè Patri ob ſolam humani generis dilectionem ad mortem vſque & ludibrium Crucis obedientis; nullo corporis membro à planta pedis ad capitis verticem doloris experte. Hinc, aduerſus Iudęos ſanctè indignatum; qui temeraria audentia, per paſſionis cruentam deformationem, liuidosque tumores; omnem gratiam ſpecioſiſsimo corpori deterſerant; habitudinem tenuauerant; ſuccum exorbuerant; colorem obliteraverant; vigorem debilitauerant; omni ablata ſpecie, omni decore ſublato. Multòque ſęuiùs, in peccantes infremuiſſe, repetita Crucifixione, in ipſum recrudeſcentes. Iſta verò, perenni lacrimarum imbre perfuſus, frequentique ſingultuum crebritate interruptus narrabat; vt non olim tantùm illa expertus; ſed tunc quoque ijs vehementer affectus manifeſtò cerneretur.

Cùm autem comperta eſſent S. Carolo, quæ in aggre-

gandis Christo Mediolanensibus, Nostrorum ope Andreæ duce patrabantur; vberioremque speraret segetem excrescente allaborantium numero, adaugeri operarios efflagitauit; datis literis ad Andream, dum Romam & Generalia Comitia peteret, maximam Ecclesiæ suę vtilitatem, communeq; Mediolanensium votum pro eis anhelantium, contestantibus. Factum fuit, vti par erat, S. Carolo satis, Nostris ideircò obligatiorem se (quæ ipsius erat humilitas) fassо. Sed Andreas, Mediolano vbi ex Constitutionum nostrarum præscripto prohibebatur vltra triennium Præpositi munus protendere, maximo ipsius Caroli mœrore, Placentiam transfertur, Domusque Præfectura illi commendatur; eiulanti, & reluctanti, atque ad priuatam tantummodò vitam anxiè suspiranti. Sed volente Deo id factum, nemo negabit; vt scilicet, oculato testamine, Solarij discipuli quondam sui, tunc autem Magistri, sanctum vitæ exitum posset asseuerare.

In huius enim cellula in suprema vitæ linea constituti, corporisque mox nexibus expediendi; auditi fuere inuisorum concertantium inuicemque obstrepentium tumultus fremitusque. Cunctorum tunc vna sententia, antagonistarum Angelorum pro eius anima eam fuisse dimicationẽ. Communis itidem omnium mœror de victoriæ incertitudine ac dubietate: conduplicata idcirco sacrificia: conduplicatę preces. Mœrorem tamen istum non multò post omnium ex pectore seriò ac veraciter excussit Andreas; narrata Solarij apparitione sibi & cuidam suo sodali facta: Qua idemmet fassus erat, petitum se temerario insultu ab inferno carnifice; eum tamen nihil quod in ipso exigeret, reperientem; turpiter victum discessisse: seque ab internunciis pacis, placidè è corpore euocatum; vix ad pauculas tantùm horas expiatricibus flammis purgatum, libero & explicato itinere cęli penetralia ingressum. Annum hic Andreas vix peregit, opusque fuit, gubernandi

munere

munere absolutum; diù multùmque optatæ dulcedini priuatæ vitæ restituere.

NEAPOLIM REVERSVS, SECVNDO *Neapolitanam Domum regit.*

CAPVT XXI.

QVantulumcunque fuisset temporis, quo Placentinam Domum iterata vice rexerat Andreas; toto tamen illo, nil sollicitiùs curauit, quàm, vt excussa prælationis sarcina, recedere sibi daretur in se ipsum, & se sibi vindicare: Hoc frequentissima prece lamentabundus petebat: hoc loquentissimo gemitu querulus repetebat. Annuerunt eiecti Patres ad miserationem: & Placentinæ Ciuitati ereptum, Neapolitanæ restituerunt. Id vbi inter Placentinos ac Mediolanenses percrebruit; obortus est repente mœror, quem communes omnium prosecutæ sunt lacrimæ; plurimæ enim Nobilitatis in sacris erat confessionibus auditor, pro quorum æterna salute sudarat & alserat. Et certè in ea abitione, retardata aliquantulùm fuisset eius voluntas præsentibus animarum lucris (neque enim alio quouis potuisset obsequio vinciri) nisi bonitatem diuinam, ex certo ipsius expetimento, illorum tutelam se absente susceptura sperasset; seque licet terrarum spatijs dissitum, conceptos illorũ ignes foturũ, quin & nouos cũ Diuina gratia exsuscaturũ. Reducẽ vidit Neapolis, ingẽti cũ gaudio, laboribus penè fractũ, sed virtutibus locupletiorem, ardentioremque ad Christo adiungendas animas. Confluere ad eum statim Proceres quibus diuturnior visa fuerat, dilecti magistri absentia: certare plebs cum primaria nobilitate: omnes exhilarari tãti Patris aspectu: ipse gestire gaudio, quòd multos videret, arduam virtutũ semitam se præuio ardenter olim ingressos; inuicto quodã vigore mentis intrepidę, indefessę, insuperabilis,

eandem

eandē consectatos: & subsilire, de parata nauiter ac strenuè pro Deo laborandi occasione. Quare nihil demoratus, è graui culparum veterno homines cępit excitare; ruentibus ad tartara, tempestiuas dexteras porrigere; medicinali dolore, stuporem lethalem animi duri & impœnitentis excludere; nihilque intentatum relinquere, quo obluctatus diabolo; emortuas per impia scelera, Deo conuiuificaret animas: euentu semper felicissimo: verbis enim suis tanquam nihil humanum sonantibus, versabat, & in quamcunque partem visum esset, impellebat affectus Neapolitanorum. Sui tamē sollicitior cauebat sibi, & ab intempestiua gloria humanę laudis trepidus pauitabat; in vnius Dei honorem tanquam in scopum actiones suas eiaculatus. Verùm, vt contingere plerumq; solet; famæ neglectu, augeri visa est fama; & quod magis admirere; dum repelleret ipse à se magna, forti conatu animoque demisso; hęc eadem fortiori impetu confluxerunt in ipsum. Et ecce denuo collatam illi Prępositi dignitatem in Neapolitana Domo Sancti Pauli, quam ante annos sexdecim, triennio, & cum fructu Nostrorum, moderatus fuerat. Manus dare coactus est; nam volente ac propitio Deo hęc fieri; nemo non asseuerabat. Ipse, quando iam se Superiorem non potuit negare; talem se exhibere conabatur. Nouus enim magisterij honos, nouum ministerij onus imposuit; exploratum habenti, omnium in se oculos tanquā in virtutis exemplar & imaginem esse intentos: ac turpiter aliorum parentem, à sibi parentibus, in virtutum stadio superari. Acriùs ergo in se ipsum cępit incrudescere; nec enim alia forte censum suum voluit diteſci: & nihil aggredi Numine diuino per accuratam supplicationem inconsulto. Patebunt alibi multorum experimenta, quibus liquidò constabit, eum in gubernatione, diuino fuisse illustratum lumine: nunc vno tantùm aut altero contenti erimus. Ventitabat ad Domum nostram adolescens quidam è primaria Ciuitatis nobilitate, Religioni nomen daturus; in quem omnia

decora

decora, ingenij, indolis, & morum affatim confluebant. Futura quisque ex præsentibus iustè metiebatur; ac propterea inutili cunctatione minimè detinendum eius ingressum, instabat. Vnus Andreas, obstupescentibus cunctis nutare & vacillare videbatur. Permissu autem Dei, adolescens in Religionem receptus fuit; vt nempè altissima Dei iudicia, longè antea fuisse Andreæ perspecta, futurorum euentu comprobaretur. Nam is, qui spiritu feruescere, qui ad perfectionem anhelo cursu contendere videbatur; nuncium Religioni fœdè remisit: nec id fuisse Andreæ abditum, ob quod fortè cunctabundus hęsitabat, nemo non apertè intellexit. E contrà verò cùm Phylosophicę cathedrę munus vacaret; in vnum ipse Hieronymum Lanfrancum oculos coniecit; quem ingenij acumine pręstantissimum, docendi facilitate perspicuum, peridoneum ęstimabat. Tũc verò refragari nonnemo: quòd Hieronymus, cętera aptissimus, ętate tamen esset adolescentior: Quodue dedecus esset Magisterij, quod dubio procul, vilesceret in adeo iuuenem collatum. Multum propterea Andreę exhauriendum fuit molestiarum, vt in ea statione illum collocaret: latebant quippè cęteros, patebant sibi, diuina solatia quorum suo tempore promus futurus erat Lanfrancus: quę si sub cuiusquam obtutum posita tunc fuissent; aduertisset oppidò quisque in iuuenili ętate senescentis animi robora virtutum. Effectus probauit rem. Is enim ab auspicato principio in Philosophię interpretatione, ad exitum optatum perueniens; magno sui desiderio relicto, breui nos & mortalem istam vitam reliquit. In cuius extremo constitutus, aduentantium vidit turbam prędefunctorũ Patrum, ad easdem promerendas coronas, quibus & ipsorum quoque ornata capita radiabant, eum blandè allicientium: à quibus hilariter se inuitari contestatus; cùm abnuere, diceret esse iniuriosum, expirauit: lętus, lętos sequutus, & coronatos coronandus. Horum ergo prospectu futurorum, multisque alijs experimentis; maxima fuit erga Andream conci-

liata

liata veneratio; quem non extimè tantùm intuentem, sed intimè cuncta penetrantem cernebant: vt idcirco, nulli mirum videretur, si contra receptas aliorum sententias, aliqua ipse defenderet; nam secundo Numinis afflatu ea ipsum moliri: iam cuique compertum erat.

TVMVLTVATA PLEBE, NEAPOLITANAE *Ciuitatis quietem periclitantem, fulcit.*

CAPVT XXII.

PEtro Girone Ossunensium, Duce Neapolitano Prorege, septimũ Idus Maij anni Millesimi quingentesimi octogesimi quinti, Ioannis Vincentij Staracij ordinis popularis Decurionis, ferali trucidatione cruentatum & funestatum nostra memoria vidimus. Vagus etenim primùm & incertus rumor, credula postmodùm fama, pronisque auribus exceptus fuit; annonæ caritatem, Staracij incuria, aut fortè subdolis artibus, breui ingruere. Strepere mox cuncta clamoribus; pari furore, aliorum malitiam, & suam inopiam metientium. Incipientem & nondum adultam seditionem, melioribus consiliis flectere nisi fuere nonnulli ex Nobilium ordinibus: sed boni aliquid persuadere, persuasis in eo famis periculo, perniciosiorem esse quietem, quàm temeritatẽ; frustranei erat laboris. Sibi quisque dux & instigator, vt eũ imminentis famis suspicio pungebat; & cõercitionis impatiens; in auctorem efferebatur hùc illùc actum turbæ fluctuantis impulsu. Itaque impetu, quo scelera valescunt; licuit funesta illa die, perditissimo cuique è viliori plebecula præproperè armato, in Staracium debacchari: ipsum iniurijs & lapidibus appetere: è crypta mortuorum ad D. Augustini, vbi populare concilium cogebatur, in quam, alibi intutus, sese abdiderat; nulla loci religione extrahere; fœdè laniare, seminecem in frusta discerpere: trunco iam corpori

inaudita

inaudita feritate & ſęuitia, pleraq; vulnera adijcere: ipſum per publica viarum raptare : caput verò, brachia, manus, viſcera, haſtis præfixa iactabundo facinore leuare. Ac (ne quid ipſorum audaciæ deeſſet) hanc pompam per vrbem totam traduxerunt: ante ipſas etiam Regij Palatij fores; aſpernati prætorianum militem Proregis prudentia & iuſſu immotum: acclamantesque (quò ſeditio molliùs reciperetur) vitæ Regis, & Mali regiminis deſtructioni. Principis quoque laudata in tumultu illo conniuentia, malo ſuo genio, furentiores, Domum etiam Staracij circumſteterunt: ſiue in odium tantùm illius; ſiue magna prædationis expectatione, in ſeditionis velut pretium ceſſuræ. Inter hæc quisque ſibi cauebat: Plurimum trepidationis erat in publico, & præcipuè in Nobilitate: ac ne ſecreta quidem domûm, abſque formidine: Non enim ſanè crebrior tota Ciuitate ſermo per id temporis erat; quàm deterrimos quosque hominum ac exules, vſurpata iam libertate, in ipſam introducendos; cęde, & populatu; nullo metu cũcta vaſtaturos.

Andreas in eo concuſſę Ciuitatis motu incõcuſſus, ſtatim Sex-viros Ciuitatis adijt: quibus perexiguũ illud frumenti, quod pro ſuorũ neceſſaria ſubſtẽtatione ſepoſuerat; ad publicã ſubleuãdam, ſuæ negligens indigentiæ, vltroneus obtulit: improportionatum certè innumero populo ſubſidiũ, quod ne noſtræ quidem familiolæ ſuppetiari poterat; ſed profuſæ liberalitas charitatis: quam demirati Sex-viri; non frumenti, ſed longè valentiori auxilio precum ipſius ſe eſſe adiuuandos, expetiere. Verùm Andreas, à frumento illo velut à ſacro quodam cibo ſibi temperandum decreuit; interdicto ſibi panis eſu, cæteris verò eius tantùm conceſſo, qui minimè ex farina ſed ex eius purgamentis & furfuribus eſſet ſubactus: vt ſcilicet, largiore manu ſubſidiariam eius opem poſſent pauperes in illa miſeria experiri. Tum crebra Noſtrorum per ſæcularium domos miſſitatione; omnes ad iram Dei flectendam fuit exhortatus; & pec-

cata nulla cunctatione per confessionem expianda; potentissima nimirum malorum omnium incitamenta. Sed consuetis orationibus suis & suorum minimè contentus; quod remedium vnicum rebatur, in publica calamitate, publicam instituit orationem, eamque insuetam (si Nostri spectentur Pontificia indulgentia à processionibus exempti) vt rei nouitate attoniti Neapolitani; atrocitatem morbi persentiscerent; cui curando, insolito opus erat pharmaco. Ergo postridie illius diei, qui nefaria illa cæde fuit pollutus; occiduo iam Sole, & primis noctis tenebris, prodierunt Nostri vtriusque Neapolitanæ Domus, ieiunio pasti & oratione calentes, ex Templo D. Pauli, processionis ritu, B. Virginis, & Sanctorum litanias concinentes, & præsentissimum Dei auxilium enixè implorantes. Primùm ad Metropolitanam Ecclesiam deuenerunt: inde ad D. Mariæ Annuntiatæ: tum ad Diuæ Marię de Carmelo: tandem ad D. Ludouici, quæ est Regio Palatio contermina, terentes frequentiores Ciuitatis vias, easque præsertim regiones quas incolit plebs tumultibus inclinata. Quaquàuersum transitum fuisset; splendebant fenestræ expositis luminaribus. Adiuncta breui ad Nostros concurrentium agmina, nefas existimantium sancto illi supplicum cœtui, se non adiungere comites. Nonnemini temerè diuina politicorum ritu metienti, timoris causa fuere, velutque nouæ seditionis pabulum. At, cùm, Andreæ id fuisse inuentum auditum fuit; exhilarati sunt vniuersi, sedatam seditionem ipso apprecante iam certi. Id porrò expressis verbis suo nomine testatum voluit Andreæ, Prorex ipse è Palatij fenestra eos cum cordis teneritudine intuitus, per aulicum suum, qui ei erat à secretis, dùm ad D. Ludouici, preces funderent; adiuncto etiam gratiarum officio pro summa eius in Religiosum virum reuerentia. Noctem totam, sacra illa circuitione transegerunt; ac Domum reuersis, non aliud repositum solatium; quàm vt fracti iam externo ieiunio & nocturno

labore

labore, matutinas laudes in Choro alacriter concinerent; noctis etenim vmbra, iam sese in diem Sabbathi tenuabat. Qui, vt primùm illuxit, magno concursu multi ad Ecclesias nostras lacrimabundi confluxerunt, culpas suas ritè expiaturi, quod suaserat Andreas; & ipsum veneraturi, cui post Cęlites, acceptum ferebant, quòd non tetriùs seditiosa illa lues fuisset grassata. Verùm tranquillato tumultu, mutataque rerum facie; dira illa capita sceleratæ factionis, vindicem à tergo senserunt Dei manum. Eorum etenim alij vltimo supplicio damnati fuerunt; alij remigio addicti: alij verò diruta ipsorum domo, & sale conspersa, violatæ Regię Maiestatis perduelles dicti.

ROMANAE ET NEAPOLITANAE *Prouinciæ Visitator.*

CAPVT XXIII.

EFluebat eius sæculi nonagesimus annus, cùm, Patre Generali iubente, Romanam ac Neapolitanam Prouinciam lustrauit Visitator Andreas. Vt scilicet propriarum splendore virtutum satis iam ipse conspicuus; alienę quoque esset acer exactor. Nec enim, cui animarum administri abundè suppetebant partes, deesse poterant regularis disciplinę fouendę artes; quam felici progressu mirificè promouit. Singulos namque reperit, suopte ingenio virtutum semitam Christo prędio alacriter decurrentes, semperque vlteriora spectantes; qui ipso posteà monitore & suasore, toto impetu, tanquam acutissimorum incitamento calcarium, ad ardua quęque & optima sese impulsos fassi sunt. Romę sequenti anno ea ex causa aliquandiù demoratus, Antonio Cardinali Caraphę (quem Religio vtpotè è Pauli nostri IV. stemmate, ac perpetua

etiam beneficiorum ſerie ab ipſo cumulata; communi obſequio, & ſuſpexerat, & coluerat) diem obeunti ſupremum, in extrema illa vitę linea ſemper adſtitit; & cùm iuſta pro eo fierent, in Eccleſia noſtra Sancti Silueſtri ad Quirinalem, vbi eius corpus humili ſepulturę traditum fuit.

Hic verò, haud certè abſque iniuria, ſilentio tegerentur admiranda Dei beneficia influxu perenni in Andream collata,& omnimoda medicaminum genera,per quę benignus ſanè Medicus, pro temporum diuerſitate, periculoſum ambitionis morbum ab ipſo pellexit dùm adfuit; ac ne ipſo vnquam premeretur,potenti manu impediuit; tandemque ingentis lętitię materiem,ſecura recordatione malorum, quibus olim ereptus fuiſſet,ingeſſit.Ipſi enim quondam, humanę glorię inhianti, & ſpiritus lactaneo infanti; obiecit Deus Petrum illum Foſcarenum Doctorem Pariſienſem; fiducia doctrinę,generis, & decorum, quibus honeſtatus erat, minimè attollentem verticem, ſed contemptim de ſe ipſo ſentiẽtem; & Epiſcopatum Baiocenſem in Gallijs fortiter eluctatum. Quo ipſe egregio monito, cùm iam penè per abrupta deerraret,aduertit pręcipitem in quo iacebat locum; eiuſq; veluti manu reductus fuit in ſemitam humilitatis, qua rectà ire poſſet ad Deum.Adultiori obuiam facti,Ieremias Iſachinus Excubicularius Pontificis,ac Bernardinus Schottus Cardinalis,à Conclaui in quo Pius V. electus;ad quod tanquam futurus Pontifex aduocabatur,ſponte factus elongis.Ternio virorum è ſuęmet Religionis ſodalitio, generoſo deſpectu contra mundanarum rerum inanitatem roboratorum, vt aliâs diximus. Seneſcenti, ſenex; ſed nullis terrenis curis adſtricto,ſub immenſa negotiorum mole gemiſcens;licet infimo,ſummus,hoc eſt, Andreæ, Pontifex Maximus, non viæ pręmonſtrator datus (turpe enim fuiſſet ipſum virtutibus iã effœtum ab ea deerare, quam ab ipſa iuuenta aſſiduo calcatu protriuerat)ſed qui plauſu eum proſequeretur, itinere feliciter

liciter ac ſecurè penè iam confecto. Fuit is, Gregorius XIV. quocum Cremonę Epiſcopo, Andreę multũ fuerat familiaritatis, dum Mediolanum incoleret, & Sigiſmundæ Eſtenſi vxoris Baronis Sfondrati, Pontificis fratris, fuiſſet aliquoties à ſacris confeſſionibus. Itaque religionis ergò Pontificem veneratus, ſanctosque illius pedes exoſculatus, & ex Eccleſiæ theſauro multa ab illo liberalitate ditatus; ipſum Pontifex, pro vetere viri amicitia, ad familiare colloquium non fuit dedignatus inuitare. Sed nihil aliud in eo auditum, quàm, Pontificem iuſtiſſimis ac serijs querimonijs atteſtantem; Externũ illum ſplendorem quo auguſtiſſimè fulgebat, ducem eſſe magno errori, quo mortalium oculi perſtringebantur; dum æſtimabant ſortem illam, ſed planè ignorabant, quid eſſet illud quod ipſis erat faſtigium rerum: Eſſe autem non aliud, quã, ærumnarum procellis iactari, & ſuccidaneis curis cõtabeſcere: quarum leuamen aliquod, ſpectare tantùm dabatur, non expectare; ac proinde dolenter affligi, intercepta quiete ereptum ſe ſibi: & eos verè fortunatos cenſere, quibus conceſſa eſſet vita nullis agitata curarum tumultibus, nullis odij tempeſtatibus obnoxia: horum porrò eſſe tranquillitatem, iucunditatem, hilaritatem: & ne longiùs cogeretur quærere, huiuſmodi eſſe illum ipſum, qui tunc ſecum colloquebatur ſeniculum fatebatur. Verùm Andreas affatim his verbis edoctus; ſuperiniectu ſpoliorum, maieſtatis, potentiæ, & honorum; non eſſe ademptas mortalium ærumnarum exuuias; nimiùm fuit exhilaratus. Ac ſupremo Numini impensè ſibi propitio; à quo ambitioſis titulis ereptus, ſuo tantùm mancipatus fuerat famulatui; grati animi exhibuit teſtamen: renouato quod aliâs firmauerat propoſito, ab humili vitæ ſtatu, quam elegerat, nunquam ſe, nec ſecundarum rerum illectu abducendum, nec aduerſarum vi abripiendum. Aliquod poſteà in ijs meditamentum inſtituit, quod Ioannæ Caſtriotæ Duciſſæ Nuceriæ ſibi dilectiſſimæ (quam etiã ſanctam fœminam, & ſanctitatis ſpeculum non verebatur

appel-

appellare) impertiuit, literis ad eam datis instante anno nonagesimo primo. In quibus, *Etsi certus*, inquit, *iam essem, vtpotè sacris literis edoctus; diuitiarum magnificentiam, & mundana cuncta, ipsissimam vanitatem esse; hisce tamen diebus, quibus Romæ fui; experimento didici; in Dei tantummodò amore, si ex vero sit corde, cõsolationem inueniri & quietem. Quippè qui viderim, Summum Pontificem, tot negotiorum & molestarum curarum mole obrutum, mecum lamentabundo ore conqueri, ob deperditam quietem, mihique dicentem: O te beatum, Patermi &c. Quocirca, licet ego defectuum & imperfectionum multitudine scateam; maiori tamen gaudio repleor, ob hoc, licet perexiguum luminis, mihi à Domino inditum, quo mundanorum vanitatem cognosco, vnde flocci & ea facio; quàm si nedum Summus Põtifex essem, verùm & Orbis totius Dominus: Comprobatum est enim, Regnorum possessores & amatores, vera consolatione & quiete priuari: ipsorum verò contemptores; & maxima hic frui tranquillitate, & cœlestis gloriæ certa expectatione recreari; ex qua spe, abundè in ipsorum corda lætitia diffunditur; iuxta illud Pauli, Spe gaudentes, &c.*

Roma Liciũ petijt, in extrema Regni Neapolitani, atque adeo Italiæ ora Ciuitatem; vbi Domus nostra, & Templum Ireniæ Virgini & Martyri Ciuitatis tutelari, publico & magnificentissimo sumptu extructum. Probabantur ibi sub tyrocinio duo, iuris iam laurea in sæculo donati: & ambo calente spiritu, menteq; à suauibus & perituris reuocata, atque ad duriora & æterna auocata; profuso sudore ad Religiosum verticem contendebant. Vberrimam virtutum segetem in ipso etiam semine vterq; promittebat. Sed cùm semel tantùm eos allocutus fuisset Andreas, ad Collegã suum Franciscum Narnium dixisse fertur. Non minimo inter se tyrones illos discrimine seiungi: nec longum fore, quando futurorum euentu, id luce meridiana clarius innotesceret: Alterũ quippè, qui Ioannes Resta nuncupabatur, vaticinatus fuit ad ma-

turam

turam frugem peruenturum. In altero verò non aliud videri, quàm falsas virtutes, & vitia reditura: quidquid enim in ipso tunc esset boni seminis; noxiarũ exortu herbarum suffocandum, vel inimico pede proterendum; nihilque prorsus in eo futurum, quod in Religionis horreum esset contrudendum. Illa tunc dicta, indubio rerum successu posteà comprobata sunt. Nam, quantum posteriori decreuit virtutum; tantundem priori accreuit. Ille etenim abacto pristino ardore, animiq; calore mortuo ac sepulto, pertęsus religiosę vitę, ad sęculi quisquilias redijt. Hic verò ęstuantibus ob Dei amorẽ pręcordijs, aureis votorum compedibus sese Deo indissolubili nexu lętissimus vinxit; quibus tunc tantùm fuit solutus, quãdo post vigesimum quartum ab emissa professione annũ, meritorum plenus; cęleste iter perfecit.

Visitatoriũ hoc munus biẽnio, vt diximus, obijt Andreas; lõgo & diuturno labore fessus, ijsq; incõmodis circũseptus, quę septuagenariũ senẽ circũuallare solent. Multæ in ijs itineribus ærumnarũ molestiæ sibi exhauriendæ fuerũt; præsertim cùm iter Liciẽse, quod nouẽ dierũ spatio terebatur, media hyeme aggressus fuit; quæ, si vnquam aliâs, eo maximè anno, quâ ventis, quâ niuibus fuit rigidissima; & optimè ipse pro suo itinerandi more, nulla viatoria suppellectile instructus. Dei tamen benignitate sospes Domum reuertit, & incolumis. Quare deinceps deridiculo habere cępit, si quos vidisset, nil intentatum relinquere, quò suis commoditatibus consulerent. *Neq; verò*, dicere solebat, *abijciet vnquàm Deus perpetem nostrũm pro ipso laborantiũ curã, & porrò securam: Satis illi scientiarum, satis potentiæ, satis vigiliarum; quibus obluctari naturæ ordo nequidquam fatigatur. Meritò Paulus, qui vnus plus omnibus laborauit; omnibus pro Christo laborantibus, atque adeo mihi, dux & exemplar esto; lapidibus quidem appetitus, sed non obrutus; flagellatus, non extinctus; naufragus, non submersus; ærumnis affectus, non confectus; carceribus pressus, non oppressus: Quem tamen toties mirabiliter*

seruа-

ſeruatum ; quando, & quomodo ſibi collibitum, ad promeritas beatitudinis ſedes tranſtulit Deus. Et nos quoque decretorium expectemus diem, à quo nullibi nobis paratur effugium : Sed interim à puerilibus curis deflectamus animum ; pudeatque nos, corpori delicatulè fouendo, turpiter ancillari. Sic porrò inter quæuis pericula & ærumnas, tutelarem experiemur erga nos Deum.

AEGRESCENS PERICVLOSE, SANATVR mirè. Vicepræpoſitus Neapolitanus.

CAPVT XXIV.

NOn paucis morborum cruciamentis conficiebatur ac tabeſcebat Andreas; qui illum crudeliter affligebant, lectuloq; ſuo ſæpius affigebant, quos ſingillatim memoratos narrabit hęc hiſtoria, quando ineluctabilem quoq; ipſius patientiam. Interim, perniciabilem illam, & lethalem ægritudinem, curſim ſaltem præſcribere eſt animus, qua anno Milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo quarto preſſus fuit. Non certè memorabiliorẽ ob ſęuos dolores, quibus corpuſculũ ſenis, cui iã quartus annus ſupra ſeptuageſimũ effluebat, vexabatur; quàm ob mirum inuſitatumque medendi genus, per quod pulſo morbo, ſanitas fuit reuocata. In illa enim ætate, per ſe ipſam confluge omnium dolorum ; febri cæpit incommodùm æſtuare : quę tamen leniùs recepta fuit, præ ſtomachi iniurijs, quibus miſerè impediebatur. Nam egeſtũ quotidiè cibum, ipſa penè anima ſequebatur ; nec vllo poterat ſolatio recreari, vllo medicamine fulciri. Agebat eo tempore Neapolitanum Prępoſitũ S. Pauli, Matthæus Bencius, Politianus, Marcelli Papæ II, ex ſorore nepos, ac Franciſci Mariæ Tauruſij, & Roberti Bellarmini S.R.E. Cardinalium Sobrinus, inculpatæ ſanctiſſimæque vitæ homo. Deteſtatus enim Romanam Aulam, in Religionis ſeſe caulam, Sancto

Philip-

Philippo Nerio adigente incluſerat: Vtque feruentiſſimam erga ipſam dilectionem oſtenderet; voto mancipauerat ſe, nunquam ex ea diſceſſurum, ne ob Cardinalatus quidem indignitatem, Pontificis Summi id expreſsè præcepturi iniuſſu. Hic, ſi vnquam aliâs, tunc maximè cumulatus virtutum ſplendeſcebat: quippè qui ſuperno monitu ſupremum diem intra annuum ſpatium lætus expectabat: morbique genus, hoc eſt, hepatis fluxum indigitauerat, quo periturus erat, quo poſteà & peremptus. Erat quoque medica ſcientia non leuiter imbutus. Gemina igitur ope, charitatis, & medicinæ; nauſeanti Andreæ ſtomacho ſuccurrere nitebatur. Medicamentis tamen medendi vis omnis tunc excuſſa fuit: Ijs non laxabatur, ſed intendebatur morbus: arte ſuperantior erat ægritudo; quare iam præda ſepulchri deſtinabatur Andreas; communique luctu vicinam eius mortem cuncti proſequebantur. Ipſum pari cruciatu angebant, & chariſſimorum filiorum mœror, & ardentiſſima pro Chriſto patiendi voluntas: Illos etenim reſtitutus ſanitati, optaſſet conſolari; per hanc verò; gratanter oblata patiendi occaſione noluiſſet priuari. Non enim aliæ per illos dies eius fuêre voces, prçter iſtas. *Aut Dei filiatio relinquenda, aut libenter tribulationum Crux amplectenda*. Quas ipſas velut potentiſſimum pharmacum, Marchioniſſæ Piſcariæ contra vniuerſorum genera malorum præſcribere ſolitus erat. Vicit tandem pietas; pectusque eius peruaſit lacrimantium pro ſui amiſſione Fratrum commiſeratio. Temperare igitur eos à fletu iubet; ne, lacrimarum frequentia dolorem illi adiungerent, in cuius remedia, cura ſollicita, conſenſerant. Promptum eſſe medicamen; modò arbitratu ſuo velint illum curari; Et eatenus quidem, fruſtrà & incaſſum fuiſſe tentatum, per quæſitiora, & magno pretio parta remedia, incolumitatem aduocare: Vilioribus & parabilioribus ad ſanitatem ſe promouendum; Quare excluſis cõgeſtis illis medicatis pharmacis, longinquorum pretioſitate

nobilitatis; pro ijs faſeolos, fabas, & huius generis legumina ſubſtituerent: per hęc ſeſe, non per alia, languori ereptũ, ſanitati reſtituendum. Fuêre qui dicerent, faciendum illi fatis, in deſperato iam morbo etiá noxia appetẽti, ſed ijs minimè offendendo, ſine ipſis adhuc perimendo. Alijs acutiùs introſpicientibus, visũ, nutibus ſuis hominẽ relinquẽdũ, haud certè abſq; ſecreto Numinis impulſu erga inſueta illa, immò noxia, & exitioſa medicamenta propensum; fiducia fortè in Deũ, factorũ bonorũ remuneratorẽ; qui reſtituta ſalute per eoſdem ſibi iam in vita familiares cibos; egregio ſanè teſtimonio atteſtaturus foret, fuiſſe ſibi inimitabilem eius abſtinentiam ſummoperè gratam. Hæc itaque adhibita delicata edulia, ſtatim creſcentem pertinaciam morbi detinere viſa fuêre; collabeſcentem valetudinem firmare; & penè fugientem è corpore animam retinere. Ipſe haud iniquus beneficiorum Dei æſtimator; collata ſibi cælitùs ſanitate; velut nouo adactus fuit ſtimulo in abſtinentiæ affectum; quam compererat contra omnem medicinæ ſapientiam ſic abundè remuneratam: ſtatimque nulla interpoſita mora, ad conſuetum abſtinentiæ rigorem vegeto ſpiritu indefeſſus redijt.

Mutua charitatis officia in illa ægritudine ſibi à Bencio pręſtita, reddidit eidem poſt breue temporis interuallum; diſpari tamen exitu. Nam Bencius eo prorſus tempore ac morbi genere ante pręſignato, ſublatus fuit, ac in cœlum translatus; vt ex diuina bonitate & commerita retributione paupertatis ipſius, quę certè fuit eximia, carnisque ſuę maceratione, alijsque virtutibus inſigniter in eo prę-claris; licuit ſperare; atque ex nonnullis eius apparitionibus coniectari. Ipſius corpus, cùm, deducentibus Noſtris in Eccleſiam deferretur, candida Columba in eam ingreſſa, non priùs inde fuit egreſſa, quàm iuſta pro eius anima eſſent ab Andrea facta, & corpus tumulo conditum.

Mortuo Bencio, octo menſium ſpatio eandem Sancti Pauli

Pauli Domum Andreas Vicepræpositus rexit. Idem in hac Præfectura, quæ illi suprema fuit, viuendi tenor, qui & aliâs; indefessus nimirum labor pro subditorum sibi salute procuranda, & disciplinæ rigore tutando. Compertum est, ex hoc tempore cæptasse Andream, quod vsu posteà perpetuo recepit. Qui enim, diù iam anteà; ea indulgentia sibi interdixerat, qua ad animi remissionem statis temporibus, hoc est bis in mense, Nostri recreantur; ex hoc tempore pro suorum tutela filiorum, id etiam adiunxit, vt velut nouus Iob, tunc preces orando funderet, ne qua macula ob silentij relaxationem, aut lautioris cibi refectionem, charissima sibi pignora aspergerentur; & per ea, quæ roborando spiritui permissa erant à rigidissimis alioqui Ordinum Institutoribus; spiritus tepesceret, langueseeret deuotio.

SANCTORVM AVGVSTINI, DOMINICI, Thomæque Aquinatis erga ipsum tutela.

CAPVT XXV.

EXimia planè Andreæ erga Sanctos reuerentia; non tantùm mente comprehensa, & pectore clausa; sed sese in obuijs etiam quibuscunq; casibus externè prodens; id commerita fuit; vt præsidium, quo niteretur, feliciter nactus; illud quoque frequenter experiretur propitium. Hoc præcipuè tempore, tutelare Sanctorum patrocinium erga ipsum mirè emicuit. Nam cùm ad Hostiliani Principes diuerteret; coactus fuit longiusculi itineris molestias, equo insceñso, quem in ipsa Ciuitatis porta conduxerat, temperare. Cùmque viæ se commisisset, eiusque vix paululum fuisset emensus; seu equi ferocia; seu mali dęmonis irritatu, ad animarum fructum ringentis, quarum ille

bono iter arripuerat; eius dorso excussus fuit, atque ad durum silicem, quo strata erat via, fortiter impactus: Quantouis autem artificio nequaquam valuit pedem è subsellari stapede eximere; illi quippè sese calcar implexerat. Pendulus itaque ab equo raptabatur, mox inter saxa quatiendus, ni pręsto Deus per Sanctos suos, adfuisset; Suppetiatum namque illi nemo poterat accurrere; nec enim quisquam fiebat obuius, mero scilicet meridie, mordente sidere, & extra habitantium casas. At ne socius quidem ipsius aliquantò longiùs insequens: quamquam enim ad casum illius pauidè concitatus, ex equo tentasset celeriter desilire; stapedi tamen suo ipse quoque pedem implicitus, desperauerat maturo accursu quidquam posse in delapsi salutem. Sed Andreas intereà feruenti prece, validoque clamore Sanctos inuocauerat apprimè à se cultos, Dominicum, ac Thomam Aquinatem, vt sibi, cętera destituto, opem ferrent, Idque benè auditum socio, tricis licet pedis sui implicito; Et vix auditum, cùm admiranti, nescientique vndènam subiti emersissent, visi fuêre duo ex Dominicana familia Patres: quorum alter, oris placiditate, ipsius parentem Dominicum referebat; alter corporis obesitate, insigne eius decus Thomam Aquinatem, auxiliares Andreę prębentes manus, illumque insulturę coadiuuantes, & abeuntes. Suis posteà compedibus hic socius expeditus; nimiaque humanitate, alieno maceratus dolore; ad Andream accessit; percontatusque vti secum ageretur? audiuit, Optimè quidem, nec vllatenùs, conquassato sibi condolendum; cui ex voto casus accidisset, enixè ea luce Deum deprecato; vt quam vellet, concederet patiendi occasionem. Et insuper magnis editis vocibus: *O quanti facienda est* subdidit *Sanctorum intercessio*. Idemque posteà socius, acturus Patribus gratias, properati in senem auxilij; neminem quouis accurato intuitu potuit nancisci in aperto illo campo, nullisque

ædificijs interſtincto, cui eas referret: Proripuerant quippè ſeſe illi, mortalium obtutibus. Itaque haud leui conjecturæ fuit locus; verè Sanctos illos Andreę inuocatu excitos; è cœlo ad eius auxilium celeriter immiſſos; exhibito, ſtatim intuentium aſpectibus ſubductos.

Nec prætereundum hoc etiam loco; ſalutarem quendam timorem, diuini cultus vehiculum, perpetuò Andreę aures vellicaſſe; quo tanquam acerrimis ſtimulis ad incunctantem operationem vrgebatur. Per hunc, in ipſo etiam vitæ ac mortis confinio, rigidiſſimus ſui cenſor, Numinis, cui placere ſatagebat, reuerentia confuſus; inutilem ſeruum dictitabat; ac ſui tormentum, beato illius aſpectu indignum ſe fatebatur, quod per iteratam pluries eodem die peccatorum expiationem, ſtudebat placare. Introſpiciebat hæc Diuina bonitas; agnoſcebatque timorem illum, non animi eſſe infirmi, apud quem omnia ſunt nutantia, trepida, turbida: nec malæ conſcientiæ, quæ ſæpiùs mentem labefacit; ſed veræ ac ſolidæ pietatis ſobolem; idcircò eum ſuſtollere ac recreare non fuit dedignata. Ægrotabat enim quadriennio ante obitum ſuum præualido morbo; ſed ægreſcebat fortiùs, animo laceſſentibus curis laxato; quæ plùs ſolito ipſum timore correptum acriter diuexabant, æternę ſalutis ſuę ſollicitum, & anxium. Colebat verò ipſe principe ſtudio fulgentiſſima Eccleſię lumina Auguſtinum & Thomam Aquinatem; ac peculiari reuerentia, illum quidem reuerebatur ceu Clericorum omnium Regularium parentem; hunc verò ceu Neapolitanę Ciuitatis Patronum, cuiuſque & Summam Theologicam ſcholiolis hodieque extantibus illuſtrauerat. Itaque vigili ipſi & in lacrimas effuſo, affulſit par illud Sanctorum, vultu inſpectabili, & in conſolationem effecto. In eorum ipſe adorationem cernuus cùm ſtatim ruiſſet; vt ſpinę diuulſioni, qua dolenter lacerabatur, celerem admoueret manum; ſollerti inueſtigatione; *Quando*, inquit, *ad mei ſolatium, ò Diui,*

Diui, vos missos credo (& vt credam pietas suadet diui-ni, quæ mœrentem me & iacentem, auxilij non destituet expertem) quid me quæso factum sit, dicite, emenso tot annorum curricula, in postremo isto, vt arbitror, languore, sub vitæ limine iam constituto. Salutis etenim meæ incertitudine crucior, discrucior; nec alius præter hunc me timor angit & pungit. Terrenis me cùm videam maculis inquinatum, peccatorum fœce sordidatum; fluctuo inter salutem & vltimam perniciem; vereorque ne æternorum exhæres factus bonorum, repositam bonis beatitudinem valeam degustare. Hęc & similia congerebat dolendi argumenta. Sancti questus & lacrimas dato hoc responso cõposuerunt. *Aliquorum adhuc annorum moram promissæ felicitati interceßuram: & intereà dùm suspensa viderentur omnia & incerta, neq; adhuc tuta (& quomodo esse possent in hac vita vbi omnia intuta?) id se præstare consilij, firmandæ diuinæ sententiæ, per quam introitus in beatam illam patriam patesceret; vt, quod ipse eousque impigrè fecerat, nauiter se in virtutum palæstra exerceret, cumulatiore meritorum thesauro longè futurus ditior.* Ijs verbis, sui spectaculo delibutum, ac profusiore dulcedine satiatum reliquerunt. Ita collegit ipse animum, erectusque consolatione tam magnifica, laborandi ardorem mirificè adauxit. Iuuenescere namque & adolescere colloquio illo visus fuit; & prona cupiditate in aspera quęque inhiare: ac subsilire quotiescunque nouam aliquam patiendi nanciscereturr occasionem, quam vti venaticus canis sedulò quęritabat. Tanti erat ęternę felicitatis securitatem adipisci.

RELIQVA EIVS VITA VSQVE AD mortem: &, huius vicinæ, prædictiones.

CAPVT XXVI.

EA deinceps animi æquitate præditus fuit, quæ terras propediem relicturo consona videbatur: Nihil ei ampliùs huius vitæ adlubescebat; futuram tantùm spectabat, & expectabat: & recursante memoria proximæ mortalitatis, angulatim colligebat, sollicitèque consarcinabat, quidquid ad mortis occursum conducere videretur. Pluries in die ante Confessarium in genua submitti cernebatur, pro suarum expiatione labecularum: atque ad proximum tempus suspirare, quo ereptus huic colluuioni, posset summi boni inaccessa atque inexpugnabili possessione frui. Frequens illi suspectus in Cœlum; ipsa noctis tenebra nequaquam illud auferente: nam, rigidissima licet hyeme; per fenestræ vitrum, quod idcirco ligno non operiebatur, in illius intuitum ferebatur: E cœlo in terram oculos demittentem, lacrimæ consequebantur & suspiria; dilateque mercedis dolori incubantem, cantica tantummodò recreabant & hymni, quos, impetum spiritus cohibere non valens, alacri voce concinebat. Fuit autem omnibus liquidò compertum, reserata ipsi fuisse incerti alioqui exitus sui certa momenta.

Nam ante biennium, pluries Gregorio nostro Carafæ adhuc tyroni asseruit, se octauo supra octogesimum ætatis suæ anno, ex hac vita educendum. Deinceps verò, nequaquam suspenso aut dubio sermone de ipso vitę termino auditus fuit eloqui; sed vt posset, signato die moriturus.

Labente Maio, qui obitum suum pręcessit, affini suo Octauio Viuio literas reddidit; quibus non ipsum modò, sed quotquot apud Castrum-nouum erant conciues, ad cœlestis patrię amorem sustollere nitebatur; tanquam breui,

corpo-

corporali eos præſentia relicturus;hiſq; ſalutaribus monitis ſupremùm eos roboraturus.

Morabatur eodẽ tempore Neapoli,Abbas Io. Maria Talliaferreus;quem inter & Andream,magna,vt aliâs diximus, adoleuerat neceſſitudo, dũ vterq; S. Carolo egregia pro Eccleſiæ ſuæ regimine molienti auxiliares præberet manus. Ad Domum noſtram ventitabat hic ſępiuſculè;hauſtum ab Andrea,ſpiritualioris doctrinæ pabula: & maturato iam reditu in Vrbem,ipſum adiuit. Audiuit verò ab eo, fidenter expectorante cordis ſua arcana veteri & probato amico; iam decretorium illum diem tandiù expectatum feliciter aduentaſſe,& periturum ſe breui, vt æternùm viuere inciperet. Quæ verba audijt ille lacrimabundus;oblituſq; cętera; tantùm vt à mox morituro benediceretur, expetijt; exindeque ad cęleſte iter ipſe quoque,doctore ſuo pręeunte, vigili ſe cura accinxit.

Interea,cùm is ad quẽ Veſtiarij cura pertinebat; aſpecto conſumpto,quo tunc vtebatur pileo,nouum ſe illi daturum dixiſſet;illud gratię pretium reuexit,quod cõercendo eſſet ſatis. *Ecquid*, inquit, *noua cogitas? abſtine ſodes ab inutili ſumptu;nec enim vlteriùs mihi vita procedet: breui, breui inquam ſubducar iſtis ærumnis,quibus (ah miſeri) circumueſtiendi corporis cura maceramur.*

Intrante verò Autumno ad Hetculanum, & Hoſtiliani Principes cùm pergeret; in Vicum Leucopetram interuium diuertit, vbi Iſabella Carafa Duciſſa Cercię maioris degebat. Hanc inſtituebat Deus occulta diſciplina per domeſtica exercitamenta in contemptum eorum bonorum, quorũ dulcedine ſolẽt animi ineſcari,quibuſq; ipſa ad inuidiã abũdabat. Qui rudimenta flagrantis cordis accurata penſitatione librauerat Andreas;vaticinatus illi fuerat, viro nondum viduatæ; eam, ſibi tamen & auię Iſabellę Villanę ſuperſtitem,alijs compedibus longèque nobilioribus vincendam, quibus poſtea vincta fuit. Nuptiali enim fędere ob viri

mor-

mortẽ ſoluta, Andrea & Auia è viuis ereptis, ſub ipſo virore iuuentæ, in Monaſterium S. Mariæ de Sapientia, quod Noſtrorum legibus paret, recluſa; calcat ibi etiam nunc terrenorum omnium faſtum. Hæc itaque ab eo, vt diximus, Septem rum omnium faſtum. Hæc itaque ab eo, vt diximus, Septembri inuiſa; intenta audiebat rigidæ virtutis conditorem. Mœrentem poſteà ipſius diſceſſu interfatus Andreas; aſſeruit, ſupremum illud eſſe colloquium, quod vnà miſcerent. Ipſo verò diſcedente, nihil tunc aliud. Secedentem autem in ſe ipſam Duciſſam; inquieta ſollicitudo habuit, de eo ſibi conciliando anxiam. Indignabatur quoque ipſa ſibi, quòd vitio ſuo fortè, Sancti viri colloquijs non eſſet amplius fouenda. Eo tamen breui vita functo, ſtatim icta fuit memoria verborum, quæ olim neſciuerat deprehendere; liquidèque perſenſit, exitus ſui diẽ, tunc illũ, ijs verbis voluiſſe mõſtratũ.

Aliquando etiam, ſocio ſuo in lineorum ipſius lotione occupato; æra ſacra per illum eo tempore pulſanda, ſiluere: Cui proinde meritò iuſſum fuit; vt quò cęteris, accuratæ, quam Diuinis profitemur diligentiæ, ſtimulo eſſet; in medio Refectorio, ſub menſæ initio, ex recepta Religionis obſeruãtia; & negligentiæ ſuæ culpam vltroneus fateretur, & pœnam peteret, qua pro illa faceret ſatis. Id vbi reſciuit Andreas; ſecum ipſe volutât; ſe potiùs obliuioſæ illius negligentiæ ſontem fuiſſe, cuius ille ſeruitio tunc diſtentus fuerat: ac Religioſum ſe abnuit, quandiu piamine aliquo eam non expiet. Mirandum profectò ſpectaculum, quodque omnibus in menſa accumbentibus lacrimas exciuit: Nonagenarium ferè ſenem vidiſſe, in publico refectionis loco, quò per ſexdecim penè annos, ſui rigore ieiunij, non conuenerat; alienam culpam in ſe vlturum, in genua prolapſum; ſingultibusque in verba laxandis, accuſaturum ſe, niſi Superior pro ſui reuerentia obſtitiſſet, eumque abire voluiſſet. Paruit iubenti Andreas: ſed pro ſocij animaduerſione, ſolitario dolore ſe paſcens; ſtatim à menſa illum accerſitum complexatur: bono eſſe animo iubet; non diù ſpondet laborioſa illa

obſequia duratura : octo tantùm dierum ſpatium intercurſurum : hoc emenſo ; futurum vtrumque extra curas. Prædictio, euentu certo comprobata fuit ; Octauo enim prorſus die ; vitæ alter ; alter obſequij expers fuit. Sed neque eo facto exſaturari potuit eius in ſocium comitas : noua enim gratitudine eam cumulauit; quæ iterando mortis ſuæ vaticinio cauſa fuit. Scriptis enim literis ad Andream Piſcaram Caſtaldum ſuum olim Nouitium dilectiſſimum, ac poſteà etiam Confeſſarium; Religionis nomine, Romanam ac Neapolitanam Prouinciam tunc luſtrantem ; humaniſſimè à ſocio accepta beneficia dilaudans, quem commendatum illi optabat; dolenter ſe affectum conteſtatus fuit; quòd extremo vitæ ſuæ exitu; ſui cauſa in illum fuiſſet vel leuiter animaduerſum : Et vrgeri ſe quàm maximè, vt tunc id officii præſtaret beneficus in beneficum ; quandò vicina mors tantillo tantùm temporis ſpatio, vitæ huius vſuram permittebat.

Dùm flueret hæc ſignatorum dierum hebdomas; Parthenonem inuiſit ab Aurelia Papara, cui ipſe fuerat à confeſſionibus, erectum. Ibi tunc recluſa erat inter cæteras Virgines, Hieronyma Guazzaluta, ab ipſo ad pietatem inſtituta, & in ſpem quoque ſalutis ſuæ reſtituta, cùm olim inſidioſis mali Dæmonis artibus ad deſperationem fuiſſet aſſiduè ſollicitata. Ad filiæ conſpectum, ſalutare in illam Pater Crucis ſignum protracta manu expreſſit; ſubdiditque, abſtrahendos ſe & nunquam redituros ad conſpectum. Perculſa acerbo verbo illa, profuſis lacrimis rogare, ne ſe deſtituere vellet, maximo ſpiritus ſui profectu expertam, quàm calamitoſum ſibi futurum fuiſſet, Magiſtro ſuo carere : Ille verò concitato reſponſo exclamare, *Ad aliam vitam, ad aliam vitam* : Iterare illa preces : ipſe verò extra ſe raptus, non alium ſermonem inſtaurare, quàm, *in Paradyſum, in Paradyſum*. Itaque Hieronymæ auditorum verborum curis incubanti; nullus ambigendi locus relictus fuit, ab Andrea proximæ mortis conſcio

ea eſſe

ea esse dicta, vti euentus posteà certitudine patuit.

Exeunte hebdomade, Principissæ Hostiliani literas dedit, vt aliâs sæpissimè, ad pietatem exstimulatrices; sed admiratæ quòd nullam eousque in eo laborum suorum pro ipsa perpetratorum experta venditationem; in ijs tamen ad ea sedulò pensanda impelleretur: Eius enim refricabat memoriam; vt ipse nunquam sui, nũquam suorum commodo eã fatigasset; subdebatque optare se, vt non imparia dona sibi remitteret mortuo, cuius animam, frequentato incruento sacrificio curaret expiatricibus flammis quantocyus exsolui. Traditæ literæ propridie transitus ipsius; nuncij tamen incuria, redditæ postridie, compertò manifestarunt, eas tunc ab Andrea scriptas, cùm se sciret à morte mox inuadendum.

Nulli tamen id luculentiùs aperuit, quàm pauperculę cuidam mulieri, cui ex ea pecuniæ summa, quæ erat in pauperes ex Religionis consueto distribuenda; Superiore annuẽte, dabat ipse quotidie dimidiatum Iulium. At peruigilio obitus sui, integrum fuit ei elargitus; causamque duplicatæ pecuniæ subiecit, non aliam prorsus esse, quàm, quòd ea postremùm vice, liberalem ac propitiam eius manum, esset ipsa expertura. Illa interrogare liberaliorem datorem non ausa; aut quo ipsa facinore, assueta largitate priuanda, sciscitari; cùm eum vidit ad cęlestem vitam euocatum; rem satis exploratam non distulit narrare.

SVPERATO HVMANI GENERIS HOSTE Sanctissimè moritur.

CAPVT XXVII.

AD quam porrò vitam postridiè, vt signanter prædixerat, fuit euocatus. Pergebat diluculante die Lunæ, qui decimus erat Nouembris, vt incruentam hostiam

intemeratus offerret; obuiumque habuit Præpositum Domus: Cui anxiè percontanti; vt se per noctem ab assuetis languoribus habuisset; concidente vultu respondit; subdebilitatum: Hoc ille audito; ingeminauit preces, vt eum à sacrificando detineret, quoad saltem tantillo tempore viribus roborandis vacaret: sed frustrà; id enim nec rogatu valuit impetrare; nec iussione voluit, ob viri reuerentiam, imperare. Sacrarum ergo vestium ornatu prefulgens Andreas, Altare petiuit quod à siniſtra maioris erat, D. Iosepho Sanctissimo illibatę Virginis Sponso dicatum, Sanctorumque ipsanis venerabile. Tertiùm claudicante gressu, illisus proculdubiò fuisset ad solum; nisi vehementissimum celebrandi desiderium, fortiori impetu animum ipsius roborasset. Itaq; ad Aram peruentum: Ibi socius in aurem ipsius anheli, viribusq; fessi & laxati, suasoria verba insusurrauit, ambiguum exitus, tanto periculo subductura: quę auersatus Andreas, vniq; Deo fisus; vires, vt sperabat, sibi suffecturo, in sacra verba *Introibo ad Altare Dei*, vocẽ laxauit, eamq; satis tenuẽ: Cõticuit socius; vt vel silentio; standi fandiq; impotẽ reuocaret: At repetito ille versiculo, obmutescentẽ prouocabat: Neutri tamen vacauit, alterna pietate prolixiùs iurgari: quandoquidẽ Andreas subita apoplexia correptus fuit, qua siniſtra omnia ipsius emarcuêre; quaue in terrã quantus quantus erat, fuisset casurus, ni socius cadẽtẽ excepisset, ac fouisset. Statim circa correptũ conuenit concurrentiũ cętus, acerbo casu cõterritorũ; à quibus in Sacrũ Vestiariũ deductus, se conãtibus hausțu meri, & frigidę affusu, abeuntis animã remorari. Cùm ille interim, obtutum in interrogantes quo premeretur malo, attentè fixisset, nullumque daret responsum; liquidò compertum fuit, morbi atrocitate, loquendi etiam facultatem sibi ademptam. Deferebant eum in cellam; sed inuitum: nutibus enim, & renutibus significabat, non in cellam se velle deduci, sed ad maius Altare; vt suauissimo Eucharistico epulo, quod ibi asseruabatur, in extrema

illa

illa hora posset refici. Respondit Præpositus; commodius tunc esse cubiculum, siue medicinæ, siue quieti: nec defutura tantisper recreato, extrema illa animæ solatia, & munimenta. Reuersus in cellam, ac in stramentitio suo lectulo, vt Superiori obtemperatum veniret, collocatus; cùm modicæ quieti vix aliquantulùm indulsisset, impatientior omnis moræ in Ecclesiam adspirabat. Tunc Medici, quos accersitū procucurrerant, aduenere: Pulsu ii tacto; spem omnem vitæ iam esse prorsus euanidam affirmarunt; eiusque ne pauxillum quidem supereſſe. Nihil itaque cunctati Patres, decedenti Sacrosanctum Viaticum ministrauere, in genua se submittere conanti, sed virium imbecillitate prohibito; qua velut obice irritata deuotio, acriùs exardescebat. Posteà sacro quoque Oleo ritè fuit munitus. Quod superfuit diei, placidè traductum; corpusculo quidem doloribus presso, sed animo ad tranquillitatem composito; vti beatam æternitatem mox initurum par erat; immò delibantem iam immortalitatis gaudium. Accurrebant lacrimantes Nostri, & sæculares innumeri; ac vtrisque optatam benedictionem flexa dextera, quam velut filiorum solamini apoplectica malignitas non læserat, impertiebatur.

Intrante Vespera; ipse quoque agonem mortis intrauit. Nostri omnes in cellam ipsius publico campanulæ signo, vti moris est, aduocati; exeuntem animam sacra hymnodia comitabātur. Cùm repentè intumescere visus est Andreæ vultus, ac tetro colore nigrescere: Et ingenti proinde consternatione adstantes quoque omnes impleri: Collatis quippè sententiis, ex indice animi vultu affirmare omnes, tremendū aliquod illum subire certamen cum hoste generis humani: & quisque tunc reminisci, vt ipse olim supremam hanc concertationem præuidisset, sæpiùsque fratribus suis, quorum opem ardenter expetebat, etiam prædixisset. Habebat in Cella Deiparæ Virginis imaginem: in hanc fixit obtutum, suppetias sibi certanti laturam: Fuerat verò ea Imago, ipso teste,

multorum mirabilium patratrix; inque eam, dùm eius narraret miracula, ſpem ſe omnem in extremo conflictu fidenter collocaſſe, pluries aſſeuerauerat. Cur nigruiſſet, curue timeret, ſciebat nemo: patuit verò poſtmodùm ipſo ad cęlites tranſlato; cùm teſtimonio dæmonis, hunc eundem triumphum cogente Deo faſſi, & Victori Epinicion canentis; tùm relatu Iacobi Torni admirandæ ſanctitatis viri.

Decembri ſiquidem inſequenti, in Templo D. Antonini, quod Noſtri in Ciuitate Surrentina incolunt; Noſter Thomas Pelliccionius; induſtriam nauabat operam, Nobilis cuiuſdam menti denubilandæ, atque ad bonam frugem conuertendæ, quem malus dęmon obſidens, ſuisque ſicophantijs deceptum, ad turpium conſenſum exſtimulauerat, & perpulerat. Hic Sacerdos inaudijt per obſeſſi vocem, illum vniuerſi boni noſtri inuidentem, acerba ſibi minitantem: quę ipſe terriculamenta deridens, compeſcere non ceſſabat ſceleſtum, ne ſe ab incepto deturbaret. Ad quem is, *An putas*, inquit, *illi fieri ſimilis Andreutio* (ſic per ludibrium eum appellitabat) *nuper Neapoli in D. Pauli vita functo? Verùm inani id conatu moliris: nec enim huius animam è meis vnquam manibus eripies; facturi inſuper, vt te facti dolenter pœniteat.* Ille conteſtatus; non ſui, ſed Chriſti meritis, ex orci faucibus eripiendam Nobilis animam; increpabat iniurioſa verba in Andream effutientem, ad cęli gaudia euectum. Cachinnans diabolus, velutque per iocum; de Andrea ſe locutum reſpondit, cui defuncto, auris inciſio, & ſanguinis emanatio, famam conciliauerat & venerationem. Sacris poſteà adiurationibus ad obmuteſcentiam compulſus; horribili primùm eiulatu præmiſſo; *Cogor*, inquit, *quamquam diù reluctatus, vera tibi ac citò fateri. Coractus* (hoc ille ſibi nomen fecerat) *vnus ex infelici hac noſtra ſodalitate, Andreucij morti interfuit; viſus & cuidam ex eius fratribus propediem ex hac vita migraturo; interfuit, & vapulauit diriſſimè.* Excitarunt iſta, veſtigatricem exorciſtæ ſedulitatē; datisq; ſtatim ad Noſtrum

ſtrũ Benedictum Mandinã Neapoli degentẽ literis, fieri narratorum certior expoſtulauit. Lectæ fuere literæ in multorum præſentia, qui hęc pro teſtimonio in Canonizationis proceſſu dixerunt; Iacobum Tornum in lectulo ægrè decũbentem inuiſentium; Hic verò, ſcripta, palam, & apertè ſuo teſtimonio roborauit.

Erat Iacobus (vt curſim aliqua de ipſo delibem) ſupremi faſtigij Religioſus: Perfectionis enim ſemitam præuio Marinonio ingreſſus, eam quinquagintannali greſſu ita calcauerat, vt nemo illo creditus fuiſſet humilitate deiectior, obedientia promptior, paupertate abiectior, aut in regula ſeruanda tenacior. Effinxerat illum natura ad rabiem, formauerat ad furorem; ſed charitatis ſtimuli, adeo pectus ſuũ tranquillauerant, vt nunquam viſus fuiſſet irę obnoxius. Linguam verò perpetuò cöercuit, quam conſtante fama, nunquam fuit auditus ad otioſa laxaſſe. Patientia etiam fuit admirabili: Iſchiadis enim morbo, quo diutiſſimè laborauit, minimè quati potuit; neque fœdo vlcere concuti, vnde putris ſanies aſſiduè profluebat, renes ipſius annum totũ exedente: quin & ipſum inconcuſſo animo tulit, nullique mortalium, Deo tantùm inſpectore contentus, patefactum voluit. Multarum item palmarum cum dęmonibus celebratus fuit athleta; qui imperturbatam ipſius mentem, ſexcentis dolis & artibus nitebantur labefactare; dormientemque ipſo noctis concubio aggrediebantur; ſed ipſe in aſylum ſe recipiebat Altaris ſuperuenerandę Euchariſtiæ; vbi fugã ij prępcipitare cogebantur. Viſitur eius corpus etiam poſt ſextumdecimum annum feliciſſimi eius è mundanis fęcibus tranſitus, flexile adhuc, & incorruptum, in prępmium illibatę puritatis; confluentibus vndique fama ſanctitatis eius illectis, ad illud ſanctiſſimę animę conceptaculum venerandum. Hic itaque auditis literis; narrauit, vidiſſe ſe ibi hominem quendam aſpectu formidabili, vultuque teterrimo; lacero tamen ſordidoque habitu indutum; è regione morientis,

genubus

genubus in ipſius lectulum procumbentem; totoque niſu viam illi ad cęlum intercludentem. Viſu immanis beſtię, nil ſe territum, ſed ſuſpicatum inſidiatorem eſſe generis noſtri, ac pręcipuè Sanctorum virorum, audacter ad illum, & cum imperio, *Quid tu*, dixiſſe, *ò malorum omnium artifex hic agis? Quid hinc petis callide veterator?* Et illum, *Animam acceſſi miſerandi iſtius ſenis è ſuo corpore diuulſurus, mei certè iuris prædam. Cæterùm tu qui auſu tam magnifico poteſtatem in me exercere affectas; ne perperàm tibi adblanditor; quin te quoque in imum inferorum antrum me vrgente, ſcito quàm primùm eſſe detrudendum.* Et cùm verba ipſe pararet profligandę inſolentis hoſtis temeritati, extemplò vidiſſe ſuperiorem quandam poteſtatem (ſic humilitatis amator, Angelorum nomen contegebat) oris venuſtate niteſcentem, cęruleoque habitu effulgentem; tentatoris collum, ceu moloſſi cuiuſpiam collari cinxiſſe, cuius claui non quà capitati, ſed quà acuminati, introrſum ad cruciatum & fodicationē erant inuerſi; illumque ad cellę parietem adegiſſe, qui vltro findi viſus eſt, vt deturbando ſceleſto viam ſterneret; ac tandem in clauſtri viridario fuſtigatum compreſſiſſe, indeque pręcipiti fuga in tartara ablegaſſe.

Ergo ſimulac tutelaris Andreę Angelus, Iacobo, vt diximus, viſus, ſpectrum illud horrendum exterminaturus intrauit; detumuit eius facies, ſuoque colori rubicundo reſtituta fuit; qui in candidiorem poſteà ſe tenuauit: Ipſe vero immortalitatis ſtatum iam è propinquo proſpiciens, cęleſti voluptate permulceri viſus eſt: ac paulò poſt oculis in Deiparā propugnatricem ſuam intētis, è graui pręſentis vitę ergaſtulo euaſit, pedicisque corporis excuſſis, ad Conditorem profectus eſt ſuum, Anno reparati orbis ſexcenteſimo octauo ſupra milleſimum; cùm illi flueret octauus ſupra octogeſimum. Corpus ex religioſo more lotum, ſacrisque veſtibus ſupra communes indutum; iacuit noctem totam in eadem Cella; vbi multi ex Noſtris preces pro defuncto effundentes

proli-

prolixiùs circumſteterunt : Vnus inter cęteros veneratio-nis illectu pernox ibi perſeuerauit, quòd internitentem & radiantem vidiſſet eius faciem, ac idcirco illum crederet inter cęli accolas iam aſcriptum, beata iam frui Dei præſentia.

ADMIRANDA EIVS SEPVLTVRAM conſecuta; ſanguinis præſertim è cadauere promanatio.

CAPVT XXVIII.

QVo prorſus momento è caſtiſſimo corporis ſui templo in auguſtiſſima cęli templa immigrauit Andreas; ære ſacro pulſato commonefactus populus, ad fundendas pro ipſo preces fuit inuitatus. Erupit tunc omnium vna vox; *Sanctum deceſſiſſe*. Dimanente fama trāſitus ipſius, cùm priuatim, tùm publicè fuſæ pro ipſius anima preces. Sed arcano quodam impetu multis haud poſſibile fuit in ea verba vocem laxare, quæ iucundiſſimo Dei aſpectu fruentē dedecerent: Velut enim occultis retinaculis impediebatur eorum lingua ad Requiem illi æternam in fine Pſalmorum apprecandam; ſoluebatur ad Hymnum gloriæ, Triadi ſanctiſſimæ pronunciandum. Contigit etiam tunc, Virginem Magdalenam Baronam recluſam Monaſterij S. Marię de Sapientia; ſub hora noctis ſecunda, ad Chorū, vnde proſpectus ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti patebat, ſolitariam ſeceſſiſſe; vt Veſperas Defunctorum pro tot certaminum athleta, coram rectè factorum remuneratore Deo recitaret: ſtatimque apiculam ſacris chartis ad quarum præſcriptū orabat, inſediſſe; aures interim ipſius ſuaui bombilatione, mentem ineffabili dulcedine permulcentem; demiratæ vndenā, & quo illicio in ſacrum illud Odæum eo tempore id animalculum ſeſe intruſiſſet, ſibique minimè, vt aliâs faſtidioſum,

& formidolosum. Verùm,cùm recitatis posteà precibus; & à sacro libello,& ab ipso etiam Odæo se apis subtraxisset ; coniectaneo indicio suspicata fuit Magdalena ; exemplar id fuisse Andreæ,florilegulæ dum hic viueret apis,è vitæ huius agro in cęleste iam alueare collecti,laudes tunc Deo sempiternas concinentis.Incruento quoque sacrificio pro ipso litatum fuit.Quibusdam tamen è Nostris Sacerdotibus summa vi enitendum fuit , vt Missam defunctorum possent celebrare : indecens enim putabant , si ad ipsum expiatricibus flammis soluendum , sacrificium offerrent , quem , interno quodam afflatu existimabant inter cęlites morari.

Prouecto mane , beatum pignus Nostrorum humeris sublatum,in Ecclesiam delatum fuit : quò ingens populi numerus pręcucurrerat,veneratum Dei familiarem & amicum: sed & statim subsecutus innumerus;ita vt angusta esset tantę multitudini Ecclesia;certatimque omnes,manus & pedes illius exosculari ; frustula vestis decerpere; barbæ & capitis pilos præcidere ; substitutoque altero clericalem ipsius pileum pio furto surripere;Nostris incassum , & frustra obnitentibus; perque omnium ora certissima fama de eius sanctitate peruagari.Cadauer magna omnium admiratione adhuc non riguerat;sed erat flexile;multique deuotionis ergo dextera ipsius,frontem sibi,pectusque , viuifico crucis signo muniebant. Vultus insuper illi erat,haudquaquam decolor ; sed alabastri instar candescens . Cùm peractis sacrificijs fuisset illi parentatum;in subterraneum cęmeterium deductum fuit;ibi tunc terræ mãdandum; nisi Isabella Caracciola Duciſſa Aquarij,multa prece à cępto sepeliendi reuocasset Patres,anteuersuros religiosa modestia ingruẽtem populi frequentiam;donec nurus sua Maria Caracciola Marchioniſſa Vici, quam accitum procucurrerant , è Leucopetra aduentaret . Isabella quoque Gonzaga Aragonia Hostiliani Principiſſa, remorandam sepulturam suadebat ; vt diutiùs daretur venerari mortuum, quem viginti ferè annorum spa-

tio

tio ſuſpexerat Patrem. In Veſperas itaque eius fuit dilata ſepultura : non tamen ſine Dei nutu, molientis celebriorem Andreæ ſanctitatis famam, per ipſa etiam nimiùm vocalia puerorum ora.

Par etenim fratrum, filiorum Fabritij Guindatij, rude fraudum dolique neſcium ipſi miro modo ſubſeruijt. Horum alter qui ad mortuorum conſpectum ſuapte natura exhorreſcebat; & in intima etiam domus penetralia, ſi fortè per plateas contigiſſet eos efferri, ſeſe abditabat; ad hunc non modò non expauit, verùm & exhilaratus quoque mirificè fuit; nec vnquam potuit manibus ſuis ab eius vultu diuelli, puellaria eiuſmodi in eum exhibens blandimenta; quod eius domeſtici, non abſque ſecreto Numinis impulſu fieri, liquidò affirmarunt. Alter verò comitatus matrem Hippolitam de Afflicto domum reuertentem, lamentabundus dolebat, forficularum inopia, capillorum eius theſauro ſe fuiſſe priuatum. Et, *Vtinam*, dicebat, *ò mater, hoc eſſem ſaltem ſolatio recreatus, vt precarios calculos è manu ipſius potuiſſem ſuffurari:* Ad quem mater; *Age fili, ecce illas, & quando tam ardenter id concupiſcis, cura vt audaciter exequare.* Ille ergo per populi tumultus viam ſibi ad feretrum ægrè molitus; ex eius manibus coronam proripuit, inſpectante populo & acclamante; *Iam ex infantium ore perfectam Andreæ laudem*; obtulitque matri lętiſſimus lætiſſimæ : Hac poſtea perpetrati furti pœna mulctatus; quòd è ſæculi cæno, antequam eo poſſet fędari ereptus, in terreſtre hoc Religionis cęlum Andrea è cęlo vocante fuit tranſlatus; vbi mutato nomine in Caietanum, viuens etiam nunc, ad vlteriora contendit.

Dilata itaque ſepultura, vt diximus, ad Veſperam. Interim redijt Hoſtiliana, rurſumque coram tot annorum Magiſtro in lacrimas effuſa, veſtigatrice oculo luſtrare cœpit; num, eius quem eximia charitate dilexerat viuum, aliquid apud ſe habere daretur mortui : inque coronam

præcipuè illius aſpirans, vt inaudijt iam ab alio præreptam, nullum non mouit lapidem, vt vel partita poſſet ditari, quæ non potuerat integra : Dimidia verò potita, illam ſcirrho ſuperpoſuit, quo ſiniſtra eius mamma turgebat, breuique in cancrum abiturum timebatur : eius interceſſione, à quo viuo, ſpiritualis vitæ monita diu hauſerat, corporeæ quoque ſalutis, certiſſima fidentia expectans medicinam. Vt domum reuertit; aduertit, inſpectante quoque nuru ſua Helena Aldobrandina Duciſſa Montis Draconis, ac ipſo etiam Principe viro ſuo, molluiſſe duritiem, euanuiſſe malum : obſtupeſcentibus Medicis; quorum iam penè exhauſta fuerant remedia.

Sed cùm videretur iam Principibus iſtis factum ſatis; Noſtri pro ſua modeſtia, compeſcendo frequentiſſimo populo, ſepulturam maturabant. Inſtauratis itaque precibus, loculus adduci iubetur; vbi, vt à cæteris internoſceretur; recludendus erat. Nulla autem arte fieri potuit, vt eum capſa caperet; ne compreſſis quidem brachijs, aut inflexis pedibus : eam verò faber lignarius iuratus horum teſtis, compoſitò fecerat porrectiorem; & alteri poſtea ex Noſtris ibidem defuncto, procerioris ſtaturæ viro ſubſtituit. Tunc elata adſtantium voce; perſenſerunt Noſtri, abditam eam eſſe ſupremi Numinis prouidentiam, nolentis præpropera illa ſepultura, admiranda ipſius offundi, quę per cunctationem forent propalanda.

Pietas etenim accurrentium ad Andreæ corpus venerandum; plurimos illi capillos euulſerat, multumque cruoris ex capite effluxerat : Id verò nullus aduerterat; niſi cùm linteum poſtea ſepulchrale ſtillatim viſum fuit purpuraſcere. Itaque Noſtris rei nouitate perculſis, inque incerto conſilij, procraſtinanda fuit ſepultura. Illuceſcente craſtino, aduocatur Iulius Iaſolinus celeberrimus Medicus, famaq; apud exteros quoſcumq; notiſsimus. Sed pręueniens Hieronymus Thomaſius inſignis quoque Medicus, & Comes Palatinus;

admi-

admiratus ſub frigidiſſimo tecto, ex nonagenarij ferè ſenis corpore, cuius attactu adhuc calentis, ſindon, & ipſa quoque puluinaria calebant; flante licet rigidiſſimo Aquilone, tantum prorupiſſe ſanguinis; exploraturus an fuiſſet naturę vi dimanans; venam rectam in medio fronte incidit, quæ ſanguinem minimè reddidit. Iterum autem ne quid periculi omitteret, alterum ei vulnus inflixit in pericranio ſuturæ coronalis, quod multarum venarum concurſu ſanguine ſcatere ſolet; tunc tamen prorſus exangue repertum fuit. Ipſam itaque pelliculam, cui aliquid carnis coniunctum erat, cùm ſibi comparaſſet, abijt lætus; ac ſtatim infantis ori lac nequaquam ſugentis admouit; & ſtatim vitalem ille alimoniam ſuxit: Ea poſteà, aurea theca incluſa, viuidum colorem nunquam amiſit, perſeuerans incorrupta, & hoc anno quo Beatorum faſtis aſcriptus fuit Andreas, plùs ſolito purpuraſcens. Iaſolinus, non integra hora ſerior, in hoc mirabilium theatrum ſeſe contulit; partemque incidit ſuapte natura exanguem; pelliculam ſcilicet dextræ auris, quæ guttatim paululum ſanguinis miſit. Vix tertia elapſa erat hora, poſtquam Iaſolinus, inciſione ſanguinem prouocauerat; cùm denuò aduentantes Duciſſa Aquarij, & Marchioniſſa Vici nobilium fœminarum ſtipatæ multitudine; perennem fluxum ex eadem aure perſpexerunt; ſuppoſitisque vitreis vaſculis ſanguinem collegerunt, publicaque fide cuncta roborari rogauerunt. Ergò, quod toties Andreas prædixerat, cùm de ſe pro Sanctarum Virginum tutela ter crudeliter ſauciato ſermonem haberet; ſibi mortuo tria quoque vulnera infligenda; nunc opere comprobatum eſt; trino, frontis, cranij, & auris vulnere: paritate quidem numeri, attamen glorię ſublimitate & excellentia, longè maiori.

Intereà nulla viarum ad Domum noſtram ducentium ſatis erat explicata, ob ingentem populi multitudinem, quę coibat, & ipſas Cœmeterij fores quaſi effringebat, vt videndi ve-

di venerandique Patris fieret copia. Tunc per posticum egressi, collocarunt Nostri eius corpus in Ecclesia ponè Cappellam Principis Apostolorum; tùmque primùm, ex cranio pridie inciso cæpit sanguis manare, nec vltra ex aure profluere. Porrò, quę in sanguine isto vel colliquefiendo, vel ab impuritate seruando, mirabilia patrauerit Deus, eiusque attactu quàm multa sanitatum dona fuerit elargitus, proprio loco dicetur aliâs. Cygneus item Andreę color cum quo decesserat, in rubentem cępit inflammari, quod ipse quoque olim prędixerat: Cùm enim viuo dicerent sępius Nostri admirabundi, siue congratulabundi, senectutis incommodis haud illum premi, qui vultu penè igneſceret: *Sinite*, respondebat, *Ne de viuo miremini, qui etiam triduò mortuum, rubescentem admirabimini*. His peractis, redijt iteratò Iasolinus, voluitque oculos ipsius aperire; quos nequaquam contaminatos aduertit: & nisi à puluere eis timuisset, quem concurrentium turba excitabat vehementissimum, eos ad piorum solatium sic reseratos reliquisset.

Ad noctem vsque eius visendi, cunctis facta fuit facultas; fletum prę cordis teneritudine ac deuotione integrantibus; eumque tertio etiam hoc die, flexilem, calentem, ac morbidum contuentibus. Secunda noctis hora, ampliori loculo cadauer incluſum, terrę tandem mandatum fuit, ac secus Altare Cęmeterij tumulatum. Vertente verò Anno, cùm Neapolitanam Prouinciam lustraret Ioannes Antonius Angrisanus Prępositus Noster Generalis, nunc Archiepiscopus Surrentinus; effosso apertoque loculo, nullus grauis odor efflauit, nullaque tabes reperta fuit. Anno dein sequente, increbrescente fama sanctitatis eius; è Cęmeterio in Ecclesiam translatum fuit, atque in eadem Sancti Ioseph Cappella, quò ipse vltimum sacrum celebraturus accesserat, collocatum; magna ibi populi frequentia veneratur, pretiosisque donarijs locupletatur, multa eaque

magni-

magnifica operante Deo ad Viri ſanctitatem illuſtrandam; quorum narrationi alium huius operis librum dicamus.

ANDREAE FACIES EXTERIOR.

CAPVT XXIX.

CLaudam totam de Andreæ vitæ curſu narrationem, vbi velut in tabula eius effigiem propoſuero. Fuit itaque is, ſtatura eminentior mediocribus. Caput ipſius niueo capillitio conueſtiebatur, ſinciput tantummodò paululùm denudante. Oculi erant orbiculares, ac viuido ſemper lumine radiantes; vnde primùm velut ex arce, potentiſſimis iaculis petitæ, quæcumque ſpeciem ipſius auerſa cupidine appetiêre: verùm ſeni ob frequentiſſimum fletum perpetuò madentes cernebantur. Malæ prominentes. Naſus in latum potiùs patulus, quàm in longum inflexus. Labia ſubtilia. Barba candida. Grata frontis hilaritas. Vultus ſerenitatem, igneſcens quidam rubor ſuffundebat. Facies domicilium honeſtatis & pudicitiæ, internique affectus præmonſtratrix: ac ſilente licet lingua, adhuc percontatrix & interrogans: Ex eius manibus, multi venerationis ergo illas ſæpiùs exoſculati, halantem odoris ſuauitatem, minimèque dubiam ſentiebant: qua perfuſi, dulci, ſed valido illicio ad pietatem ſe adigi aduertebant. Corpus totum ſuccipleno & gracili medium; quod languoribus ac ſenio feſſum, baculo innitebatur. Vox minitabunda; & antequam dentibus exarmaretur, & aſthmate corriperetur, clarior. Greſſus demum illi concitatior; qualis eum decebat, cui nulla pars diei vel minima per otium exibat; quiue in proximorum ſalutem anhelus properabat. Effigiem ipſius ter expreſsêre pictores: bis à viuo, ſemel quidem furtim ab inſcio, in gratiam Comitis Proſperi Tedeſchi Placentini.

Iterum

Iterum paucis ante eius obitum annis, à conſcio, ſed Superioris precepto ad id adacto; vt votis Raynutij Farneſij Ducis Parmenſis, fieret ſatis, quem is perenni ſalutarium monitorum diſciplina, ab ipſis ferè cunabulis enutrierat. Tertiùm verò à iam defuncto.

DE VITA B. ANDREAE AVELLINI CLERICI REGVLARIS,

Liber Secundus.

QVI EST DE EIVS VIRTVTIBVS B. Andreæ Prudentia.

CAPVT I.

EXTREMO ſuperioris libri capite, ſimulacrum vultus B. Andreę finximus, ſed imbecille, ac mortale. Proprioribus nunc lineis eum deſignabimus, forma mentis æterna; per virtutes ſcilicet; quę ipſius animam condecorauerunt, & ornauerunt. Ordiemur autem ab ea, quæ præcipua eſt humanę imbecillitatis adiutrix, Prudentia. Huius namque ope ſuis quisq; & aliorum etiam rebus proſpicit, atq; ad ſubita queq; nouorum conſiliorum, rationes accommodat: Cui quotieſcunque cęleſte lumen (quo Dei amici non deſtituuntur) copulatur, à ſcopo nunquam aberrat; neq; ancipitem inter incerta euentum reformidat. Hunc prudentiæ apicem, in Dei familiari Andrea, admirari licet; Andrea inquam; non ſene tantùm, & cui ſeneſcentibus membris, neceſſariò ſapientia vireſcere deberet; verùm & adoleſcentulo. Adoleſcentia quippè illi vernabat, quando Catechiſtam in patria agere cępit; vt conciuibus ſuis, cęleſtis viæ fieret præmonſtrator, ac ſaltem germinantes puerorum ſurculos diuini timoris pedamine ſubſtentaret. Id rudi illo ſęculo, pietatisque penè

experte, nullo adhuc exemplo viderat; accurſu tamen & interuentu prudentiæ ſuæ, felici euentu perfecit; cateruatim adipſum ex conterminis oppidis confluentibus pueris; quos futuros cæterorum magiſtros, varijs præceptis imbuebat, varijs illicijs detinebat.

Cùm vir poſteà & ſacerdos, actas in deuia Sancti Michaëlis Moniales, Marinonij ſuaſu, & Rebibę iuſſu, coactus fuit in ſalutis calles redigere; quæ non prompſit è prudentiæ penu remedia? maximè, cùm ferè venabulis eſſent interceptæ feræ & per honeſtatem ſubuentionis ipſarum, ſperarent aliqui ad labem peruenire ſacrilegij. Erant enim nonnullę ex incluſis omni humano auxilio deſtitutæ; quas, ſi deſciuiſſent, minùs culpabiles ipſa pauperies feciſſet: Ipſe ſe illis à manu, ipſe ſe à pedibus dicauit, vt poſſet eas à noxijs reuocare. Sed quale illud machinamentum exædificandæ nouæ Eccleſiæ; niſi ſeriæ, & in omnem partem intentę excubationis? vt nimirum, contemplaturę in auguſtiori Templo Maieſtatem Numinis, eiuſdem reuerentia ſacratiùs tenerentur. Quòd ſi contendat quis, Andreæ induſtriam minimè fuiſſe fructuoſam; non inficiabitur tamen, fuiſſe laborem pertinacem. Morbus certè aliquarum ex ipſis, potiſſima quæque depaſtus fuerat; & principes inſederat partes: nulla idcirco medendi peritia ſanari potuit. Ibidem quoque contra arietantia diaboli tela, non caſtitatis modò, ſed etiam prudentię vallo opus illi fuit ſe munire; cùm, eodem Rebiba iubente, intra Monaſterij ſepta fuit illi degendum. Earum etenim aliquę pellaces diaboli adminiſtrę, mentitæ purgandę conſcientię neceſſitatem, expapillatę, prima illum nocte adibant; obſcęna illius auribus inſtillabant; eiuſdem voluntatem delectamento pertentantes euocare, corpus flagitio temerare. Quid illi ſumendum conſilij? ſtandum? ſed ſuo periculo: abeundum? verùm hoc, vt ſibi cautius, ita Deo fuiſſet diſplicentius. Itaque cùm prudenter aduertiſſet, hoc Monialibus, ſeu turpi-

turpitudinum mancipijs futurum gratissimum; idcircò procaciter eum titillantibus; vt nisi cadere vellet, celeri fuga sibi consuleret, ne semper implacida cogeretur audire; id, inquam, cùm aduertisset; inter illas adhuc diu elegit demorari: At, quàm suspenso vestigio inter lubrica? sed nullo, vt diximus, fructu: non ideo tamen ipse extra prudentię laudem cum charitate sociatę, pro ipsarum tutela etiam crudeliter, vt aliâs diximus, sauciatus.

Postquam autem, Deo se in Religione dicauit, Nouitijsque instituendis præfectus fuit; mirandum in modum eius enituit prudentia. Et quidem, solemne illi fuit, neminem subito delectu admittere; sed solerti disquisitione quemquam probare: nec animi solùm, sed & corporis habitudines diligenter examinare. Religionem quippè, valetudinarium dicebat animarum, non corporum: Vbi scilicet, prauarum consuetudinum inueterati languores, omni charitate curandi sint; solidiùsque roborandus spiritus, & contra aduersa durandus: at nequaquam, sub ipso maximè tyrocinij ingressu, inutili & noxia occupatione tuenda valetudo, & à noxijs tutanda. Admissos, primùm eiurare omnem sęculi amicitiam cogebat; tum euellebat quidquid fuisset senticosum. Calescente verò spiritu, ad susceptæ vitæ rationem illos instituebat; auersatus tamen pręcoces quosdam spiritus; eos enim optabat maturè florere, non citò. Cuiusque imbecillitati opportunè prouidebat: acumine pensans omnia & dispensans; nullo errore distinguebat, quid quisque ferre posset, non posset; suscipere deberet, non deberet. Erumpebat hinc, tenuiores fulcire; ęrumnosis solatia porrigere; pusillos surrigere; ac nutricum imitamento, gradum eorum ceu puellulorum sensim explicare; vocemque etiam cum ijs tenuare. Clementia tamen & seueritate egregiè concordibus; illa etenim nullam seruandi occasionem amittebat; ista nullam puniendi causam omittebat. Obiurgationum is erat modus: vt nunc

tanquam cum pueris ęgris agens, valetudinem & medicamina faſtidientibus, domare videretur mitibus ſuccis, vim acerbi ſaporis; aut pręmijs inuitare ad ſalutem: nunc circũducere, ſeſe indeprehenſos exiſtimantes, per ſuauiſſimas ambages; vt etiam eos delectaret ſub incertis nominibus accuſari: nunc etiam aſpero queſtu, veluti reos illos citare ad tribunal. Turbulentorum quidem peruicaciam, diſciplinę virga domabat, rigida, animoſa, indeflexa; veſanos eorum ſpiritus grauiter frangebat, comprimebat, & retundebat; ne pernicioſa conniuentia, ipſorum contumacię indulgere videretur. Et occurrere morbo ſolitus erat, ne dilato remedio, ſenſim ęger ſenſu priuaretur: ſingulorum porrò ingenia proſpiciebat, vt in morbi medelam, in quam deberet intendi, euigilaret. Videre hoc licuit in Nicolao illo Zechio ſexagenàrio ferè ſene, ac legũ Doctore, earumdemq; publico interprete; cui idcirco tumebant pręcordia. Sed ipſum poſteà ſic molliuit, vt redeunte quaſi infantia, factus videretur morum ſimplicitate tanquam puerulus; oblitusq; honorarios illos titulos, turgidus quondam ille, humilitatis affectu grata tunc vocum paronomaſia, haud ſe Nicolaum appellari vellet, ſed Nihilaum.

Neminem quoque puniebat ob erratum, quem priùs non errare non docuiſſet: ſed errantes ipſo monſtrante, odio culpæ paulatim inquietos mores dediſcebant: Indicium autem in melius translati animi, tunc ipſe deſumebat, cùm vitia ſua, quę priùs illi ignorabant, viderent. Nonniſi autem extremis malis, extremum expulſionis remedium afferebat; nec, ipſo Nouitiorum rectore, quiſquam è Religione abiuit, niſi quem abire abeuntis etiam interfuiſſet. Quotidianis item periclitationibus explorabat, & inuitabat eos ad virtutum actus; proinde quotidiana diſcuſſione penſum cuiuſque ac profectum exagitabat; meditationum etiam capita tyronibus accommodata ea de cauſa conſcripſit. Studebat verò impensè,

pensè,vt Nouitij non vmbratilem quandam & euanidam virtutum ſpeciem conſectarentur, ſed ſolidam & medullitùs inhærentem,opereque practico expreſſam: ſępiuſculè illud Apoſtoli Ioannis vſurpabat: *Filioli mei non diligamus verbo neque lingua,ſed opere, & veritate*. Eorum autem incrementum, non ex ſenſibili quadam deuotione metiebatur,aut acri corporis vexatione (quam tamen ad cõercendos animi impetus adhibendam ducebat) ſed ex ſui ipſius glorioſa victoria. Omnes præterea intendit artus, nequis eorum abalienato ab ipſo eſſet animo, ſeu cordis profunditate occluſus: Et felici quidem ſucceſſu aſſecutus fuit,vt maxima facilitate aperiret ſibi quiſq; quidquid in imo ſui cordis penetrali latitaret, quidquid experiretur ſolatiorum ſeu tentationum. Contigit aliquando nouitium malo dæmone ſuadente,graue aliquod in eum fuiſſe meditatum, & hoc ipſum cum lacrimis veniam deprecatum, ei palam aperuiſſe: eo fructu,vt aflictatum eouſque ſæuis tentationibus eius animum,laceſſere deinceps non fuerit auſus inimicus; & Andreas paternè illum amplexatus, teneriùs poſtea dilexerit;apud quem & Patrem, ſatis excuſationis fuit,doluiſſe. Nec ceſſabat ad hanc interiorum manifeſtationem eos allicere aditu apud ſe nunquam imperuio aut intercluſo; ne ipſo quidem intempeſtæ noctis conticinio. Compertum autem erat,ſerenitate vultus illius,ipſum adeuntibus ſpem accendi,mœſtitiæ nubila diſpergi,tentationum æſtum ſedari: nec adeuntibus modò,ſed vix cubiculi ipſius limen terentibus: imò quod eſt mirabilius,decernentibus tantùm illum adire. Huic itaque tyrocinij ſtabiliendo fundamento, quod moli ſuperextruendæ par eſſet, diu ſatiſque inſudauit: ac tanti id fecit,vt coactus poſtea Domus Paulinæ Præpoſitum agere,nequaquam paſſus ſit eam à ſe curam diuelli,ſed ipſi, ac ſi nihil aliud eſſet acturus,ſedulò ac ſolidè non deſtiterit vacare. Aliorum quoque inſtructioni methodum eos iuuandi conſcripſit inſignem.

Haud

Haud ſegniùs variante induſtria, eorum quoque profectum prudenter quærebat, quibus poſito iam tyrocinio ad vlteriora protendentibus,vel domeſtica munia obeunda, vel externa negotia procuranda erant,& pręcipuè ſalus animarum. Arrecto enim mentis oculo vigilabat,nequi eorum infelici decurſu à ſpiritualibus ad ſæcularia prolaberentur, cordibuſque de mundano puluere ſordeſcentibus, à feruido primæuę vocationis ſtudio miſerabiliter abducerentur; ſed vt potiùs enutrirent ſe ſolido virtutum cibo, vt altricem ſubſtantiam in cæteros tanquam lactaneos infantes poſſent cum incremento transfundere. Et piaculo tunc erat ſignata tacendi tempora colloquio temerare;regulæ aſperitatem lenire;à publica chori pſalmodia vel minimùm abeſſe; ſtatis orandi ſpatijs cum cęteris non intereſſe.

Ex hoc ingenuo prudentiæ fonte,hauriebatur quoque mira quædam ars puſillorum conſolatrix, deiectorum erectrix. Cùm quidam animo fractus ac debilitatus,& in deſperationis barathrum miſerè dilapſus;effundere ſeſe omni iam probitate calcata,in omne genus nequitiæ pararet;in eo cõplorato rerum ſtatu,ante poſtremum & irreparabile ſui exitium, ſtatuit Beatum adire; præcipitemque viam qua ſibi eundum,illi commonſtrare. Commiſeratus Andreas hominem ſuæ ſaluti infenſiſſimũ,iubet eum per Sacramentalẽ cõfeſſionem conſcientiæ labes purgare: In ea ſuaſit illi fidentem eſſe animi,audentem in omnes caſus: Orant poſteà pauliſper;ſurgunt,ſed hic alter,erectus ſcilicet & infractus;ac vero intuitu quæ in Religione putauerat terribilia & ſuſpecta; cognoſcens blanda eſſe,fauſta,propitiaque. Ad hæc, vt muneri ſuo faceret ſatis; trina ſaltem in ſingulas hebdomadas publica exhortatione ſubditos ſuos ad perfectionem excire ſolebat. Nec vlla vnquam Martyrum ſolemnitas illi prętеribat,in cuius peruigilio non ille cœtum cogeret, ac de ipſorum tormentis,& cum inuidia,ſermonem haberet;quem eo ſemper epiphonemate claudebat, *Imitari non pigeat,quod celebrare delectat.*

Scho-

Scholasticis item quàm maximè fauit, & ardenter studia fouit; semper tamen vigil,ne cum spiritus iactura promouerentur. Volebat itaq; Scholasticos tutelaribus primùm spiritualium exercitiorum armis,ac orationis præsertim,se præmunire; tunc demùm,inquiens, imbuendum scientia intellectum,cùm pectus bonitate,mens disciplina priùs fuerit ad abundantiam referta: Idq; ex Psalmographi oratione,Bonitatem priùs & disciplinam, tum scientiam ab ipso scientiarum fonte se doceri precantis. Quod monitum illustri prudentiæ actu decorauit. Obuium namque habuit aliquandò Hieronymum Toraltum,viuaci adolescentem ingenio; qui tunc sub Logices facultate cęperat sudare: Hic multimodis prodibat ingentem addiscendi voluntatem;gratioso & plausibili errore sibi suppalpatus; capessendæ scientiæ gratia, haud esse nefas à tenaci illo spiritus fouendi rigore aliquantulùm decedere. Compertum id Andreæ: quare,vt obuium conspexit: *Demitte*,inquit,*tete in genua,& peccata tua confitere*. Hęsitauit ille subito iussu; & imparatum se fassus,temporis aliquantulum efflagitauit. Tunc ille: *Ah fili,ita ne? ad confessionem imparatus? semper oportebat te; hoc est religiosum,& ad perfectionem tendentem,esse paratum;peccata tua sedulò momentis singulis reuoluentem, recogitantem. Huic scientiæ quantus quantus es,incumbito: alienam omnem,præter hanc curam existimato: ac seriò caueto;ne transituræ sapientiæ nimio desiderio,tibi in æternorum acquisitione desipias.* Sic eius exultantem licentiositatem, & cum fructu,retudit. His itaq; frequentibus prudentiæ monumentis;quoàd præfuit,semper profuit.

Verùm fons iste perennis prudẽtię,vnde haustum veniebant quotquot res suas confusioni ereptas, in optabili statu collocare satagebant; vni sibi perpetuò aruit. Quale etenim quantumue fuisset,quod ipse tutò ac pręclarè gerere potuisset; id subuerebatur probare;alieno gestiẽs consilio,sua dirigere; alieno arbitratu se regere; suiq; securitatem in alieno

tantùm

tantùm gubernaculo ſeponens. Narratum eſt nobis aliás, vt in incerto conſilij ſui, ſanctam illam monialem Baptiſtam Vernaciam conſuluerit, & obaudierit: vt veteranus ſub Solario tyro militauerit: vtque ex millenis, quas dedit literis, ne vnam quidem miſerit, aliquo Theologorum noſtrorum eam non lectitante & probante. Iuſtorum certè eſt proprium, vereri opera ſua; inque ſuis oculis ſtulteſcere, ac minimè prudentes eſſe.

SPIRITVVM DISCRETIO.

CAPVT II.

PRoles eſt prudentiæ, & conſumatæ ſapientiæ germen, ſpirituum diſcretio: ad eam quippè ſpectat, ſingula introſpicere, ponderare; vera cognoſcere; falſa intelligere; inania ſecernere à ſolidis; fucata à pulchris; atq; ex intuitu externorum, ſagaciter interna odorari; deq; ijs certò coniectari. In rectore porrò animarum, nihil eſt pręclarum quod ab ipſa non defluat: Huic enim vni transfigurati dęmonis ſpectra non illudunt. Ex hac mentis ſerenitate, binos illos ſcopulos; nimiæ ſcilicet in corpus ſęuitatis, & luctuoſæ cuiuſdam mœſtitiæ, ad quos incipientes ſępiſſimè illidunt & pereunt, ſic Andreas detexit; vt neutrius timore potuerit quiuis, ipſo monſtrante, perfectionis Oceanum ſecurus prænauigare. Non enim ignorabat, in incipientium præcordijs, ſimul ac virtutis amor ea inſederit, implacabile exoriri bellum aduerſus proprium corpus, rigida quadam, animoſa, & indeflexa ſeueritate excitantium ad ipſius cöercitionem flagella & cilicia: omnique in eis miſerationis ſenſu frigeſcente, hanc tantummodo piam feritatem efferueſcere: Specioſo nimirum prętextu, vt calcitronem ſcilicet valeant capiſtrare: ſed pernicioſo interdum caſu; hoc enim pręſidio putantes vitam ſpiritualem obfirmare, ſuperuenit incautis blan-

blandimentum,& interitus. Placebat itaque ipsi,non hinc metiendum spiritus incrementum; & seueritatem hanc, pedissequam esse virtutum, non anteambulam: hoc est, volũtariam sui carnificinam,superinijci cordi amore Dei sauciato. Laudabat eius manus in suæ carnis supplicium duratas, cuius antea pectus fuisset charitatè liquatum, probabat ieiunia,sed subsequa pietatis.Præclarum in hac re monitum legitur Isabellæ Villanię ab ipso traditum;dolenti, quod inualetudine sua cogeretur erga inimicum corpus esse indulgentior. *Aduerte filia,spiritualem vitam si seriò ipsam calcare deliberauerimus; non in eo positam,vt in ipsius primordijs effusiores simus in corporis macerationibus, puta ieiunijs, flagris,cilicijs,vigilijs,oratione prolixiore;sed vt fortes simus in aduersis;abiecti in nostrũm æstimatione;recta de omnibus cogitantes;proba de singulis loquentes; nostrorum defectuum incusatores;alienorum excusatores;nulli obloquentes; de nullo sinistra iudicantes. Iacto huiuscemodi virtutum, & nostri præcipuè contemptus,fundamento;adeptique per eas,diuinorum beneficiorum capedinem; tunc nobis arripiendæ eiusmodi carnis asperitates,& corporeæ afflictiones: potentes quippe erimus,diuina accepta gratia,ad multa perficienda,sine ipsa alioqui nobis impossibilia.*

Non isto minùs periculosior alter scopulus luctuosę cuiusdam męstitię. Persępè enim spiritualium nonnulli,peccata sua lacrimarum imbre diluere satagentes; inferere se doloribus amant: nihilque solatij admittentes, longo se luctu macerant; nec cessant ex imo pectore gemitus euocare, suspiria petere. Serpente interea mœrore, ęgrescit animus ad vsque corporis tabem. Errat quandoque vulgus; & ipso iudice,eorum anima purior ac Deo gratior, quorum fletus vberior,os lacrimis fœdius,vultus mœrore concidentior. Nihil horum arridebat Beato; sed famulantium Deo animas, omni explosa tristitia hilarescere volebat,& iucundari: Ac perbellè huc trahebat,quod à Sapiente dictum fuit. *Spiri-*

tum triſtem exſiccare oſſa: Quòd ſcilicet, virtutum robur, mœſtitia illud exedente, elanguidum reddatur & enerue: quantacumq; ergo quempiam audiſſet virtute cumulatum, ſi ipſum vidiſſet mœrore confectum; vehementer illi timebat: nec iniuria; eius quippe ſententia, mœror lectum diabolo ſternere putabatur; ianua eſſe conſenſus tentationum; ac ſuſpicioſarum cogitationum fotor; nec alterius parentis venerator, quàm propriæ voluntatis; cui quâ obſecundatur, eâdem ſtatim mœſtitia intruditur. Apud perſpicacem itaque internorum ſecretorem, nulla certior veri ſpiritus nota, quàm hilaritas. *Quicumque* (dixit aliquando ad Iſabellam Sanſeuerinam Marchioniſſam Arenæ) *ſeriò Deum diligit, huic inter conſolationum abundantiam lætanter eſt vita tranſigenda: margaritæ enim eſt poſſeſſor, ſibi inuito nũquam auferendæ. Et bonorum quidem, ac famæ, & valetudinis iacturam, paſſi ſunt plurimi: Dei nemo, niſi volens. Martyres intueamur, & inter hos virgunculas; ignium, rotarum, ferarum, & ipſorum etiam Tyrannorum triumphatrices, Chriſtum ſibi fruſtraneo labore auferre molientium.*

Ad hæc; præcoces quoſdam ſpiritus & immaturorum fructuum præcerptores, ſemper fuit auerſatus. Mediolani dum degeret, quidam Sacerdotij dignitate conſpicuus; putauerat audaculus; minimè emenſo ſtadio, metam attingere; atque ſub ipſo vitæ ſpiritualis tyrocinio, ſtatuerat nulla ſe vel leui peccati macula ſordidare; quod vix veteranis, ac multo ſudore datur. Nitebatur in id, quantus quantus erat, & enitebatur, & cùm ſuopte ingenio loquax eſſet; ne rigidi propoſiti fieret temerarius violator; vltrò ſibi ſilentium indixerat, linguæ retinaculis ęgrè ad neceſſaria tantùm laxatis. Iam corpore langueſcere, animo cęperat æſtuare: Gemebat lamentabundus ſub pertinaci vitæ inſtituto; & cùm per hos calles ad ruinam, & caſum ſibi ſtrueret viam; nulla arte reuocari poterat eius error. Vltimis tamen conſilijs, amico cuidam ſuſceptæ prouincię tenax propoſitum aperire cępit:

pit: Hic prudentissimè censens, desperato morbo non vulgarem medicum adhibendum; languentem ad Andream exploratę prudentiæ virum demandauit. Is verò susceptum suum voluit confessione conscientiam suam perpurgare. Hac audita cępit rationum ipsius momenta excutere: admiratusque quòd non in peiora fuisset prolapsus; seriò cöegit illum intempestiuam eam properantiam eiurare; ac Sanctorum exemplo deinceps virtutum semitam terere; hoc est, diuturno sudore, diuturna precatione. Visus est medicus infirmo solertissimè dicere; cui promptissimè obaudiens, desperationi subductus, lętitiæ ac ipsi penè mẽti restitutus fuit.

Sed diuinum quasi fuit illud, quod exhibuit in monstro illo hyppocrisis, quo non aliud versipellius; non Ciuitas modò nostra, sed ne ipse quidẽ Orbis vnquam vidit. Muliercula enim nescio quæ, impurissimæ libidinis ęstu percita; docta pectus suum conceptaculũ omnis prauitatis, abscondere sub simulatis pietatis colloquijs, quamplurimos vtriusq; sexus inescauerat blandè, vt inuncaret flagitiosè. Verbis enim pudicis incipiebatur, non aliud quàm secretissimos cum Deo recessus eructantibus; terminabatur factis libidinosis; quò tãtùm ipsa per eruditam quandam simulationẽ, ostentatitiæ suæ virtutis iacula collimabat. Vulgauerat fama eius sanctitatem: huic enim inflandæ; ipsa internæ probitatis perfuga, intenta erat. Hanc conciliabat par hominum, fraudum ipsius conscium & Venerum consors. Maiestas præterea artis, & tanquam ex abdito formulæ quædam spiritus audientibus ignotę, venerationem illi addiderant. Iam domicilium ipsius, schola virtutum dicebatur, & contubernium castitatis. Iam sibi magisterij ius in quemquam vsurpabat, & numerare discipulos cęperat; audiebatque Mater, & tantùm non, interpres inter Deum & homines. Honores huic tam excelsæ sanctitati ab omnibus habebantur: & ipsa etiam summa fastigia virorum fasces illi submittebant. Vnum Andream non potuit sycophantijs suis decipere: Introspexe-

rat enim hic,ſub ouillo lanitio,lupam latitare; ac ſuſpicioſi illi fuerant frequentes ij congreſſus & agmina diſcipulorum. Itaque malens cauere conſilijs,quàm accepto vulnere in eius medicina laborare; cautè ſuis inhibuerat, ne qua ſiloquẽtiæ concinnatricem,ſuperbè indignatã, à notæ ſanctitatis viro deſpectui haberi ſe,hoc eſt,perfectionis columẽ, cuius nutibus,renutibus, ſemitæ ſpiritus probabantur, improbabantur. Ac rata theatrum gloriæ ſuę, ſeu ſuſpectũ ſeu anguſtius reddi,Andrea ibi non perſonante; ipſum cępit cõtemptim proterere; vt ſic,laudem ſui nequaquam ab indigno videretur expectare. Is è contra, vitia, quę illa tegere laborabat,conabatur perſona detracta producere: ſed non potuit: haud enim multò poſt ex hac vita migrauit. Andrea è viuis erepto,nimiùm exhilaratus fuit fœculentiſſimus hominum ternio; ſublato ſcilicet ſpurciſſimarum ſuarum libidinum impedimento. Ac ſtatim mulier tanquam ad vindictam,cępit in leonem mortuum ſęuire, ipſius famam venenatis morſibus lacerans: obſtrepentique dicacitate, dicteria & ſcommata in ipſum effutiens, ac in Noſtrorum cœtum, præcipuèque Patres Domus Paulinæ; vtpote improbiſſimis artibus Andreę pſeudoſanctitatem molientes; falſorum miraculor'um, ſeducendæ plebeculę confictores; & argentea etiam donaria, ſiue anathemata proprio ęre cõempta, ad ſepulchrum ipſius appendentes. Sed Andreas inter cęlites relatus, apud Deum, præſens cauſam ſui agebat,immò ipſiuſmet Dei, cuius intererat in crine virtutum adoptitio ſpecioſam decaluari. Ibi, tribus ſuæ Paulinę Domus Patribus, robur illud pectoris obtinuit, vt contra incurſantia potentiſſimorum patrocinia,laruam peſſimę fęminę poſſent eripere; & egregium opus quod ipſe intentarat optimus ſpirituum diſcretor,perficere, atque ſuum perſonatę fęminę vultum reſtituere. Ergò apud ſummos Fidei Quęſitores examinata mulier; faſſa fuit caſta, ſępius ſe

ſubagi-

ſubagitatam;vię ſpiritualis dux, virginum atram luem ; magiſtra virtutum , portentoſorum dogmatum adinuentrix . Itaque famam,quam ſanctitate queſierat,inuênit abcem . Itaque famam,quam ſanctitate queſierat,inuênit abiurationis publicitate,inuênit ſupplicio ; perpetuo carceri mancipata.Et Andreę tunc ab omnibus acclamatum; ſpirituum intimo diſcretori,ſecretori.

ABSTINENTIA.

CAPVT III.

SOrdidum alioqui membrorum ſuorum carcerem , reddidit Andreas hoſpitium mundum dignum hoſpite Deo. Spurcam quippe curam ſaginandi ventrem improbum multa colluuione ciborum , prorſus à ſe ablegauit : Nam & corpus tenuauit ne ſuperbia tumeſceret ; & mentem defęcauit,vt totum ſe puritati & contemplationi poſſet aſſerere . Fuit verò in eo , cibatus parcitas admirabilior ; quòd corporis ipſius temperatio igneſcens eſſet , pabuli vorax , & perpetuò indiga . Aſſiduitate prętereà inceſſus terentis aliorum domos , vt ſpiritualia ijs impertiret ; ſoluebantur eius vires , & collabeſcebant . Accedebat rarior ſomnus , & vigilia protractior , ſuccum omnem emedullans ; morborumque variorum cruciamentum , vigorem omnem exedens ; & ipſa tandem ętas quaſſata receptaculum omnium dolorum,angorum, miſeriarum . Hęc tamen omnia , vnus Dei amor fortiter eluctabatur : nec alius vnquam Andreę fuit ſtimulus , negandi corpori ſuo neceſſaria ciborum ſubſidia , quàm ingens ardor configendę carnis ſuę , vt ea via poſſet in Chriſti cenſum aſcribi,non alios percenſentis,quàm , qui carnem ſuam cum vitijs crucifixerunt & concupiſcentijs ; inter quas , palati vitium minimè poſtremum eſſe ſciebat,& expugnatu quoque difficillimum .

Orſus

Orſus itaque blandum hoſtem aggredi; cùm Eccleſiaſtica lege indicta ieiunia ritè ac perpetuò ſeruaret; illud etiã audax bellator adiungere ſolebat; producta ſcilicet in Veſperam cęna, interdiù nihil guſtare; vt carnis viribus plùs ita dilabentibus, promptior ac paratior poſſet ad ſpiritualia reuocari. At quoniam hoſtem ſic decreuerat oppugnare, vt poſſet etiam expugnare; victu itidem ſeueriore vtebatur, ijs quoque diebus, quos peculiari lege ſua, ieiunio ſacrauit Religio; quales ſunt; ſexta quæque feria; bini qui Cinerum dies antecedunt, quando pro debacchante populo, Deum per ieiunium ſatagimus placare; Aduentus Domini; ac permulta ſolemnitatum peruigilia. Præcepta verò, & Regularis obſeruantiæ ieiunia, non erat facile diſcriminare; quòd æquo ipſe & inflexili rigore vtraque ſeruaret; tunc maximè, quando, vt mox dicemus, omni carnium eſu ſibi interdixit. Panem recenter coctum nunquam guſtauit; quamquã deuexa ætate, cùm iam eſſet edẽtulus; duriuſculi micas aqua maceraret, eo tantùm ſolatio recreatus.

Cùm Præfectum Domorum egit, vigili cura incubuit, ne quod delicium in reficiendis ſubditis ſua ſocordia induceretur voluptati cupediarum inſeruiens: cenſuitque conſultius regulari obſeruantiæ; maiori diſpendio cibos comparari, naturæ tantùm eſuriem pellecturos; quàm minori, gulam irritaturos. Quotieſcunque priſcæ Noſtrorum conſuetudinis meminiſſet; qua ieiunij tempore ad ſerotinam cęnulam tres tantùm lupinorum vncię ſeu caſtanearum apponi ſueuerant, abſque vllo alio obſonij adminiculo; indolebat maximè, quòd ijs ſublatis, totidem panis eſſent ſubſtitutæ: licet probè noſſet, prudenter temperatam rigidam conſuetudinem, & piè ſubuentum collabentium virium reparationi. Eorumdem etiam lupinorum oblectamine ſe reficiebat; ijs ferculis recreabatur, ijsque palpamentis gulam ſollicitabat; cùm ad Moniales multo ſudore eſſet illi perſępiùs concionandum. Peregrè alicundè aduentans, lautiores cibos,

religio-

religioſæ munificentiæ & mutuę charitatis teſtamina, reparandis itineris incommodis; modeſtè reſpuebat.

Labente anno ſuperioris ſęculi ſeptuageſimo quinto; procuratione Ioannis Cardinalis Moronij apud Genuenſiũ Rempublicam ciuilium factionum tumultis diſciſſam, Gregorij XIII. Pontificis Maximi Legatum agentis; Noſtri in ea Ciuitate, è D.Mariæ Magdalenę, ad D. Syri translati fuerunt: vbi cępêre illicò tanquam opportuniore loco collocati, malè natas herbas generoſo conatu radicitùs vellere; vt ſuperiniectu melioris ſeminis, ex Genuenſium pectoribus colligi poſſet quidpiam Dominico horreo dignum. Speratę tamen ſegetis pręuiſu cruciatus Sathanas; inuidę mentis ſuę molitiones ſtatim effudit: eductis ſcilicet & excitis emiſſarijs ſuis, in apertum odium contra Noſtros irrumpẽtibus. Hi è contrà, cùm ſe viderent captioſis & ſubdolis inimici artibus circumuentos; rati propitijs auſpicijs nouę Domus interijci fundamenta; indurauerant ſe aduerſus omnia quę accidere poſſent infeliciſſimis: Nec longùm, & voti iam compotes, extrema omnium inopia circumſepti fuêre: Exulauerant enim vltroneę oblationes: certique cenſus exortibus, modico cibo victitandum fuit, quo ęgrè refocillari poſſent laſſę vires; hoc eſt, furfuraceo pane, non alterius cibi comite quàm facilis & parabilis, caſtanearum. Diuturnior fuit hic deliciarum commeatus: quòusque fracta tandem diaboli potentia, medullitùs peruaſit Genuenſium pectora, Religionis noſtrę amor, mirabundè aſpectantium, venerabundè eam ſuſpectantium, & auſu magnifico pręclara pietatis ſuę monumenta curſu nunquam intermiſſo ad hunc vſque diem erga eam oſtentantium. Adijt intereà Domum illam Viſitator Andreas: ac ſtatim delicatis iis eduliis cępit eius abſtinentia titillari. Cùmque aliò officii ſui cauſa auocaretur; nonnulla eiuſcemodi panis fruſtula ſecum Venetias, Mediolanum, Placentiam circumduxit: ad eorum quidem laudem, qui animoſam illam & conſtantem operam debellando ma-

lorum

lorum omnium sat ori nauabant infracti ; sed ad sui quoque solatium ; vt intuitu eius, quod illis sub immensi laboris fasce erat subeundum ; fieret sibi ciborum desideriũ odiosius, abstinendi constantia fortior.

Inter has ergo suauissimas epulas, totus illi vitę cursus diffluxit: Verùm septuagenium ingresso, quando delicatiùs fuisset fouenda ; cępit arctiùs instituí. Fuêre enim exinde escę ipsius herbę vulgares : imò rogitabat ipse sępiùs socium suũ, vt ciborum analecta sibi apponere vellet in gallinarum pastum reiecta: vnde herbarum folia visus est quandoque legere, & socio coquenda tradere. Tùm, omnem carnium, ouorum, & piscium vsum à se abdicauit; leguminum tantùm retento, ac ne omnium quidem, sed fabarum solummodò: hę intritę, semel in triduum coquebantur ; quotidie posteà aquę infusu macerabantur. Non istę epulę mutabantur intercursu honestæ remissionis, ex binis in menses singulos; ad integranda sobrietatis officia, non ad soluendos animos ; religiosè apud nos institutis : non celebritate solemnitatis, ac ne ipsius quidem Dominicæ Resurrectionis: non-si cum Procerum primis esset illi comedendum. Marchionissa quippè Vici, quæ apud Leucopetram morabatur, nulla precum vehementia obtinere potuit, vt quid aliud secum ibi aliquãdo prandens præter paucula oluscula comederet. Aliâs etiã Principissa Hostiliani commiserata senem & languentem ; comminuti pulli gallinacei frustula, fabarum edulijs pio dolo immiscuit : detexit ille insidias; ac pullo & fabis statim sibi interdixit.

Ex eo quoque tempore, extra communem refectionis locum in conualescentium triclinio refici cępit. Vbi frequenti obseruatione compertum fuit, inter parcissimas corporales, spiritualibus atque adeò lautioribus epulis ipsum abundè pastum. Inundantibus enim delicijs, desistere à comestione cernebatur; oculoq; in cælũ erecto, & in lacrimas effuso, inq; supplicis modum manibus iunctis, sui propemodũ obliuisci.

Credu-

Credulitatem verò omnem ſuperat, quòd ne in languoribus quidem, quibus proſternebatur & atterebatur, is rigor lenteſcebat. Veneratio & amor multa amicis ſuggerebant rationum pondera, commonefaciendo homini perapta: Hic aſſerebat, arcto viuendi inſtituto pabulum bili ſubminiſtrari; ille vitæ terminum acciri: cæteri cętera: Suadebat quiſque, nemo perſuadebat: *Nondum enim* dicebat, *voluntatem diuinam, quamuis ſe explicantem capitis; Explicat porrò ſeſe dilucidè, me inter ſæuam iſtam, vt appellatis, carnificinam, incolumi ſeruato*. Inculcanti ad medicinæ canones effętæ ætatis ſeni viuendum; è confidentiæ ſuæ penu illud promſit reſponſum; *Medicinæ quis auctor? nonne Deus? ab hoc ego medicorum ſupremo ſanitatem expecto: abite ergò inferiores medici, abite medicamina*. Iocabundè etiam cum nimium anxijs vitæ producendæ ludebat; *O vos*, inquiens, *ſtultos, vitam ſeruare ſatagentes, ſed mortuorum animalium carnibus, quàm præpoſtera curandi methodo!* Aduerſus quæcunque tandem ſuaſionum tela, aureis D. Ambroſij verbis vtebatur, ex ſermone in Pſalmum centeſimum decimum octauum ab Euſebio Papa C. contraria de conſecrat. Diſt. 5. relatis, ſollicitiorem fouendi corporis curam obiurgantibus. *Contraria ſtudiosè ſunt diuinæ cognitioni præcepta medicinæ. A ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui ſe medicinis dederit, ſeipſum ſibi abnegat.*

Cùm anno ſæculari ſacro octogenarius iam eſſet; rurſus nonnullorum pietas excita fuit, arctiſſimum illum victitandi modum auerſantium, & remiſſionis aliquid, ingeminatis precibus excutere ſperantium. Verùm ipſe, quamuis ad extremum vſque ſpiritum deliberaſſet inſtituti ſui eſſe tenax; cautè tamen trepidus, ne, dum hoſtem diabolum ferire ſtatueret, ſe ipſum aduerſo telo transuerberaret, virtute in obdurationis vitiũ degenerante; renuit ſui arbiter fieri; ſed Ioannem Scorcouillum conſuluit Religionis vniuerſę tũc habe-

nas moderantem: Ei quid posset, quid vellet, aperuit syncerè; obsequenti animo paratus duritiẽ illam mollire, atq; edacitati etiã, quando illi ita visum fuisset, se totum contradere. Ille quamquã maxima senis commiseratione teneretur; arcano tamen quodam mentis impulsu, paulatim in eius sententiã concessit. Acri enim cùm esset prędituś iudicio, & eximia in dignoscendis spiritibus prudentia polleret; persensit; effuso in patiendi cursum, non suffectura quantalibet macerandi corporis inuenta; & arbitrio suo relin quendũ, cui memorata longa experimentorum serie, Deus ipse præsenti opę sẽper adesse cernebatur. Propitio itaq; Numine, ac per Superiorẽ interpellato, quod superfuit vitę, eodẽ tenore trãsegit.

Intereà, cùm aliquando solito languidiùs debilitatus esset, Superioris iussa exequutus, par sorbuit recẽtium ouorũ; sed inter lacrimas & singultus. Serpẽte languore, gallinaceo pullo pastus fuit; sed pręcepti quoq; adactu: ac tunc ludibũdè ad quendã, *Heus*, inquit, *asinus gallinaceũ vorauit adusq; ossa: iamq; inhiabat ad alterum; sed me inhibente sat illi consueta fabarum edulia*. Vnde liquidò datur intelligi; opus fuisse masculæ virtutis, vitam sic abstinenter instituisse hominem alioqui cibi appetentissimum, complexionisq; vt notauimus ad ingluuiem effictę. Respondebant Dei effectus sũmis Andreæ conatibus, in desperatis morbis toties illi per salubria remedia salutem remorantis: eandemq; per insalubria, nocitura, ac penè mortifera, celeriter adducentis; ipso quoque omnium vero prædictore, vt aliâs narrauimus.

Acutissimos tandem spiritus stimulos, quibus Andreas ad pręclara quę hucusq; narrauimus abstinentię facinora adigebatur; ex ijs rimari licebit, quę ipse ad Franciscũ Caracciolũ Aerolæ Ducẽ, quinto ante obitũ suũ anno, cùm tertius sibi supra octogesimũ fluxisset; ex abiectissimę humilitatis profundo, conscripsit. *Etsi*, inquit, *octoginta trium annorũ ætas, & laborũ multitudo, qui mihi necessariò subeundi; solutũ me ieiunij legibus dimittat; scelera tamen animo versans, quæ iugiter in*

Deum

Deũ meum patro, cui multo neglectu, nulla ſeruio reuerẽtia; & ieiunare cogor; & alia pœnitentiæ opera exercere, placãdæ iræ Dei, quã iure in me accendit, tam fœdo ſeruitio illi famulantẽ; & in filios quoq; meos; facto, heu! nimiùm comperto, docentes, propenſiore voluntatis propoſito, mũdo ſe, quàm Deo mãcipatos.

PATIENTIA.

CAPVT IV.

FRequentiore ſermone de ijs verba faciens, qui ingruentibus calamitatibus intoleranter cruciantur; nullũ admirandi finẽ faciebat; adeſſe homines, eosq; mẽtis ſanæ; gaudiorũ iubila in hoc mundo præſtolantes, quò cęleſtis patriæ extorres, tànquam in ærumnarum locum & exilij inquietam ſedem ablegati ſumus; omnium experturi coniurationem in noſtri perniciem & tormentum; ac velut temporario quodã inferno torquendi. Se quidem, aiebat, mundi incolam negare non poſſe; & idcirco etiam conſtante mente ſtatuiſſe; quãquam angoribus circumuẽtum, nihil hic expectare ſubſidij, nullam ſperare ſalutem: doctum inter multiplicem animarum tractationem, experimentorum ſubſequa ſerie; ne vnum quidem quantauis veſtigatrice cura reperiri, ſub immani miſeriarum pondere non fatiſcentem. Omnibus ergò mundi indigenis, æquè ſub calamitatibus eſſe ſudandum: ſed patientia, vel impatientia, bonos, à malis diſcriminari: ſe profectò à bonis ſtare, & calamitates Chriſti prodromos, & Paradyſi arrham exiſtimare. Inuitari nos ad Chriſti ſequelam; ſed eius præambula veſtigia premere; aliud non eſſe, quàm fido comitatu nulla ab ipſo tribulatione ſecerni. Fidum porrò Chriſti comitem, illum tantùm aſſerendũ; qui mauult cum ipſo intẽr tormenta perire; quàm iucundam hic vitam inter delicias tranſigere. Datam itaq; cuicumq; optionem; vel, vt tanquã excors, Dei filiationi nunciũ mittat; vel, vt ſub

duro miſeriarum iugo ceruicem lætus inflectat.

His cogitationibus generosè ſolidatus; vt cæteri conſolationum; ſic ipſe auidiſſimus erat afflictionum. Quotidianis & antelucanis precibus, hoc à Deo expoſtulabat; vt ſe faceret ea luce mali alicuius perpeſſorem: manifeſtario eo beneficio cumulatum ſe ipſius benignitate aſſerturum. Ter dum iter faceret ab equo ſternace fuit excuſſus; ſemel Neapoli ad durum ſilicem, quo ſtrata erat via extra portam Ciuitatis adactus: iterum in Lombardia: vtrobiq; per aliquod viæ ſpatium pendulè è ſubſellari ſtapede raptatus: tertiùm apud Beneuentum, equo ſuper ipſum in lutum deiectum incubante ac premente. Ac toties aduoluentibus ſe ad collapſi iacentisque auxilium, nõ magis membra, quàm animum ipſius erigere ſatagentibus, *Faceſſat*, ait, *hæc veſtra ſuaſio; non enim abſque Dei irriſione caſu iſto mœrerem: hunc porrò enixè ſoleo quotidiè rogare, & rogaui hodie ſedulò; vt alicuius ærumnæ me faceret patientem; fecit; ergonè iocabundè videbor id dixiſſe; & leuicula perpeſſus, in mœſtitiæ me ac doloris compedes inĳciam?* Votis verò ſuis abundè à Deo factum ſatis, calamitatum nimbos in ipſum effundente. De leſa ipſius fama alibi, nunc corporis tantùm languores nobis narrandi.

Vix cępit virilem ętatem ſuperare; cùm nullis non cępit morbis conflictari. Intumuit illi dextrum genu, flexionis ac decubitus impos: huius ipſe ſectionem, tanta firmitate tolerauit; vt ne vultum quidem, obſtupeſcente Chirurgo, contraheret. Dentes, qui ad prȩcipuum oris decus obtigerant; doloris in materiam, nutantes ac trementes, verſi ſunt; & vigẽte adhuc ęuo, repetijt ſibi natura ſua dona; iĳsque exarmatũ, in maximum coniecit prȩmolendi cibi laborem. Acceſſit aſthmatis dolor; creber anhelitus; ſpiritusque impedimentum, quem ſępiùs, niſi recta ceruice, trahere non valebat: & quindecim aliquãdo noctiũ inſomniâ, contra imminẽs ſuffocationis periculum fuit ſollicitè cautus. Ad hęc, Dyſuria, ſtoma-

ſtomachi faſtidium,& nauſea, cibique egeries : vt profectò vniuerſa malorum genera eluctatus videretur . Sed victrice malorum omnium patientia ijs flecti vel deijci neſcia,nullis vnquam ærumnis contriſtatus.

Verùm omnem prorſus languorum acerbitatem exceſſit herniæ morbus,quo, inteſtina loco emota in ſcrotum dilabebantur; quæ vt aliquando intromitteret, Iulius Iaſolinus celeberrimus archiater,ipſi pendulè ſuſpenſo,capiteque deorſum verſo,inſignem opem ſuam præſtitit. Nullo autem adeo lędebatur,ac pedeſtri itinere: attamen compeſcendo homini pro animarum ſalute aduerſus omnem dolorem obfirmato,nemo fuit potis . Qui rhedæ vſum compaſſionis ergo ſuadebant,hoc piæ ſuaſionis pretium reportabant: *Neſcitis quantùm charitati debeatur,glorioſiùs triumphanti,cùm laborioſiùs exercetur* . Ad longiora quidem itinera adactus neceſſitate,equo vehebatur,ſed maximo ſui incommodo,altero tantùm crure ſuper ſtapedem innixo.

Diffluebant inteſtina in Choro pſalmodo ; ſed interrito, & immobili;ne ſe pſallendi dulcedine priuaret. Diffluxêre etiam aliâs per Ciuitatem incedenti;ac tanto dolore, vt pedem vltra promouere non poſſet . Caſu occurrit illi tunc Ioannes Vincentius Capycius Piſcicellus: qui ſenem octoginta duorum annorum,inter ſæuiſſimos dolores languentẽ, rogauit,vt in vicinam domum ſuam diuertere vellet,& quieti vacare: ſed noluit : Diuerterunt ergò ambo in contermina Principis Montis Mileti : Ibi Andreas ſtabulo petito , tandiù ſuper palearum ſtramenta iacuit,quandiù inteſtina regrederentur . Nactus Piſcicellus preſentario languentis intuitu,hortamenti occaſionem; verba intulit temperando rigori pedeſtris inceſſus,aptiſſima , corporiſque neceſſariæ curæ;cui,vt neganda ſeruitus videretur ; ſic non deneganda indulgentia. Ad quem Andreas ; *Falleris,fili ,falleris : imò biſce palpis,& biſce blandimentis inuiſum mihi corpus & refractarium,mulcere debeo & volo* : reſumptoque impetu ſpiritus

ritus,exclamauit validè *Assilite dolores, & contra me sæuite, atque insanite arbitratu vestro.* Ad ea etiam intestina comprimenda,cingulo vtebatur ferreo, cui artificiosa crudelitate,ligneola intexuit,ipsum constrictura, sed intensura dolores;totidem enim vlceribus caro eius sauciata fuit, & latus fodicatum.

Quinquagesimus annus effluxit in hoc ineluctabilis patientiæ stadio exercito. Porrò tam atrociter languentis hęc erant lamenta;dolores benedicere; charitatis opus illis debere;ac visitationis pretium.Dicebat enim;*Benedictus dolor, qui charitatem erga me exercet, quem sæpius inuisere dignatur*. Hæc verò subsidia. Medicum tardiore aduocatione expectare: mentalis & vocalis orationis consueta pensa persoluere, doloribus nunquam animi officia sequestrantibus: cibatus delicias non addere:lectuli rigorem non mollire: exteriore tantùm veste detracta,cętera indutum iacere: aurem peccata confitentibus non denegare: à crebra literarum scriptione minimè feriari: &,si Superioris iussu socius in eius cella noctu recumberet, ab ipso etiam sputo & excreatione sibi temperare, ne qua illum molestia afficeret. Sed in eo languore,quo anno sexcentesimo secundo supra millesimum penè confectus fuit;ad sedandum febris æstum præcordia ipsius torrentis,duracini Persici demensis,multoties se refrigerauit: cuius postea nucleum toties manu sua contrectati,terræ occulit,qua cellę suæ herbariolum replebatur; qui in arborem excrescens, fuit,vt dicetur,admirabilis.

Verùm tot acerba perpessus, pari cernebatur vultu, quo qui prospera & læta excipiunt. Omni etenim imbecillitate exposa,volutatus inter dolores,cõtinuo suspectu in cęlum, Dei iussa minimè detrectabat; sed è corporis ęgritudine, ad roborandam animi valetudinem traducebatur. Sic è lectulo ad Principem Parmensem scripsit: *Benedico Deum, qui me exaudit tot meorum peccatorum & negligentiarum,*

in hac

in hac vita pœnas ſumens : Diuinam eius potentiam rogo, ne vlla me hic quiete donec; non ſpirituali; non corporali; modò immunem ſeruet à quauis eius offenſa . Et ad Principiſſam Hoſtiliani de eius ſanitate ſollicitam: *Si, vt valeam, ſcire percupias, reſpondebo, ſatis benè; quodcumque enim Deo; hoc & mihi quoque adlubet ; ſed illi profectò nihil præter meam ſalutem arridet; quodcumque igitur mihi accidat , id mei proculdubio bono famulaturum ſcio. Non eſt iuſtus*, dixit cuidam alteri, *qui mala patitur; ſed qui perpeſſus aliqua, Deo benedicit; inque neminem lamenta coaceruat.*

Præcipuè autem recreabatur inter hęc, Sanctorum recordatione , & afflictionũ quas in corpus illi ſuum incrudeſcẽtes, ſubiere; quarum comparatione, perpeſſa à ſe mala ; muſcarum eſſe percuſſiones & calces aſſerebat. Omnes tandem acerbitates condiebat, Chriſti patientis memoria: Hinc diſcebat ærumnis non confici ; nulla morborum atrocitate quati ; nullis caſibus interpellari ; ſed placidè ac ſedatè inter angores perpetua frui æquabilitate: Verè affirmans, ideo paucos reperiri qui crucem impoſitam libenter & cum lucro portent; quòd pauci quoque ſint; qui grauẽ, quam Chriſtus pro nobis pertulit, iugi meditatione contemplentur. A morbo, nondum adoleſcentibus viribus, quaſi malè feriatus, ad labores redibat: nondum, inquam, obfirmata valetudine : adeo vt pluries neceſſe fuerit ad confeſſiones in Eccleſia ſedenti, ampullam vitream in manibus geſtare, & hauſtu aquę, abeuntes ſpiritus reuocare. Ipſa tandem valetudine non ob aliud recreabatur; niſi quòd potuiſſet protractiore cruciatu adhuc alia perpeti. Generoſos iuuenum imitatus ſpiritus ; quibus optatior quandoque eſt, diuturnior in ſtadio curſus; quàm ſubita poſt metam palma.

CO-

COMITAS ET MANSVETVDO.

CAPVT V.

SOboleſcens Andreæ patientia, cor ipſius omnimoda manſuetudine conueſtiuerat, quacumque irę vmbra lǒgè propulſata. Vita ipſius, quouis ſui tempore aculeatis lacerantium morſibus fuit laniata; & potuiſſet ipſe, ſi non vindicem contra nocentes agere, ſaltem contra ruituros in peiora ſe munire: ſed noluit: Adoleſcens audiuit violator honeſtæ cuiuſdam virginis : inhiantibus puellæ conſanguineis in eius cædem innoxij, ipſe innocentiæ ſuę telo contutatus; nihil in eos, præcipiti iudicio ipſum damnantes, molie-batur : ratuſque inuidia id factum diaboli; extra patrium ſolum prodijt; vt in apertiore campo hoſtẽ proſterneret glorioſiùs. Sacerdotio etiam inſignitum, & Monialium cęnobio prędfectum; minimè latuit, cuiuſnam iuſſu inflicta ſibi vulnera fuiſſent; at ſui compos, obliuioſa charitate id nemini voluit aperire, quamquam ſuſpicioſa credulitate, pluribus certus quidam ſceleris auctor putaretur; qui & pœnas iuſto iudici dediſſe viſus fuit, ad eiuſdem Eccleſiæ Paulinæ gradus, vbi iam ſe Deo dicarat Andreas, interfectus.

Nec ſolùm ſui offenſores perſequi renuebat; ſed imò ſatagebat etiam, illos ad ſui amorem ſollicitiùs reuocare. Mediolani cùm degeret, diluculante die, nobilis matronę palatium illam inuiſurus adijt: Intempeſto mane, neminẽ nacto cuius intromiſſu illam alloqueretur, & interiora cubiculi nullius ductu penetranti, ſuperuenit Prędfectus domus, ac probris audaciam ipſius cępit obiurgare; verbiſque acerbioribus per palatij etiam feneſtras illum ſe proiecturum minitari. Laceſſita virtus, multum ſibi adiecit: Non ſe matronę confeſſarium aſtruere, non ſe illi chariſſimum aſſerere; ſed ad probra caput aperire, & honorarijs titulis exprobrantem decorare. Comperiens poſtea Prędfectus, quis ille, & quanta

vene-

veneratione à Domina fuiſſet exceptus; valido errati ſui timore concuſſus,ad ipſiuſmet pedes, iuſſu eiuſdem Dominę concidit. Verùm Andream iniuriæ non fregerant,aut exarcebauerant; imò ad benefaciendum acuerant: ideo non aliam ab offenſore ipſe pœnam ſumpſit, quàm vt ſtrictim eum amplexaretur, & ingenti benedictionum cumulo repleret.

Contigit etiam, ipſum inter æſtiuos calores nobilem fęminam in ſuburbio Neapolitanę Ciuitatis habitantem viſitaſſe: vbi volens nolens,coactus fuit,longiuſculi itineris fateri ſe fractum moleſtijs,ac dolenter laſſatum: inaudijt hoc illa; ſeniſque & imbecillis commiſerata; reuertenti geſtatoriam ſellam aptandam curauit. Hac ipſe inſpecta exclamare ſtatim iteratò, & cum nauſea: *Ego ne ſella peruehar?* & in fęminam iratus, verba ſubdere, quorum hæc vehementia, vultum operuit; vt quo poſſet modo latitaret. Lecticarij,lucelli ſui ſpe fruſtrati, ſequace ira manſuetudinem ipſius exagitabant, ad multum viæ plurima in ipſum ludibria ſtrepero clangore effutientes. Ipſe ſurdo ſimilis, pſalmos iuxta receptum morem dum iter faceret non ceſſabat recitare; inturbatuſque ad comitem ſuum probris ſtomachatum;& contendentem ſatius fuiſſe oblata commoditate frui,quàm contumelioſa verba perpeti,*Sile*, inquit,*frater,ac ſine illos;ad nos enim quæ illi dicunt pertinent nihil*. Vtique familiare illi erat obtrectationibus non debilitari;mordentes non remordere;& iniurias non ſolùm adgnitas ignoſcere;ſed etiam omninò non agnoſcere.

Rogauerant quoque ipſum,perditi cuiuſdam adoleſcentis conſanguinei,vt actum illum in deuia,ſuaſionibus ſuis reducem faceret ad calles honeſtatis; quod ipſe curauit ardenter,pro ſua in eiuſmodi comploratę ſortis homines charitate. Verùm, æger erat ad honeſtatem recurſus huic, qui iam gradum ex nequitia protulerat. Ideoque ſalutis monita odium monenti peperêre, quem ſcilicet, monitus

acerbiſſimis contumelijs cępit inſectari. Per eiuſmodi verò iniurias, nihil Andreæ firmitatis ſuæ,aut priſtini roboris ademptum: Et cùm factus fuiſſet illi obuius coram frequenti populo, efficaciter,ſed duce ac monitrice manſuetudine, miſerandam ſui conditionem rursùs illi graphicè deſcripſit. Occluſæ miſero aures: recluſum os putidum, virulenta contra monitorem loquacitāri: ſed tandem deſperata ipſius ſalute,*Dabis*, inquit, *pœnas neglecto Numini, quas deberes mihi. Vt ego baculum iſtum cui ſubnitor* (& vehementiſſimè illo terram percutiebat) *in manibus geſto; ſic animam tuam faciet diabolus ſui iuris, æterno tormento cruciandam.* Quid perdito adoleſcente fuerit factum,occulto Dei iudicio relinquendum: Nos teſtamur quæ ſcimus; ipſum ſcilicet inter vitia ſordeſcentem,inimico interfectum gladio, ſordium ſuarum nullo confeſſionis lauacro purgatum.

Non ſemel etiam,facto opprobria ſuſtinuit, ne muſſitans quidem. Cùm ad Principiſſam Hoſtiliani diuertiſſet,renuiſſetque temporali aulicorum eius bono cum illa colloqui, faſſus operam ſuam ſe pro æterna tantùm ſalute procuranda locaſſe; illi deluſi,& vltionis cupidine proritati, in cubiculo illum collocant noctu quieturum, qno non aliud incommodius,& lectulo lineis carente. Apud ipſum tamen bene compoſitum, omnia erant compoſita:quin etiam vbicumque & inter quoſcumque placidus ac mitis, ſocium compeſcuit iniuriæ ſtimulos adhuc plenè non retundentem,ijs tantummodo verbis ſatis ſibi familiaribus; *Dei filium cogitemus in cruce pendentem.* Et hos ille fructus ſuauiſſimos ex eiuſmodi perſecutionibus decerpebat, quamquam non ea fini ab alijs intentatis. Quare perbellè huc trahebat,quod à Chriſto ſui crucifixorum condonationem apud Patrem patrocinante, de ijs dictum fuerat, *Neſciunt quid faciunt. Eſto enim*,dicebat,*lædere nos putent inimici noſtri ac perdere; proficuo tamen famulatu, animæ noſtræ bono, inſcij,*

inſcij, ancillantur . Nam ſi ſapimus, quieta tolerantia efferos iræ motus diſcimus calcare; iniurijs non incuruari; atq; auerſi olim à Deo, ad ipſum feſtino gradu reuerti; malis quibus premimur ad ipſum nos ire cogentibus. Ideoque cùm literas ad aliquos daret ſub calamitatum faſce gementes ; hoc erat ipſarum argumentum . Nequaquam ijs in hunc aut illum cęco furore fremendum , ceu in ſatores malorum & auctores; eſſet enim hoc, exigua vulnera, alta & inſanabilia lacerando efficere; ſed in peccatum armandum, diabolum prorando efficere; ſed in peccatum armandum, diabolum procaciter accerſens , cui aduocato acceptum ferendum truculentum calamitatum ſatellitium , quo homines circumquaque conſtipat & acutiſſimis fodicat aculeis: Incaſſum ergò quoſcumq; laboraturos euerruncandæ miſeriæ; niſi omni prius ope, eliminando peccato fuerint enixi .

Sed illuſtre fuit Chriſtianæ manſuetudinis ſpecimẽ, quod in Nepotis ſui cęde præbuit . Peculiari hunc proſequebatur amore; quippe qui nutibus ac renutibus ſuis obſecundans , ſuo ſe fingi arbitratu ſineret; quòdque præterea nihil in præterita vita haberet excuſandum . Suis hic bonis à potentiore occupatis, qui nobilem originem occaſionem fecerat rapinarum; coactus fuit Neapolim petere . Andreæ ſuaſu , Nobilem alloquutus fuit, vt animum illius flecteret in auaritiam ptæcipitem : ſed illi aurum aures occluſerat : Quare, cùm is menti aſſuetæ vaneſcentibus cauillationibus addiſſet manus flagitioſas ; aſcito ſicario, iuuenem ſuæ ſecuritate conſcientię intutum , inflicto in humeros vulnere prodiſtoriè ſauciauit , & crudeliter trucidauit . Cùm ipſius affectus non longè euagarentur, nec eum facerent à ratione ſegregem ; accepto infauſto nuntio , nullum turbati aut vacillantis animi motum prodidit ; in genua prouolutus Deum benedixit , & ipſum quoque ſicarium ingenti benedictionum cumulo repleuit . Occiſi item germano ſtatim diuinam vltionem interminatus fuit, niſi abſq; mora , publico ſcripto offenſam lædenti remiſiſſet . Illud

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

tantummodò Beati pectus lancinabat; quòd scilicet in Deum fuisset flagitium perpetratum. Sic ipse Dianæ Spinellæ, quæ per literas eum fuerat consolata, palam edixit. *Doleo*, inquit, *vehemẽter pro interfectoris anima; ipsi tñ ex corde parco; nam ex corde ipsum amo, vt charitatis legem seruem, sic iubente Domino, quem spero fore, vt ex tanto malo nonnihil eliciat boni, sicut diuinæ ipsius bonitati est familiare*. Non defuêre qui Andream adirent, parati innocentis cædem apud Proregem vlcisci; sed obfirmato id animo respuentem: veritum, ne, quà nefarium homicidam punitum irent; eàdem, in propriam perniciem venirẽt; & ex christiana charitate pleno ore fausta omnia offensori apprecantem; infandique homicidij auctorem occulentem.

Ex hac comitate & manſuetudine, animoque ad suauitatem efficto; quos ipse ad pietatẽ efformabat, nequaquã volebat rigida, duraq; iussione inuulnerabili esse animo, sensuq; doloris experte; sed permittebat eos ærumnarum fasce grauatos, condolescere, affectus sentire, & moueri quoque ijs; licet permoueri nequaquam. Statim enim ad salutarem Dei voluntatem eos contrahebat; rationisque cõercitione velut frænis quibusdam, affectus temperabat; ne mentem obnubilarent vllo errore, aut labe subuerterent. Marino Caraccioło Atripaldensium Duci, de filij sui Comitis Torellani morte, luctuosè mœrenti; *Dolorem*, inquit, *sentiscere nostri est proprietas sensus; Deum vero benedicere, peculiare est hoc, in censum filiorum Dei verè adscriptorum. Dolore si minimè afficeremur; & homines quoque minimè diceremur: gratias Deo si nequaquam ageremus; reprobatos nos coniectari posſemus.*

Præcipuè autem hæc animi sui tranquillitas, multum illi contulit audaciæ ad impetranda diuinæ munificentiæ dona: nihil enim tã arduũ aut imperuiũ potuisset accurrere, quod nõ eà & superare ipse speraſſet, & penetrare; ostia quęcũq; reseratura, & valuas effractura. Inter arma minitabundè resonantia, ac terrorem incutientia; inter sæuientem quaquâ

cœlestis

cœlestis iræ seueritatem, interritus exultabat; & flectendæ votis suis diuinę voluntati, asserebat, sat illi esse ad orationē prosterni post effusa dilectionis suæ viscera erga sui osores & inimicos: telum nanquę esse istud asserebat longo iam certoque vsu, nunquam ictu irrito pectus Dei iaculatum.

Non defuêre tamen (vt in rebus humanis euenire solet) qui hanc eius comitatem sugillarent; vitioque illi verterent, nimiam ipsius in reprehendendo libertatem, seu acerbitatē. Fuit quidam è sodalibus suis, virtutum eius apprimè conscius, ac diutinarum quas à dęmone patiebatur vexationū; qui pietatis specie illi dixit; *O quàm consultius faceres Pater, si subagrestes mores tuos, aliquantilla dulcedine inspergeres*: Cui ipse, penè gemebundus; *Futuræ, frater, opus est vitæ, id luculenter agnoscere; ibi te sisto; hic enim insania æstimatur vita nostra.* Eius item asperitatis remittendæ, vbi opus erat, nulla cura distendebatur: nullum namque animi incorrupti promptius argumentum habebat; quàm, nudam simplicitatem loquendi; ac medici instar, non palpare, aut blandiri; sed penetrare, pungere, radere. Subrusticè itaque non verebatur aliquando loqui, modò salutariter diceret. Hac libertate sibi vni morigera; nulli obsequebatur; non potentiori; non digniori: malebat enim ęgrotos suos per ignem & ferrum conualescere, quàm inter placentia & lenia perire. Cùm dictum illi fuisset; Principem quemdam virum ac prędiuitem, sed immisericordem, famulorum suorum stipendia retardasse: ipse indocilis suppalpari, neque inter Principem & fortunam eius distinguens, vltro illum adijt, & hoc suauelocutiæ blandimento salutauit, *Hem! damnate & æternis flammis addicte, mercedis tibi inseruientium iniuste, & impie detentor*. Subrustica locutio, sed flexanima: sæuijsse enim profuit: Nam sterile solum Principis, seueritatis flamma fœcundauit; qui insumpta pecuniæ summa; statim faciendum cuique satis mandauit; & conscientiam illicò suam ante Beati pedes per confessionem purgauit.

HV-

HVMILITAS.

CAPVT VI.

SVſpiciendi faſtigij fundamentum, niſi profunda petat; ſuperſtructæ molis intolerans, ponderi cedit: ipſoque cedente, ingenti ruina omnia concidunt. Sic porrò, à quo abit ſui contemptus; huic nullæ virtutes attribuendæ; ſed earum ſimulacra tantùm, obuio quoque obiectu vaneſcentia. Huius rei optimè callens Andreas; per hunc ſolum deſcenſum, ire contendit ad eum aſcenſum qui eum duxit ad celſiſſima; cumulatiſſimè illi reddente Deo, quod ſibi ipſe detrahebat: meritò, inde ſemper ipſe prouectus, vnde proiectus. Compertum eſt, ipſi nihil externum reliquiſſe maiores ſuos, quod poſſet oſtentare: genus enim ab illis trahebat indecorum: ſed laude non vacat, hoc illum aſpexiſſe, nunquã à primæuis principijs ſuis oculos deflectentem; & inter apices licet venerationis, & ſuſpectus; adhuc ſortis ſuę deſpicaciſſimę obſcurique ſtemmatis reminiſcentem. Terebat Principum limina, ſed vilitatem ſuam ſecum circumferens, non ſemel famulis, Dominorum ſuorum iuſſu, inuito ſibi ac reluctanti quippiam obſequij præſtantibus; edicebat liberè; religioſo id indumento acceptum ferendum, quo niſi eſſet circumamictus, ſorte commutata, à quibus tunc recipiebat, exhibiturus fuiſſet famulatum ignoti ſanguinis homo, & nulla ſubnixus commendatione maiorum. Dum parciſſimo cibo corpus reficeret, erumpebat ſępiùs in huiuſcemodi voces. *Heu me! Quot ſanguine illuſtres ac bonitate perſpicui, panem hunc percupiunt, quo vilis ego homuncio ſceleribusque circumquaque ſordeſcens ad abundantiam ſuſtentor?*

Ne ipſa quidem obliuioſa ſenectus, eius rei potuit obliuionem indere; altè quippè radices fixerat, & hæſerat. Terras etenim propediem relicturum, adijt Nouitius quidam, ex ijs quos Domus miniſterio mancipatos, Laicos appellamus;

aduerſus

aduersus Magistrum suum querulis vocibus loquacitans ; quòd non ita blandè secum, atque cum Nouitijs Clericis actum fuisset ; iudicioque suspicaci, natalium diuersitate se interstinctos indolescens: illius propterea charitatem & prudentiam non cessabat lacerare, & lamenta conduplicare. Tumidum & elatum, redegit Andreas explosо iam supercilio ad tranquillitatem; ac adegit ad credendum secretionem aliunde quàm à genere obortam : sed refricuit illi confestim originis suę memoriam ; nactusque feliciter occasionem, proprię quoque obscurissimę promendę; *Quàm verè*, inquit, *frater; vtrique nostrum, nisi ad Religionem confugissemus, sudãte vultu enitendũ fuisset ad cibum! cur ergo, nescio qua leuicula discriminatione cõturbabimur, & sordidi obliuiscemur, vnde emersimus luti?* Laudauit posteà magistrum, quòd insanè superbientem repressisset: monuitque vt si penetrantiore remedio eiuscemodi ęgrotis consulendum optaret ; non ipse qui auito sanguine primarię Neapolitanę nobilitatis explẽdescebat, pharmaca adhiberet ; sed ad se quantocyus transmitteret; veritate obscuritatis suę, stolidę ambitionis cornua fortiùs proculcaturum. Hac natalium suorum recordatione, sibi ipse quodammodo aures vellebat : per ciuitatem enim inambulans, mero licet meridie, aut mordente sidere; aperto incedebat capite ; veritus ne propter hebetatam aciẽ visus, obuios minimè distinguens, elaberentur salutato salutantes, contra fas inurbano.

Abiectissimorum etiam quorumcunque auidissimè fuit appetens: Calceos ac vestes, quòad per visum licuit, ipse sibi reficiebat & farciebat: lapides & cęmenta in ædificia, humeris suis, etiam cùm Superior esset comportabat: Lutea ipse vasa purgabat: itinera licet iniurio cęlo, pedester conficiebat; equester perrarò & non nisi longiora : equo tamen vectus subibat multoties agasonis vices, cogente nemine, sed humilitatis tantùm affectu ; cùmque se à sociorum conspectu clam colligeret; instabat stabulo, equoue nutriendo polien-

poliendoque vacabat. Ad maritima itinera, aptiora & chariora visa sunt ea nauigia, quæ abiectiora. Onerariam aliquando Vicum Equensem petiturus conscendit: reluctabat nauicularius; quòd virgultorum ea fascibus, non viatoribus transportandis inseruiret: cui ipse, *Stipitem profectò me ac truncum existimato; sum etenim: fascem itaque fasci colligato, trunco truncum; ac transuehito.*

Sicubi de cælestibus differenti, alius quispiam Religiosus superueniisset, religiosior ipse, loco mouebatur; primas illi concedebat etiam iuniori; oblitusque magisterij; pertinaci silentio dicturum inuitabat, dicentem, attentè, ac si sub eius probaretur tyrocinio audiebat. Iteratis etiam suspirijs, hęc ipsius vota audita fuere. *O si quis daret; vt opprobrijs quantus quantus sum patescerem: appeterer iniurijs: contumelijs dehonestarer: & luculentam hanc frontem, lutulentus quisque sordidaret! Calcando quippè mihi, nihil posset fieri gratius, prosternendo nihil honoratius accidere.*

Cęterùm, ne in faciem solùm quæsita eius humilitas videretur, ac verbotenus tantùm demissus crederetur; despicientiam sui, propalatis quoque interiorum defectibus, apud alios cura sedula procurabat. Aiebat enim; verè ac seriò sese intimè excusso; nihil reperisse, nisi per quæ rubore suffundi deberet: hęrentem scilicet primo spiritualis vitæ vestibulo, vlteriùs gradum non promouisse: diuinis beneficijs circumquaque vallatum, quanti ea fuissent, adhuc non pensitasse: ac ne semel quidem, incruentum sacrificium eæ cordis affectione, qua par fuisset, obtulisse; aut officij diuini pensum recitasse, siue mentali orationi vacasse, omni deuotione viduatum: & adspergi solùm aliquantillo desiderio Deo placendi, ac deprauatos mores suos corrigendi. Quare similem se dicebat lapidi indici viæ; cuius beneficio cęteri iter capessunt ac dirigunt; sed immobilis & immoti; sic, hortamentis suis præire se alijs ad salutem, cuius vestigia nesciret calcare. Fusiùs verò ad quendam. *Me miserum!*

inquit,

inquit, *hæc me iugis afflictio pungit, & vrit; quòd cognitione gratiæ diuinæ ad sui me amorem exstimulantis, ex parte video me Angelorum supparem: executionis verò promptitudine, brutorum. Languidiorem experior amoris, quàm scientiæ gustatum. Cordis affectu minimè sentio, quod illustrato fidei intellectu cerno. Non erubesco indeuotionem imperfectumque meum cæteris scribere: plura ad id me propellunt; ac in primis merita confusio. Sciant, sciant, inquam, qui me spiritualẽ existimaut, se falli ac brutis me veriùs esse propiorem; nec decoro illo nomine honestandum, cuius prorsus effectu careo. Ad hæc; vt ex corde me diligentibus meæque salutis percupientibus, impensior præbeatur summum numen pro me deprecandi occasio. Denique ne qui ijsdem languoribus premuntur, vllo penitùs tempore desperationi succumbant. Me certè, etiam si longiùs à Deo, quàm nunc, abessem; nulla vnquam desperatio posset circumsistere immensæ bonitatis diuinæ satis conscium. Fui quondam expedita in eius offensionem voluntate; & expectabat me tunc ipse ad pœnitentiam: ergòne abiget nunc idem, omni conatu malorum meorum pœnitentem, & quo possum modo comploratam meam vitam emendare satagentẽ?*

His incubans cogitationibus, inter ingentia Dei beneficia numerabat prouectã ętatẽ, in quã per tot annorũ spatia feliciter deuenerat; expectãte illũ patiẽtia Dei: Quasi, dicebat, vt senectuti reseruatus; vel tunc inciperet excutere impedimenta inertiæ suę, passionum retinacula abrumpere, dissipatas animi vires recolligere; idque vnum velle, quod iamdudùm velle debuerat.

Credat modò quis, hominẽ tã abiectè de se ipso sentientẽ, potuisse vnquã gloriolę vel minimũ ab alijs nundinari: huius enim ipse fugitans, ęonabatur & fontes obstruere vnde posset emanare; vt si quid in ipso suspiceretur boni; statim & palã euilescceret. Prędicebat sępiùs dispares languentiũ exitus; sed tanquã experientia doctus, non tanquã superno lumine ductus, cuius tamẽ dilucidissimi radij elucebãt in subse

quis prędictionum effectibus. Si qui, verbo ſcriptoue ipſius profeciſſent; profectũ, proficientiũ pietati aſcribendũ contendebat. Congeminabat ieiunio dies; verùm tegendis virtutibus ſuis ſolertiſſimus, cùm de inimicorũ dilectione incideret ſermo; *Vtinam*, dicebat, *ſic poſſem abſtinẽtia corpus macerare, vt in cuiusq; amorem qui me fortaſſis offenderit ſum procliuis.* Diuina è contra ſolatia prorſus cõtegebat; ſępiùsque illud prophetę iterabat, *Secretum meum mihi.*

Frequenter quoq; aſſerebat, collatas laudes acceptãtẽ, furem eſſe, ac latronẽ cenſeri; furisque pœnas meritò daturum; gloriam vni Deo condebitam, arroganter ſibi vendicantem, fraudulenter vſurpantem. Hanc furacis ingenij labem auerſatus, coram laudatus, afflictim dolèbat, ſoluebatur in lacrimas; inque laudationis verba tanquam aduerſus otioſa armabatur; & ſi quid aliud non potuiſſet; concidente vultu ſtatim terga laudantibus vertebat, & abibat. Dixit ei aliquando Diana Spinella Principiſſa Sancti Boni, percupidam ſe illius cum Deo colloquentis viſendi: Inhorruit ipſe ad mentionem digniſſimę rei; ac ratus ad amicum illam & familiare colloquium reſpexiſſe, furenti ſimilis; *Quid*, ait, *abs te audio? potes ne in caput meum ſic iniurioſa ludere, vt arbitrere talem me eſſe cui debeant cælites fauere ad ſui colloquium admiſſo? an ignoras viliſſimum me eſſe ac teterrimum? quod ſi nolis reſcire; faxo cogaris, & mei quoque conſpectum deſiderare nunquam tibi deinceps videndum, tam alta & ſublimia de me falsò opinanti.* Senſit Princeps minacia irati verba; quibus vt extra diſcrimen ſe poſſet ſubducere; ſimulauit ſe de precum & orationum colloquio loquutam; & paulatim in amicitiæ ſpem reſtituta, perrexit placidè audire de humilitatis virtute differentem.

Excidit aliâs incogitanti, ſe iniurię fuiſſe facilè patientem: ac ſtatim, tanquam venenato iaculo confoſſus; non quòd extra verum exerraſſet, ſed quòd gloriam mercari viſus fuiſſet; cępit aperire ludibrijs conditionem ſuam obſitam infamia;

& con-

& conceptam fortè de se opinionem abolere.

Constat etiam, humillimum Andream, honorũ decora & honorarios titulos constanter respuisse. Domitiũ Caracciolum Atripaldensiũ Ducẽ, Mariã Principem Parmensẽ, & Cõstantiam Piccolomineam Aragoniam Amalphiæ Ducem, compescuit seuerè à literarum subscriptionibus, quibus se illius seruos appellabant. Obtemperauit ille iubenti: sed harum neutra: perspicaciori enim intuitus acie, arcanum ac cęleste quod in ipso abscondebatur, veneraturæ; abiectissimam subscriptionem adhuc affectauere. Religionis autem Prefecturę, ingemiscenti, eiulanti, & contra eas enitenti collatę fuere, & excutiendę sarcinę, per ipsam etiam iuris suffragij abdicationem irrequieto molimine tanquam impetraturo vacãti; eius enim pluries in Generalibus Comitijs fassus fuit se indignum; quamquam integra Patrum sententia, voti sui nunquam compos factus fuisset.

Fortiori conatu obsistendum illi fuit; vt opima Sacerdotia offerentes & digniſſimas cathedras, posset eludere; quod sępiùs ipsum perpetrasse, constans est fama: quoto enim cuiq; Purpuratorum, seu Magnatum, perspecta eius probitas fuisset, hunc statim experiebatur, Episcopatus negotium vrgentẽ acerrimè. Cùm, Augustino Cardinali Cusano visa essent omnia confecta, opinanti iam illum, multis licet ambagibus recusantẽ, & intra proprię hnmilitatis septa studiosè latitantẽ, leniter in suisententiã flexum; misit Cardinalis qui dignitatis insignia & pretiosa indumenta deferrent, mox ijs honestando. Andreas; hilaritate vultus, qua splendida donaria recepit, creditus fuit in Cardinalis sententiã, & cũ gaudio concessisse: verùm donarijs postridiè diuenditis, eorũ pretiũ in Altaris ornamenta dicauit: probante sapientissimũ despectũ Cardinali. Qui longa iã experientia doctus, ad fractas se fides canere; Episcopatus vice, amplissimę illi facultatis à Sede Apostolica concedendę auctor fuit: omniũ scilicet Christi fideliũ confessiones, quocumq; terrarum se conferret, au-

diendi,locorũ Ordinarijs irrequisitis.Sed,ne ipsa quidẽ Gregorij XIV.Põtificis Maximi maiestate flecti potuit,vt ad celsissimum Episcopatus fastigium,ex humili in quo iacebat loco, pateretur eleuari: quod Pontifex ob Andreæ cum Sigismunda Estensi Cognata sua secundum carnem, necessitudinem; perspectamque ipsius sanctitatem, vehementer optabat. Sed ipsi ratum firmumque erat, caput suum carnifici potiùs præcidendum submittere, quàm insula ornandum permittere.

Cùm verò pro animarum salute, perenni labore sudaret, contra humanæ gloriæ fucum frequens huius dicti vsurpator erat. *Deturpare nos, & commaculare Dei opera*: Cuius non aliud interpretamentum, quàm quod ipse adjiciebat, apponendum. Hoc est: à summè bono, non nisi bona in nos dimanare, nescio, ac nolente aliter operari: at nos ea bona fœdare; obduratione, eius imperio refractarios; negligentia,in exequendo socordes; inuerecũda superbia,alieno iactabundos;ex his quę per nos Deus ad sui honorẽ proximorumq; salutẽ operatur, nobis ipsis gloriã quęritãtes. Quocirca, strenuo cuidã operario, horũ versuum nexũ mirificè cõmendauit. *Non nobis Domine non nobis;sed nomini tuo da gloriam*,&, *Dimitte nobis debita nostra*: In altero bonorum omnium datorem reuerituro; per alterum aspersæ fœditatis maculas absterfuro.

Roborando etiam Aretio suo nauiter pro Ecclesia laboranti, addidit. Multùm nos superni luminis esse indigos, vt nostrũ nihil possimus agnoscere; ac,ne sub lucidissimo Sole cęcutiẽtes,ipsimet nobis ad damnationis barathrũ iter sternamus. Quòd si bono cuipiã boni videamur; suspenso vestigio cautè nobis esse incedẽdũ: facillimè enim piæ menti improba suspicari nescię,bonũ videri, quod reuera tale nõ est: cùm q; scateat mundus quaquàuersum superbia,& malorum exẽplis;opera idcirco vtcũq; bona,vel minùs mala; caliganti vulgo appellari bona: vnde hunc nominant optimum,illum

sanctum.

ſanctum. Quiſquis autem ita audit; huic ſi ſapit, dolendum potiùs ea laude, quàm lætandum; iure ambigenti, vtrumne in pij alicuius deſiderij mercedem, ea præconia ſint aſcribenda; potiùſque hinc aduerſus tepiditatem ſuam indignandum: ſi enim tanti vitrum, quanti margaritum? ſi fucatis & apparentibus ſic mundani compunguntur; ſolidis & veris, quid eſſent facturi? Et omnino; verendum nobis eſſe, Dei non hominum iudicio librandis, ipſo etiam propheta trepidante, & orante, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Ad hæc; ſi boni aliquid præuio Deo & comite perpetrauerimus, cùm robur omne ab ipſo acceperimus; ipſi dãdam gloriam. Ac, ne quid hic tandem ſit circuitionis: Omnia cùm fecerimus; vix ſeruorum, & inutilium titulo decorandos permitti: Omnia, inquam: quis ergò ſtulteſcat, minimèque humilietur, cui maxima pars factorum, minima eſt patrandorum? Hæc ille contra humanæ gloriæ faſtum. Et certè, cùm plurimi adeſſent, qui pietatis intuitu temperandum ſibi à laboribuc, decrepito iam, ſuaderent, & ſub immani morborum cruciatu ingemiſcenti; reſpondebat ipſe. *Nihil adhuc boni egi miſerrimus ego ſenex.* Scripſit etiam *De Chriſtiana humilitate* tractatum inſignem in gratiam Raynutij Ducis Parmenſis.

Nulli tamen mirandum, in abiecta ſui cognitione adeo profeciſſe Andream: compertum enim fuit, eum in ſui contemptum nunquam ſibi ad ſatietatem ſatisfeciſſe; & fatigato quotidie diuinæ bonitatis fonte, hanc ab eo virtutem, integra prima petitionis parte in oratione ardenter efflagitaſſe.

Adhuc tamen creditus fuit nonnemini; non adeo gloriæ fugitans, qualem hucuſque deſcripſimus; eo ſolùm indicio, quòd ſe ipſum alijs nonnunquam præberet exemplum. Cęterùm; credendum potius mendacij oſori acerrimo, & apud rigidiſſimos ſpiritus ſui cenſores hanc cauſam tuenti, ſeque

atteſtan-

atteſtanti nullo gloriæ pruritu titillatum id aſſeueraſſe; ſed ad proximorum tantùm ſalutem; quibus deſperatè aliquando conterritis; exemplo ſui ſuadebat, paupertatis, verbi cauſa, & abſtinentiæ iter facillimum eſſe; nec ita arduum, ſentiri coſum, & inacceſſum, vt pleriſque videbatur; ſed ſpatioſum, & ſuaue, ac innumeris penè, interque cęteros, & ſibi, hoc eſt, ſeni & vndique languoribus obſito; diuturno calcatu fortiter protritum, quod omni prorſus gloriæ ſuſpicione carere certiſſimum eſt.

PAVOR.

CAPVT VII.

DEmiſſionis ac metus tanta eſt cognatio, atque ad eandem collimandi metam conſpiratio; vt quâ quiſquam abiectus; eâdem ſit & ſui quoque pauitans. Itaque Andreas in Deum verſus, & ex Deo in ſe reuerſus; propriarum inſpectione culparum, extremique iudicii diſtrictione, venturo torquebatur & præterito. Iam audaciam ſibi præfidētis animi poſuerat, cùm ſpiritualis vitæ ſemitas, vbi multi ſunt anfractus, abſque Duce ingredi noluit, quem nactus fuit optimum; quodque ſatis eſt dixiſſe, Marinonium. Iam ab aliorum ducatu ſe ſubducturus fuiſſet, vt occupatum ſui cultura animum, aliena non detineret; niſi celebris illa ſanctitatis fama Baptiſta Vernacia latitandi ſtudioſum, feciſſet publici iuris & fructus; ad ſolatium tamen in publicum prodire coacti, relicto illi Solario vitæ ſuæ arbitro. Præter tamen iſta: pendentis animi & futuri expectatione perpetuò ſolliciti, manifeſta hæc fuere indicia: Ad caſtitatis tutamen, licet in ætate omnis voluptatis experte, adhuc pectus conſtantia armatum: indictum contra otioſa verba bellum: & aſſidua vigilia, ne tenuiſſimis ſuccumberet pręcipiti ſæpè gradu ad ingentia & teterrima protrahentibus.

Exci-

Exciderat ſibi inaduertenti, aduerſus Prępoſitum ſuum occultiore Dei permiſſu aſperius illum tractantem, verbulũ vix primo imperfectionis gradu ab obſequentis animi ſubiectione aberrans: quo ſtatim ipſe perculſus fuit tanquam horrendi ſceleris reus; ac velut indignus Patris obtutu, latebras quęrebat: impigrè interea veſtigans veniam pro facinoroſo poſtulaturum. Verùm, quòd hęc ſibi viderentur erroris integumenta, proſiliit ipſe in medium, ac in Patris genua gemebundè demiſſus, *Perij*, inquit, *niſi offenſam remittas*. Attonito ille ſimilis, prorſuſque neſcius, quonam, vel quando, ſui fuiſſet ab ipſo violata reuerentia, tanti ſupplicis inopinos timoris affectus non ceſſauit admirari.

Quæ olim perpetrauerat mala, quamquam leuia; nulla vnquam, ne ſenex quidem, & in vltimo metæ flexu oblitterauit obliuione. In patrocinio quondam cauſarum, accerſito fuco veritatem interuerterat, ſenſeratque ſtatim minitãtem Deum per obuia Scripturę verba: *Os quod mentitur, occidit animam*. Huius facti memoria, intima eius adhuc cõuellebat pręcordia.

Accidit aliquando, vt aliquibus occurreret legum laurea donatis, & legum aliquot commentaria in Bibliopolio peruolutantibus. In horum ipſe binos fixit obtutum; velut ex alta ſpecula contemplatus, quanto animarum lucro à forenſibus ęſtubus & aſtubus, ad meliora illi ſtudia poſſent transferri: ſtatimque Aduocatorum pericula cępit exaggerare, & captioſa mendacia deteſtari, quibus ij crebrò abundant, vt victores euadant; & ſe quoque iis aliquando tricis irretitum, diuina comminatione terrente, ab illis effugiſſe. Hoc autem, tanto impetu ſpiritus, tanto dolentis affectu dicebat; ac ſi tunc facinus quod ipſi videbatur horrendum, fuiſſet perpetratum; & ſentiret à tergo vindicem Deum: tanto etiam audientium fructu, vt paulò poſt ambo forum auerſati muudique transfugę, ad Chriſti ſe caſtra in hac Religione conuerterint. Militat adhuc eorum alter: Alter,

hoc

hoc est Andreas Molphesius, Beati tutela cumulatè protectus; cęlestem iam patriam (vt piè credendum) emeritus petiit.

Patrabat item Andreas plurima in Dei laudem; sed sui obscuritate tutus, quantùm elationi remotior, tantùm timori fiebat propior; quem fouebat illa de operum Dei fęda commaculatione iugis suspicio, vti proximo capite tradidimus. Et lacrimas quoque potuit ea cogitatio excire: namcùm quidam illum inuiseret, reperiit vbertim in lacrimas effusum, animo, laceſſentibus iis curis reserato, quòd illustria Dei opera fœdus ipse conspurcaret.

Nullum tamen persensit penetrantiorem gladium, quàm æteruę salutis anxiam sollicitudinem. Hic intima eius omnia peruasit; perpetuaque eademque luctuosa carnificina lancinauit. Adacti sacramento plerique ex eius confessariis fatentur, nullam in eius confessionibus veram absolutionis materiam substitisse; attamen ipse; maximo se Dei miserantis beneficio ascripturum asserebat; si ad extremum vsque iudicii diem expiatricibus flammis detineretur purgandus; tunc demum ad Dei conspectum traducendus. Toto vitæ suæ tempore, semel duntaxat in dies singulos consueuerat conscientiam suam Pœnitentiæ sacramento purgare: sed ea iam decliui; instaurati metus causa, semel, & iterum, ac ter, & quater, inter lacrimarum imbres & singultuum frequentiã: tanta districti iudicij formidine; tanta peccatorum suorum detestatione; vt confessarij eo audito, ad pedes confessariorum suorum tremebundi ipsi quoq; caderent, præsentario tanti pauentis metu conterriti.

Aliquoties etiam precabundè in cęlum erectus audicbatur solitariè secum colloqui. *Annè Beatorum ista sedes patebit mihi homuncioni vilissimo, & atrocissimis sceleribus vndequaque scatenti?* Iteratis autem interrogationibus id à confessario suo scisciatus, cùm audisset, multum sanè sibi ad id supereſſe spei; illi, arcto complexu blanditus, *Recreasti me*, inquit,

inquit, *Pater, & inter ima trepidationum iacentem, erexisti.* Sed quòd nulla in terris consolatio subesset; è cęlo accersendi fuere consolatores: eaque fini futurum conciuem suũ, salutatũ aduenere duo Ecclesiæ lumina Augustinus & Thomas; ac medelam animo potiùs quàm corpori ęgrescenti allatum; & impigrè laborantem, ad laborum perseuerantiam roboratum, quibus inter naufragia vitæ huius semper intutę, & periculosæ, velut fidissima anchora se posset munire; vt suo narratum est loco. Extat ipsius tractatus *De timore, varijsque timendi stimulis.*

PAVPERTAS.

CAPVT VIII.

VIx adolescentiæ limina salutauerat Andreas, quando hianti & anhelo pectore cępit cogitare, quonam pacto rem suam familiarem potuisset auctitare. Opum quippe insatiabilis famescentia, (quamquam semper per exploratos calles probitatis) & ipsum paulò post patrio pepulit solo, & cõegit angulatim rimari, quidquid ad lucellum aliquod sibi parandum conduceret. Marinonij tamen suasu, expleuit hanc voraginem, dum adhuc sæculi teneretur compedibus, perque Dei benignitatem ab ijs vitiorum flexibus, errorumque ambagibus ereptus fuit, in quibus innumeros cernimus ob adcrescentis opulentiæ illicia proruere. Excussa itaque sarcina, vt esset expeditior, & vacuo animo libertatem faceret cęlestis commercij, paupertatem perpetuitatis accessione, solemni ritu in hoc Religiosorum cœtu vouit, qui nullo certo censu victitantes, petitoriæ quoque artis nescij, solùm Dei misericordiam expectant. Porro si hanc ipse semitam ingressus; huic vni tantùm curæ, vigili oculo excubasset, nempe, ne terrenorum decipulis irretiretur, neu ipsorum amore titillaretur; ingenti profectò laude censeri de-

buisset dignus: tanquam qui prudenter sapuisset, perituris nequaquam adhæresens; quibus occupari, non detineri, potuisset eius animus: quæq; sibi inuito potuissent auferri. Attamen ipsi magno hæc non fuere visa magna: Quare altissimos paupertatis gradus conscendere toto mentis conamine fuit ausus; obuia quæque disijciens, ac superans quidquid videretur inexsuperabile. Corpus siquidem suum adeo perdomuit, vt in victu & amictu vix illi concederet tantillum, quo vtcumque vita substentari potuisset, vt alias diximus.

Quod reliquum erat familiaris suppellectilis, non dispari pretiositate resplendebat, ipso inter cæteros Octauio Parmensi Duce inspectore & admiratore, imparatum adorso, cùm falsiloquia sua euomuissent calumniatores, vt apud ipsum maculare senis existimationem possent, claritudinem obscurare, magnitudinem proterere. Ipsosque cellæ parietes, nequid adesset cultius, albario, Religiosorum scilicet auleis, nunquam passus fuit illiniri; & fluxit aliquando viginti quinque annorum spatium, intra quod nulla fuere fidelia dealbati. Sed Mediolani, ne aranearum quidem telas, quibus circumquaque cubiculum obtrudebatur, & is præcipuè eius angulus vbi lectus sternebatur, passus fuit abigi. Ventitabat ad ipsum spiritus sui ducem, Ioannes Maria Talliaferrus Sancti Caroli familiaris. Huic enixè suadenti, vt ab iis animalculis sollicitè sibi caueret, vt plurimùm venenatis; respondit; securum se inter ea degere; tantumque ab vno peccato sibi esse timentem. Ille de magistri incolumitate adhuc anxius; sumpto iis abigendis euerriculo; *Apage*, audiuit, *buiuscemodi munditias & delicias: Impetum tui non probo, ignari quantos animo meo ignes excitet Christus in cruce pendens, ad cuius ego instar (me miserum!) vitam viuo iucundissimam.*

Vestiendi item corporis non fuit absimilis ratio: scimus quippe ipsum nouis nunquam vestibus indutum, eaque

diffu-

dissuta & lacera, suis ipsummet quòad per visus aciem licuit, manibus sarciuisse, lectulo interim, quòd duplicatis careret, alligatum. Calceis iisdem, ad decennium vsque vsus fuit: Tibialibus, ad quartumdecimum: Talari tunica, ad vigesimum: Fęmoralibus, etiam ad vigesimum sextum annum. Et hæc nequaquam vltra potuisset quis dignoscere ex quanam fuissent materia initio confecta. Si quis in extrema vestimentorũ necessitate, nouorum vsum illi suasisset; tanquam subito ipse timore aliquo inhorrescens; *Cui* (dicebat) *hæc suadetis? morituro? Ah! dedecet futurum mox vermium escam, nouis circumamictum vestibus incedere*. Addidere nonnulli ad flectendum eius animum; insueto illo rigore amiciendi corporis senio iam exsucci; iniurium se videri in Matrem Religionem: quasi minimè ipsa, viscera sua parata esset effundere, & effunderet quotidiè pro filiorum suorum indigentiis; seque hoc fortè ratum, temperandum sibi statuisse à sumptu, quamquam perneccssario. Ad hæc ille. *Rectè quidem cæteros ac iure suo vendicare sibi, quæ substentando corpori commodè sufficerent; strenuos scilicet operarios, forti conatu in proximorum salutem incumbentes; Religionis bono multifariam famulantes. Se verò leuissimis curis imparem, non pluris esse, quàm, quanti est vilissima appendix rei familiaris: semsimque fieri intelligentiorem, inutile Religionis pondus inambulare: consultoque subtractione victus & amictus, eripere se ijs supplicijs, quæ manere solent, bonorum Religionis dilapidatores*.

Ad hanc amussim complanabat quotquot in tyrocinio probabat; scrupos omnes amolitus ituris ad præclarissima: Eo fructu, vt dicerentur tunc in probris numerare, si cui omnia fuissent suppeditata; & passim recensercntur, qui euerriculo etiam parcè conterendo dum solum verreretur, studiosè vigilarent; & ellychnii gossopina fila numerarent, ne superflui olei voracitate lumen excipe-

rent. In tantulis verò rigidi, ſacrilegii loco ducebant, aliunde ſordeſcere: Quòd ſi quis vel minimùm hinc deflexiſſet, audiſſet ſtatim, *Diaboli operarius*. Si detrimentum aliquod rei familiaris paſſi fuiſſent, nemini præ anguſtia animus infirmabarur, cuique erigebatur: Andreas verò tunc immenſa lætitia efferebatur; vix quidem ſui compos, ad ſolatium afflictorum frequenter illud inculcans, *Nomine-tenus pauperes ſunt; qui quod cupiunt, capiunt.*

Idem in paruo opulentiſſimus; quò plùs diteſcebat, plùs ægreſcebat. Miſerat aliquando Chryſoſtoma Caraſa Atripaldenſium Duciſſa, in Noſtrorum vſum, lineas aliquot ſubuculas; vtque tantam largitricem decebat, delicatiusculas. Hæc induſia, in fluctuantium cogitationum ſalo illum demerſere: Collatis quippe cum Paulo Aretio votis, quid de ijs facerent, prorſus incerti, neſciebant: an vterentur in corporis amictum; an libera largitione exteris ea donarent; ſed alterum, pauperiei erat aduerſum; alterum, largienti ingratum. Decernunt itaque ſeruare donaria arcæ occluſa, paupertatis tentamenta, monumenta pietatis Duciſſæ. Cui poſtea benè precati, & inſigniter grati; ſupplices adſtitere, vt à propoſito conſimilia pretioſiora deinceps largiendi, illam omnino diuellerent. Cùm annonæ caritas Neapolim vexaret; de quotidiano eoque fatis tenui cuiuſque demenſo, quotidie ſeponendum aliquod iuſſit; non quidem eorumdemmet ſubſidio, mox alimonia defectura; ſed ſubleuandis pauperum turmis, quibus tunc opus erat adiutrice manu ac tempeſtiua benignitate.

Horum quippe ipſe maxima commiſeratione mouebatur; & cùm temporale illis ſubſidium conferre non valeret, ſpirituale precationum non negabat, & pro quoquam obuio, ſemel ſaltem Dominicam orationem, & Angelicam ſalutationem recitabat. Sed ipſorum etiam inuidia confi-

cieba-

ciebatur. Cùm in centunculatum aliquando pauperem incidiſſet, ex intimo cordis affectu prorupit ad ſocium. *Hem pauperem verum! ò me infelicem, qui huius intuitu diuitem me fateri, & cogor, & erubeſco!* Obuius aliâs, pauperculo nudè intra paleas ſub frigidiſſimo cęlo rigenti; cohibere lacrimas non potuit, inuidentia paupertatis illius, & odio ſui, qui veſtibus ad commoditatem calefieret: nec priùs quieti indulſit; quàm collata ſtipe, illius inopiæ ſubueniſſet. Denique paupertatem ſic viſus eſt colere, vt eam velut amaſiam ſuã diligere crederetur: non ſemel eam virtutum ſemitam appellans; earumque ſeruatricem, & altricem; & primam Chriſti ſponſam: ac voluntariam, cęli dominam nuncupans. Præ impetu etiam auditus exclamaſſe. *O munera nondum intellecta Dei! ò minus cognitam paupertatem! heu! quàm paucis places, tàm multis licet honorum decoris à Dei filio cumulata!*

Ex huius porrò amoris ardore, ingens fuit illud facinus, quod extremo vitæ ſuæ tempore fuit auſus, nec alio ſtimulo, quàm ne opportunitatem relinqueret ſolemniùs paupertati litandi. Cingebatur etenim ad inteſtina comprimenda, quæ illi diffluebant, ferreo cingulo; quod deuigeſcentibus ob ſenium carnibus, factum erat latius; erat tamen ſtrictionis patiens, ſed cum aliqua paupertatis iactura, & pauculorum obolorum impendio: at iſtam ingenioſa ipſe carnificina anteuenit, Ligneos namque aliquot cuneos, feliciter nactus, cingulo & lumbis internexuit, & cum incredibili deinceps ſui cruciatu perpetuò geſtitauit. Silentium dolentis, & paupertatis affectus, gratiſſima fuere Deo: qui quãti fecerit iſtud cuneorum inuentum; celebri teſtamine declarauit; dum poſt eius obitum, ad eorumdem contactum, plurima ſanitatum dona contuliſſe laudatur; vt ſuo loco nobis eſt narrandum.

CASTI-

CASTIMONIA.

CAPVT IX.

INter tantarum culmina virtutum; ſuum ſibi quoque ac non infimum vendicauit locum, Caſtitas. Vt nempè cõſpicuè conſurgentia animæ decora, celſiùs ipſa extolleret. Eius ignicula puero adhuc iniecerat Deus; ſępiùsque ea laceſſita, ſemperque victrix; ipſi cęleſtis vitę in terris degendę ab omni corporis contagione ſeiunctæ, fuit pręmonſtratrix, falsò cęteras virtutes Deo ſe oblaturum exiſtimanti; niſi huic egregiè litarer. Decorum domicilium integerrimo illi ac præſtantiſſimo animo, cęleſtis faber ędificauerat: ſed idem Deus, qui formam dederat ſpecioſiſſimam; normam indederat collata dona fortiter propugnantem. Oris quippè illa venuſtas, omnium facilè illectrix fęminarum; oculorum ſpecies ignitorum ſpiculorum iaculatrix, multorum corda penetranter inuadebant: ſed horum iacturam ſe libenter facturum, petulanti cuidam mulieri dicendum iuſſit; tantùm ne in Deum, vel exigua corrogaretur iniuria.

Intendebatur ętas, & volaticę voluptatis odium acriùs inualeſcebat. Nullus illi in ſæculo tutus à Dæmonis inſidijs locus. A domeſtico etiam lare, ignes exiliere ipſi decinerãdo: propria nempè altrice; per verba factaque improba, deteſtabilis cupiditatis flammas euomente. Quocumque etiam habitandi cauſa pedem intuliſſet, ibi Sathanæ ſe circumuentum videbat inſidijs: ijs & deprehendendus quoq; niſi interna quadã vi, ſuæ dignitatis ipſum admonente, auocatus fuiſſet à quauis turpitudine flagitij: vt idcirco opus fuerit aliquo temporis ſpatio incertarum ſedium vagatu, multarum erga ſe faces extinguere. Cùm verò, cęnobio illi mulierum inuigilaret, ac Propræſulis Neapolitani iuſſu, intra ipſa cęnobij ſepta degeret; quanta in illum illicitę cupiditatis flabella per aliquas diaboli emiſſarias excitata fuêre? At

ipſe

ipſe acer & vindex cuſtos pudicitiæ, nullam carnis tyranni-dem ſenſit, nullum innocentiæ nęuum induxit; Meritò non homo ab illis,ſed lapſus è beata Hieruſalem Angelus appellatus; inter cęnum & ignes,nulla fędiore labe infectus, nullo ardentiore calore ſufflatus. Conſtans eſt fama,ipſum in ſęculo illibatum conſeruaſſe Virginitatis decus, floremq; corporis integrè aduerſus luxum fuiſſe tutatum.

Nuncupauit porrò hunc ſolemniùs Deo, cùm illi ſe in Religione mancipauit. Et nouum tunc addidit robur ea cogitatio; domicilium,ſcilicet, vſurpaturi vocabula ſanctiſſima, diſpenſaturi ea quæ Deus voluit perpetua eſſe ſuæ in homines bonitatis pignora; debere eſſe contubernium caſtitatis. Exinde pro ſuo more, aduerſarius, robuſtiore inſultu hunc hoſtem ſuum laceſſiuit; & mulierem ſubmiſit aliquãdo,muliebribus artibus labefactando homini pollentem: Aduertit ipſe hanc impuris ignibus conflagrantem; & anteuerſurus malum,præprouida cura à ſe & ipſo etiam Noſtrorum Templo,meritò pepulit. Quale diaboli inſtrumentum pepuliſſet, alterius docuit caſus, quem breui illicijs ſuis delinitum ac blandimentis irretitum,fratris ſui gladio dedit hoſtiam.

Sed mirari deſinet,quiſquis Andream contemplatur nullo fauciatum impudico obtutu,nulloque expugnatum amore veſano; intactam ſeruantem corporis puritatem; ſi illum intueatur, attentiore cura peruigilem contra natales peccati;& contra prima voluptatis germina ſudãtem; vultus alieni proſtibula deuitantem; viſitationibus mulierum, extra grauioris ægritudinis aut anguſtiarum cauſas, abſtinentem; durantem corpus laboribus,inſomnia, fame; non mollientẽ vita enerui; vimque animi irritantem oratione, ac cęterarũ aculeis virtutum; &, quod caput eſt,circumducentem caſtitati vallum timoris.

Templo quidem corporis ſui,timorem fecerat ædituum & antiſtitem, qui nihil immundum ac profanum inferri ſineret; ne Deus illud inhabitans, inquinatam ſedem,offenſus

dere-

derelinqueret. Verè itaq; dicendum; illum ſemper ſtetiſſe; ſed ideo quòd ſemper metuiſſet caſum. In extremo etenim ſenio, corpore iam exeſo & marcido; poſtque tot annorum conſepulta libidinis funera, laureatus impudicitiæ Triumphator, vehementi adhuc timore concutiebatur; ne pudicitiæ ratem ad inſidioſa diaboli vada incautus allideret: Conteſtatus etiam potentiſſimum ſibi contra lapſum fuiſſe remedium; ſcire ſe poſſe labi.

Addebat quoque perpetem otij fugam: Non enim erat ignarus, illud rubiginem eſſe virtutum, totiusque turpitudinis conceptaculum: ac bello infractos, inerti ſæpè otio fuiſſe expugnatos: & interdum remiſſas excubias à callido inſidiatore feliciter irruptas. Quapropter ſuccedaneo laborũ nexu, nulla quiete interpoſita continenter agitabatur. *Tria*, dixit Barbaræ Eſtenſi, *ſummo odio auerſatur Deus, cordis tepiditatem, animi vagationem, corporis deſidiam*. Ipſorum etiam momentorum temporis erat auarè comparcus: hæc afflictim dolebat, nolenti ſibi & inuito abripi, aliquantillum eorum, corpori curando, cui coactam iſtam debebat ſeruitutem, inſumpturo. Æſtuabat proinde cum inuidentia ad Beatorum ſortem corporis expertium, ideoque & in Dei contemplationem expeditiorum. Ad Nobiles quosdam aliquando diuertens, honeſtè colludentes, acriore obiurgatione reprehendit. Illi ſincera reſponſione; non vitio ſe ludere; ſed tantùm ne ceſſatione torperent, aſſeruere. Ingemuit Beatus hoc audito, & exclamauit. *Heu me miſerum! cui vni, cùm cæteris ſuperſint, fugiunt ac præteruolant temporis momenta*. Exciti illi verborum ſenſu, illicò excuſſa ignaua occupatione, ad vtilia conuerſi; languidum ſui animum ac diffluentem roborauere.

OBE-

CAPVT X.

POrtenti loco futurum fuisset; hominem in sui despicacia abiectissimum, Superiori posteà suo refractarium videri, contentiosa deflexione imperantem in eo Deum minimè reuerentem. Stabat huic Beato sententia, Vnam propriam voluntatem Deo bellum infligere, & superbè contra illum obuertere cornua. Item, hanc eandem in sui sequaces sæuientem, miserrimo exitio perdituram, quoscunq; sui libertate vtentes. Addebatque; cùm nos à malo in oratione Dominica liberari efflagitamus, contra philautiã tutamẽ implorare, malorum omnium seminium; cui quoties voluntatem inflectimus, toties hanc à Deo deflectimus. His itaque considerationum illicijs consuetudini parendi animum aptauerat. Ab ipso enim tyrocinij sui initio, quando integro ferè biennio curationi incubuit fratris phreneſi laborantis, pretium operæ consecutus alapas & pugna; ad vsque vltimam senectam, in tutissima obsequentis conditione constitutus, plurima & feliciter prompsit obedientiæ exempla: & hac virtute virtutes omnes inseruit, insertasque custodiuit. Nam sanciuerat solemniter; semper se voluntati propriæ refragaturum. Cùm aliquando excussum videri potuisset parendi iugum; nempè cùm Superioris partes ei fuere demandatæ; molestiarum ipse tunc anxietate iactatus, seque salutis suæ prodigum arbitratus, vltronea subiectione, alterius, hoc est Solarij, se obedientiæ sacrauit: & expers imperij, imperium spontè, cui se subderet, quæsiuit. Vt cæteros quoque ad obtemperandi facilitatem suauiter alliceret; explodendę in obediendo cunctationi, hoc salutare monitum vsurpabat. *Bonitatem Dei, quamquam sæpiùs se in actionum nostrarum primordijs occulat; explicare se posteà in earum fine: & quod initio sui à Dei voluntate videbatur*

auersum, nostræque saluti aduersum; ipso exitu cognosci, illi fuisse gratissimum, huic vtilissimum. Idcirco, non esse anteuertenda, præprouida industria, diuinæ prouidentiæ decreta. Quinimò, si extra omnem nostri sollicitudinem reddi cupimus, & internæ tranquillitati vacare, in vnam Dei voluntatem nobis esse excubandum. Familiaris erat illi hæc oratio, qua omnem à se abdicabat voluntatem, inque Deum, eiusque interpretes Superiores, eam transferebat: *Tuus sum ego Domine, ac tuus esse volo semper.* Experimento quoq; edoctus; ipsius efficacitate sępiùs sui iussu repetitę, obduratum nescio cuius pectus, in extrema vitę linea pœnitentiam auersantis, fuisse mollitum.

ORATIONIS STVDIVM, ET EFFICACIA.

CAPVT XI.

INter Andreæ gnomas, illa celebratur, Sanctorum quoq; vallata testimonijs: *Ementito vocabulo appellari quempiã Religiosum, qui sit orationis negligens*: futurum enim, vt nunquã is in spiritus feruorem adolescat; sed eius robore infeliciter destitutus, euigoratus contabescat. Idcirco, sub ipso conuersionis suę initio, quando Marinonij ductu cępit à caducis mundi curis auelli; ad sextã vsq; horã, quotidianũ orationis demensũ protendebat, cęlestiũ iã, inter deliciarum ea pręgustata pabula, famescens. Quãtis verò incrementis sese extulerit, Deo per sacra vota mancipatus; nemo veriùs explicauit, quã noster Paulus Tolosa, primũ Bouinensis Episcopus, posteà Archiepiscopus Theatinus, diuini verbi pręco celeberrimus. Is enim, ipsũ verissimo testimonio, *perpetuũ* appellauit *orationis miraculũ*: perẽni enim orationis studio, captabat vbiq; orãdi ansas, venabatur vndiq; precãdi materiẽ; nihilq; illi pręterlabebatur, vnde ex se posset in Deũ reuerti. Nequid verò obesset perpetuũ oraturo, fauẽre Numine, ius in sui cogitationes

gitationes obtinuerat,ne quòquā raperēt inuitū, aut nolētē auocarent. In diuinę etenim bonitatis occanū iā immerſus; aliò per mentis euagationem emergendi,penè impos erat.

Quæcunq; ex Religionis pręſcripto ſtata ſunt orandi ſpatia,bis in dies ſingulos;nunquā illi toto vitę ſuę tēpore,ne itinerū quidē moleſtijs, aut languorū ęgritudinibus exagitato,inania prętерfluxere.Sed incitabula hęc tantū erant,& irritamēta inſatiabilis ipſius cū Deo loquēdi cupiditatis.Pręuē tu itaq;Matutinorū per binas ternasuè horas,è delicatulo illo ſuo ſtrato ſuper nudā humū proſtratus, occupabat prior cāpum, vbi hoſtē manu valida proſterneret. Impetus prętereà orandi,quieto illo noctis conticinio acuebatur; ſperabat enim, & chariorē ſe Deo futurū, qui largiendi dona ſua percupiens,ſcire tūc poſſet exceptorē adueniſſe;& mendicimoniā ſuam largiore benignitate ſubleuādam. Quod enim mēdicis vſu venit, primo occurſu promptiorem domo prodeūtium experientibus manum;id ſibi fidenter ſperādum à Deo antelucanis illis precibus, inter cętерorum ſoporē ſollicitiùs interpellato; ac proinde, nihil tunc negaturo petenti. Quod ſupererat tēporis,inter nocturnam hanc orationē, & matutinas preces,literarum ſcriptioni dicabat:opus enim erat,vt in oratione igneſcerent ſpicula illa, nunquā irrito ictu ab eo vibrata.Apparabat ſe quoq; ad ſacram litationē, integra quotidie hora:ac tantundem poſteà ſpatij inſumebat,ſacris operatus; ingentis beneficij, & diuinorum quæ expertus fuerat ſolatiorum memoriam,accurata meditatione refricans.

Ex his armamentarijs prodibat ad terrorem armatus, ad ſpiritualia negotia obeunda, cōtra intercurſantia, dolisq;inimici ſępiùs interſita pericula inſtructiſſimus. Negotijs tamen haudquaquā abrūpebatur,aut diſiūgebatur perpetua ipſius cū Deo iunctio. Ipſa certè eius colloquia,conceptos in oratione fętus edebant; exundante nimirū, quę ibi abūdantiore repoſitione cōgeſta erat,dulcedine:cū tanto audiētiū fructu, ac dicētis venerationе,vt obſeruatū fuerit,ipſo pręſente,ve-

huti ſtatera, cunctos verba ſua appendiſſe; ne quid infructuoſum, aut inutile excideret incautis: nam ſi quid eiuſmodi caſu fuiſſet intermixtum; ſtatim ipſe exclamabat. *Hem otioſa verba! hem otioſa verba!* baculo ad loquentium formidinẽ terram percutiens: & in lacrimas etiam quandoq; effuſus, mœſtiſſimo abſceſſu, interni doloris pandebat indicia.

Itans prætereà per domum, aut Ciuitatis plateas, ſemper aliquid piũ muſſitabat; ac velut iaculis quibuſdam cęlum petebat. Ne verò, aut occurſantium ſalutationibus auocaretur; aut per inaduertentiã, inurbanus audiret; ſuetũ illi fuit, aperto capite inambulare, ſiue algẽti, ſiue ęſtuãti. Noctes etiã totas aliquãdo inſomnis traducebat; peruigilijs nempè ſolẽnitatũ; & cùm ad ſæculariũ domos diuerteret. Parabãt illi tanto hoſpiti ornatiſſimos lectulos, nequaquã in ijs ſomnũ capturo: etenim, ne conſuetum ſtrati ſui rigorem quantauis occaſione leniret; interno ctu, cũ ſopori ſe cæteri tradidiſſent; clã ipſe lecto exiliens, cũ maximo ſui gaudio, nacta ſeceſſus orãdi cõmoditate fruebatur; donec cadenti naturę, poſt lõgam inſomniam, in vicina ſede raptim decerpto ſomno, ſuccurrendũ eſſet. Domũ prętereà reuerſus; quamquã moleſto itinere feſſus; non priùs ſe quieti tradidiſſet; quàm Templũ petijſſet ſupplex ibi Auguſtiſſimũ Euchariſtię Sacramentum veneraturus, & prolixiori meditatione Dei beneficia cõtẽplaturus.

Ne ipsũ quidem refectionis tẽpus, hoc ſtudio vacabat. Tenui cibo corpus eius reficiebatur; robuſtiſſimo animus. In illo etenim ſexdecim annorũ ſpatio, cũ ob ſui auſteritatẽ ieiunij, ſecretus ab alijs reficeretur; ſępiſſimè, obtutu in cęlũ defixo, ſupereffluentẽ cęleſtẽ ſuauitatem indicabat; madẽtibus apprimè genis ob iugem lacrimarum imbrem. Nihil item ſeriò fuiſſet aggreſſus, ſuperno Numine per orationẽ inconſultо, & inflexo: adeo, vt ſubitario aliquando tabellarii diſceſſu morę impatiẽtis exſtimulatus, literas ad Aretium ſuũ in aula Philippi Catholici pro Neapolitano Regno agentẽ, negauerit dare; quòd improuiſis occupationibus diſtẽto, nõ ſibi

vacaſſet

vacaſſet orationi priùs incũbere. Vt nihil idcirco admirandum fuerit, eum tot ingentia auſum; inſuperanda ſuperaſſe; tricis implexa enodaſſe; diſſitorum animos conciliaſſe; languentibus fugitantem ſalutem adduxiſſe; nec vnquam domum re infecta reuerſum: conuertebatur enim ad iſta, vegetus, ac fortiſſimus, poſt ſuauem orationis quietem. Verè iraque dici potuit, *perpetuum orationis miraculum*.

Complectebatur autẽ vniuerſos charitatis ſuæ brachijs; neminemque linquebat, cuius non apud Deum cauſam patrocinaretur: Signãter autem, pro ſingulis Eccleſiæ ordinũ gradibus quotidie preces fundebat. Et aliquando opem eius imploranti Toloſæ Archiepiſcopo, reſpondit; trina interpellatione quotidie ſe pro ipſo Deum rogare; ſemel pro Epiſcopo, & animarum paſtore: iterum pro eximio verbi Dei præcone: tertiùm pro Religionis ſuæ fratre. Etſi enim ſtaret illi ſententia, commiſerandum eſſe maximè ijs, qui è religioſæ ſolitudinis dulcedine, ad ſæculi turbas rurſus euocantur: ac item, ſi quis fortè, conatibus ſuis viam ſibi ad ea titulotenus ſpecioſa munia ſterneret; huius tanquam veſani, in vincula, pedes conijciendos; attamen Toloſam etiamnum Epiſcopum vnicè dilexit: quòd noſſet illum dum conferendi muneris torqueretur metu; ſollicitè & anxiè in reſpuendo laboraſſe; & dignitatem nolenti ingeſtam, & vi exſtimulato, ac tantùm non Clementis Papæ VIII. expreſſo præcepto adacto. Decreuerat enim Pontifex Legatum illum Apoſtolicæ Sedis apud Sabaudiæ Ducem, vti fecit, cõſtituere. Intuebatur etiam illum impigrè pro animarum ſibi creditarum ſalute ſudantem. Mortui etiam Andreæ ac inter cœlites translati, nequaquam in clientem ſuum imminutus fuit affectus: earumdem enim manuum viſum, quas hic illi viuo ſolitus fuerat ſumma oſculari veneratione; conceſſit mortuus: & negauit, ad ſui emendationem, aliqua imperfectione obſito.

Complectebatur quoque peculiari memoria benefactores

res quoſcumque : impium enim dicebat eſſe religioſæ familiæ, quæ præſidium omne temporalium, beneficientium ſubſidio debet; accepta beneficia, obliuioſa integere ingratitudine: Quamquam quis gratuitò in illum beneficia cumulare potuiſſet? certabat vt paria faceret, magnus etiam minimorum cenſor : nihilque intentatum relinquebat, vt quã habere ſatagebat, poſſet referre gratiam : referebat autem vberem & fœneratam, precibus ſcilicet apud Deum, eorum beneficia cõequans. Ne qui benefactores oraturum effugerent; neu in beneficentiæ arena ſuccumberet; eorum catalogum apud ſe conſcriptum habebat; vel aduerſum aſſiduo intuitu conſpectum; vel intra pectus, aut ſacrarum precum librum, occluſum. Eorum quoque nomina, qui externarum domorum anguſtias, ac præcipuè nouarum, erogationibus ſuis adiuuarent, ab illorum Superioribus expectabat, frequentique acceptorum narratione, quaſi validiſſimo prouocamento, cęterorum in illos excitabat affectum, in preces ſeſe; grati nempè animi teſtamen, explicaturum.

Aequa ipſius in frequentia vocalis orationis, conſtantia : Nam (vt cętera ſileam, quæ quotidiana recitatione pendebat) quadraginta quinque annorum ſpatio, ſemel tantùm, extra infirmitatis cauſam, à nocturno Matutinorum ſacrificio abfuit : perque binas ferè annorum decades, vt in omnium eſſet pſallentium cordibus ac vocibus, cęteros ipſe à ſomni quiete excitauit. Tãtus autem erat pſallendi ardor; vt, ne acerbiſſimę quidem febris æſtus, maiori ſancti Spiritus igne æſtuantem, lectulo potuiſſent, abſque Superioris præcepto alligare, & pſallendi dulcedine priuare. Non ſemel, concinenti effluxere inteſtina; ſtridore dentium, vehementiſſimi doloris manifeſtario : attamen ineſcatus ille cęleſti ſuauitate omnem permulcente cruciatum; vegetoq; inter angores animo, differebat afflictato corpuſculo medelam; non priùs, quàm peractis ſacris, in cubiculum ſeceſſurus ad quietem. Porrò exteriori quoque cultu, pietatis ſenſum

ſum ac locatum quem in Deo habebat animum exprimebat. Nam ſi diurnis occupationibus detentus,ſeorſim à cęteris,extra Odęum,reliquas Canonicas horas fuiſſet recitaturus;non alio corporis habitu orabat , quàm in genua demiſſi,aut ſaltem ſtantis,aperto tamen ſemper capite.

Romæ protuberans genu ferro obtulit; infractus ad ſectionis dolorem; lætus ad effectum : quippe qui ſperaret , poſſe deinceps ſe,ſupplicem in genua cadere, cùm allocutũ accederęt ſupernam Maieſtatem. Erat autem illi ſumma religio,præfixa orandi ſpatia , ne minimo quidem interuallo præterire : ad ſummi enim boni aſſecutionem perpetuò excubanti,ipſa quoque minutiſſima temporis momenta , nequaquam per incuriam excidebant,aut ſegnitiem præterlabebantur. Iucundum certè erat, ipſum intueri , inter ſeria occupatum ; ſacro tamen ære ad præſtitutam horã conuocãte,perculſum;flagrãti ſtudio ſubducentem ſe ſermonibus, maturaque properantia ad recitandum componentem : inambulantem verò per Ciuitatis calles , illicò ſiſtentem gradum ;& clancularium angulum petentem, vbi precibus inſiſteret.

Quàm verò eſſet in orando attentiſſimus ; illud de quo ſuprà diximus,in ſui cogitationes imperium,declarabat, per quod mentem,ne quà efflueret,pro ſuo arbitratu cöercebat & continebat : adeo vt,ex quocumque negotio ad orationẽ traductus,nullum rei geſtæ veſtigium intueretur animo infe-dens. Inſigne eiuſce attentionis exemplum prompſit,Aerolam petiturus,vt Oppidi Duci , ſalutare pœnitentiæ Sacramentum impertiret. Inſcẽſo enim curru progreſſus aliquantulùm extra Neapolitanæ Ciuitatis portam. *Anteuertamus* , inquit ad ſocium,*orandi impedimenta* , *tuque id curato* , *vt quiete tua oraturum iuues* : ſtatimque ſe ad precantis effigiẽ compoſuit:Sub quo habitu,cùm per ternas fere horas perſeueraſſet immotus;velut è dulci poſtea ſomno experrectus; *Quot*, inquit,*confecta ſunt nobis milliaria ? quantumque reſ-*

tat

tat viæ? Parùm,ait ſocius,*& Oppidum quo tendimus, habemus iam conterminum*.Interfatus ipſe reſpondentem;dubię, vt iudicabat,fidei; *Et quonam*, ſubdit, *modo, tantum itineris nobis eſt emeſnum,qui Argentio interuio adhuc pedem non immiſimus?* (erat id oppidum quintodecimo lapide,Neapoli,vnde digreſſi erant,diſſitum) *Imò*,ait ille, *& vidimus;& non breui mora pertranſiuimus: quod ſi ſuſpectæ videor fidei, en rhedarium; hunc interroga,& verè audies,altero tantùm milliari,Aerola nos elonges*. Nimirùm, orationi ipſius cùm ſolitudo debita fuiſſet;exerrauerat ipſe à ſenſibus, peregrinatuſque inter cęleſtia,interſitum oculis Oppidum, longiore pertranſitu calcauerat,nec aduerterat: quod celſiſſimum orationis faſtigium exiſtimatur.

Huiuſmodi ergo ſæpiſſimè expertus ſolatia, ingenteſque fructus libans ex oratione proſilientes; vigili quoque cura incitabat cęteros; vt quo poſſent maiore ſtudio,illi incumberent,mercaturi ipſius ope cęleſtem quandam ſapientiam, qua res omnes,momentis ſuis haud mentita æſtimatione poſſent metiri,& nouam guſtus ſuauitatem,cui omnia interna deſiperent,& vnum illud interminum arrideret bonum: Multos idcirco,ne cui deeſſe videretur,edidit piarum meditationum libellos,quibus orandi praxim reddidit facilioré. Addebat etiam, multum cuique prodeſſe,vt ſe quiſque ſuiſmet precibus iuuet.Et qui alienam tantùm opem,quamquã demiſſus implorat;hunc ignauiſſimum fucum appellabat, alienorum laborum mellificia abſumentem. Alienaſque dicebat,tunc demum cuique profuturas preces, cùm ſibi quiſque inertia ſua nõ obſit,ſed opere precantem adiuuet. Hoc itaque glutine firmaque compagine; ita cum Deo vinculis arctiſſimis coaluit;vt,è Dei poſtea fuerit benignitate, & magnificentia, illum nequaquam ſe ad fugacium & perieturorum amorem vili deiectu demittentem; non ſolùm ſupercęleſti,vt diximus,lætitia,& voluptate demulcere; ſed ad ipſius quoq; orantis nutum ſeu renutum,ſubmittere faſces

imperij

imperij ſui in ſublunaria quęcumque. Et illum quidem, ventos quantęcumque iuſſionis exortes, velut fręno, aliquoties cõercuiſſe; & quòcumq; ſibi libitum, orationis potentia circumduxiſſe; obſeruauimus aliâs.

Hic tantùm narrandum; cęli quoque faciem mutaſſe. Cũ enim; hanc ſemper incudem tunderet; vt è vitiorum cęno cunctos poſſet eripere; eo maximè tempore vrebatur, quando, ſuperinducta hominum abuſione, effręni libertate in vitia quiſque profunditur. Id verò Neapoli ſolemne eſt, ipſo Magni Antonij Abbatis feſto; cùm plurimus populus ob Dionyſiorum initia bacchatur; vicinæque quadrageſimalis pœnitentiæ cogitatu, in licentiam velut cogitur, ac in pernicioſiſſimos propellitur caſus. Dabat Andreas tam altæ, & miſerandæ pietatis memoria, vberes lacrimas; ac deturbandis ſubducendiſque caſu hominibus, hoc præcipuè tempore ſudabat eius induſtria. Deſperati prorſus morbi remedium in vna cadente pluuia collocari poterat; quæ domui ſuæ quemque alligatura, ereptura quoque eſſet animas periculo. Itaque ſocium ſummo mane in ſui cellam aduentantem interrogat anxiè, quænam ſit cęli facies? Ille, ſudum, ait, rutileſcere. *Ah! quanta*, ſubinfert, *mali dæmonis exultantia! exarſuri hodie in omnium perniciem, perque eam ſerenitatem ad ſcelera cunctos ſollicitaturi. Aſt ego fatigabo precibus Numen, & cunctantes nubes vrgebo, & prouocabo ad pluuiam.* Dictum, factum: nam ſtatim demiſſis aquarum imbribus, factum fuit cęlum perennitèr pluuium: quare triſtem diem nulli licuit luſitando tranſigere, callidi hoſtis vafricie ſic deluſa. Idem ab ipſo factum, ſacro die Luciæ Virginis & Martyris, quem temerandum dolebat, compitalibus deambulationibus, nimioq; mulierum accurſu in Diuę Templo, quod in littore erat maris. Hæc ipſum cura momordit ad Eccleſiã, vt ſacris operaretur, pergentem: deductis enim imo ex corde ſuſpirijs, oculiſq; madentibus. *Viden?* inquit ad ſocium, *vt ſerenus illuxerit hic dies? Cerno*, ait ille, *& grates benefico*

Deo reddendas decerno: Heu? ſubdidit Andreas,*ipſum mihi pectus lancinat,hæc ipſa beneficiorum Dei abuſio. Quot hodie infrequentiſſimo virorum ac mulierũ occurſu,oculos ſuos emittent,admittent alienos? ac virulento iaculo ſauciati, miſerrimè cadent?* ſic ſtetit aliquantulùm,manu mentum excipiente,in baculum reclinis: Tum, *Laceſſam*,ait,*oratione mea beneficum datorem,vt ſua ſibi repetat dona*.Dum incruentam hoſtiam litaret; obuolui nubibus cęlum, & guttatim cępit ſtillare:tùm copioſiore ac perpetuo imbrium deſcenſu,ſecuram deambulandi poteſtatem negare.Sacris operatus, non ceſſabat maxima circumfuſus lętitia illud iterare,*Quanti faciendum rogantis imperium*!

Idem autem Deus,qui ad eius nutum aquas effudit; eaſdem ab ipſo orante prohibuit.Caſu,dùm Aerolam peteret, confracta currus rota;animo ipſe pendulo, ne rhedarius intolerantia caſus in maledicta prolaberetur; è curru deſcendit,conciliaturus illi per horarias preces,patientiæ bonum. Dum tantiſper vacaretur ligneę axi, rotę interfigendę, & ſolueret ipſe ſacrarum horarum penſum; leui primùm pluuia tellus irrorauit;tùm ſubito eius incremento auctuq; penè inundauit: Ipſe verò obfirmatus animo, nulla cęli facie ſe ab orando ceſſaturum,ſtetit immotus & infractus contra cadentes imbres,inturbatuſque ſacram adhuc proſequebatur hymnodiam. Id fuiſſe Deo periucundum,manifeſtiſsimo euentu compertũ fuit.Sacrę enim pagellæ ad quarum præſcriptũ recitabat,quãquam aperto cęlo patẽtes,eius tñ iniurias non ſenſẽre, & pluuię ne guttulam quidem excepẽre.

Sed ſuauioribus illũ epulis ſcimus in oratione paſtum, & in amoris cellas introductum,potentiori vino inebriatum. Conſtat enim Angelorum pręſentia,dum preces funderet, ſępiùs conſolatum.Quamquam enim ambiens intra ſecreti ſui tenebras obtegi;latebras ſemper quęreret,ac iterato ſermone illud vſurparet,*Secretum meum mihi*;excidebãt tamen interdum nolenti,ſed non abſque interno Numinis impulſu,

ſu,compluſcula,intimam eius cum cęleſtibus familiaritatem propalantia . Ad ſorores quippe ſcribens Pœnitentiæ , Placentinæ Ciuitatis,quas ex orci faucibus ereptas,Chriſto ipſe copularat;vt eas in orationis ſtudium incenderet; expertum ſe eiuſmodi ſolamina fatetur ; ſępiùſque corporeo etiã intuitu inſpexiſſe Angelorum exultantiã; qua lætanter geſtiunt cum deuotè recitantibus,ſeu feruidè orantibus ; ijs libenter intermixti.Eius epiſtolę autographum,velut ingẽtis theſauri pretioſitatem,aſſeruat Petrus Maria Cãpus Placentinæ Eccleſię Canonicus,eiuſdemque Sacrorum Monumẽtorum veſtigator & concinnator.

Prætereo aliâs nobis narrata; hoc eſt,de gemino Eccleſię ſidere Auguſtino,& Thoma,de ſui ſalute irrequieto & mę-renti,benignè affulgente;ac iacentẽ erigente,roborante pauitantem.Ac item,de ſuperûm Domino,obiectu humanitatis ſuę illum abundè recreante. Nihil enim planè mirandũ , effætę iã virtutis,ſupremiq; faſtigij virũ,his delicijs abundaſſe;quem in ipſa penè ſpiritus infantia, ſceleſtorum etiâ teſtimonio,ijs nouimus repletum. Paſtorem namque agẽs exerrantium ouium;cùm,auſu magnanimo,lupo reſtitiſſet,ad laniatum ipſarum circumeunti ; ad necem aliquando huius odio quęſitus,à nece mirabiliter fuit ereptus. Oris etenim ſpeciem,in Eccleſia D.Agrippini orantis intuitus,qui immiſſus ad facinus immane fuerat ſicarius ; interna veneratione conterritus fuit , ne ſacrilegum in illum ſtringeret gladium,cuius faciem videbat ſuſpiciendã,& Angelicis vultibus quã ſimillimã : vt potuerit non eſſe à veritate alienum , fulgoribus radiantem tunc apparuiſſe, ad terrorem impię crudelitatis;quibus cęcutientis ſacrilegi acies, fuerit illuſtrata : & omnino,ipſius tunc animã totius boni fontẽ reguſtantẽ, eiq;cõtinentiùs inhęrẽtẽ,deliciis beatę vitę ſaginatã,in mortale quoq; vaſculũ,vbi cõtinebatur, aliquid effudiſſe ; per q̃ à machinatę cędis ſcelere , validiſſimè ſicarius retraheretur.

Cumulauerat etiã Deus,hac,orationes eius prærogatiua;

quòd,ex eius ad orandum propensione, efflagitandorũ natura, luculenta cõiectatione deprehendebatur;salubriũ,ipso ad orandum alacri;morosо,insalubrium.Mulier quædã erat diuitiarum copia & sanguinis nobilitate illustris;sed improbis.Hęc futurorum ignara,impetum desiderij liberotum domitare nequiens,quotidianis precibus caput ipsius obtrudebat,quò fieret mater.Non valebant eiusmodi preces,renitẽtem Andreæ animum adigere; ęgrè sibi persuadentis, illius cupiditati faciendum satis:repetitis tamen precibus lacessita interceſſio,liberos impetrauit: fuere tamen femellę,quæ postea adultę,fętum edidere impurissimum,mentis deprauatæ; pudoris enim oblitę,indelebili famę labe,stẽma suũ commaculauẽre.Aperiebat se etiã ipsius oratio,ad defunctorũ sortem coniectandam;felicem, infelicem;ex sui tranquillitate, intranquillitate.Siquidem; cùm pro ijs hoc precum sacrificio litaret,qui in tartara essent deturbati; sentiebat se velut robusto obnitentis conatu propelli : at pro translatis ad Beatorum sedes,excipi blandè,benignè,suauiter.

Verùm,tot delicijs exundantem,in hoc ipso precandi studio dereliquit aliquando diuinus fauor; spiritusque receſſu arentem, in mœstissimas coniecit amaritudinis angustias. Augebatq;inquietę mẽtis ęstum,commemorata temporum exactorum felicitas:sed acriùs percellebat, subductæ dulcedinis occasio. Quamquam enim plurimæ ipsius,non vana coniectatione subirent causæ;ac eæ præsertim, quæ spiritualis vitę moderatoribus passim sunt coaceruatę, & in liberam Dei donantis voluntatem reijciuntur,seu in lydium spiritus lapidem; maluit tamen se reum agnoscere meritumq; talia perpeti: & vestigatrice seueritate rimatus intimiora sui penetralia remotioresque receſſus; præ sui demissione arbitratus est ob nescio quã leuẽ animi sui elatiunculã,ea se dulcedine priuatũ.Contingere ista quinquagenario: interea tamen tenaciter decernenti; primùm; nihil se fore in amãdo Deo segniorem,subirato;quàm fuisset in propitio. Itẽ,virtutis

tutis tantùm illectu ſuaſum, calcaturũ ſe ipſius præambula veſtigia; nulla ardoris; nulla algoris diſcretione. Et, cùm, imperfectionum ſuarum colluuione, negatam videret ſpiritus vbertatem; in ipſas pia ſęuitia extemplò fore animaduerſurum. Nullum autem occurrere promptius, ac ſęuius incrudeſcendi genus; quàm, ſi lapſum ſuum cunctis edice-ret, non attenuatum, aut coloribus concinnatum; ſed ſeueriore nota ceu auerſandum ſcelus propalatum. Extat ipſius de huiuſcemodi re confeſſio. *Expertus aliàs ſpiritualia dona, quibus tunc inundabar; & verbo & ſcripto de ijs agebam. Fatebor nunc miſeriam meam: peccatis meis, elatæque meæ præſumptioni debeo, quòd in ſyrtes ſim abactus; dona Dei per humilitatem minimè cautus cuſtodire: loquuturus nunc ego de ijs, eſſem porrò pſytaco quàm ſimillimus; verborum quidem recto pronunciatori; at ſenſuum, probè ignaro.* Fidentiam inter hæc, & diffidentiam mutuo nexu copulabat: hanc à ſe eliciebat; illam à Deo per aliorum interceſſiones propitiato expectabat; vnde & ſubdebat. *Haud quidem animum deſpondeo; quippè qui meminerim Sanctam Virginem Claram, ob exiguam complacentiam quindenis annis in ſpiritu areſcentem. Suppetiatum vos rogo accurratis, irato Deo, mihi conciliando; ne præſumptionem meam velit aſpicere; ſed vt largiatur priùs humilitatis donum, bonorum omnium artificioſæ ſeruatricis, abſque cuius interuentu præcipitanter ſit caſura quæcunque gratia; tum ſpiritum reſtituat principalem, & interiorem lætitiam: vt ex diuinæ ſuauitatis dulcedine, qua pingueſcunt animæ, lingua & manu cunctis ad ipſius gloriam valeam prodeſſe.* Hæc ab illo dicta fuêre, deliberante tandiù ſibi ſilendum; quandiù, redeunte conſolationum abundantia, poſſet abſque fuco mendacij; verbo, ſeu ſcripto promere, quæcunque per veros animi motus priùs internè ſentiret.

PRO-

PROPHETIAE DONVM.

CAPVT XII.

MAxima inter Deum & Andream in oratione coiuerat neceſſitudo: & familiare illi erat,in orationis exceſſu,ex Dei reuelatione,cui cuncta ſunt præſentia, multa præcognoſcere . Diximus aliâs, ipſum Mediolani degentem, penitiſſimè introſpecto S. Carolo , palam edixiſſe eum in Sanctorum album Sacroſancto Canoniſmo eſſe conſcribendum. Ac Neapolitanam luſtrantem Prouinciam, ſemel Neapoli; iterum Licij,diſparem tyronum quorundam noſtrorum profectum,reclamante præſentium ſtatu,contraq; receptam omnium ſententiam; certiſſimo tamen euentu prædixiſſe. Nunc alia narrabimus.

In Eccleſia aliquando contemplationi intendens , hominem intuitus binis filijs comitatum, vltrò illum adijt : ſciſcitatusque cuinam exercitio vacaret ipſe,cui filij ; vt inaudijt, pari omnes arte vitam tranſigere,& ſibi victum parare. *Age*, inquit,*abiecta veteri occupatione, literariæ deinceps fac filios tuos vacare : ipſorum enim alter,ſedulo famulatu Chriſto ſe in Religioſorum quodam cœtu adiunget ; alter verò , quamquam regularis vitæ legibus minimè implexus*, *Sacerdotio tamen ipſe quoque erit inſignitus* . Nondum nata erat, quando hæc prædicebat Beatus, Clericorum Miniſtrantium infirmis Religio;quam tanto decedentium fructu,Sanctus ille ſenex, ac Deo plenus,Camillus Lellius inſtituit. Ea cum poſteà adoleuiſſet ;ibi ſe is, quem diximus, adoleſcens,per ſacra vota mancipauit. At frater deridiculo habere cæpit prædicentis verba; & maritali ſe iugo quamprimùm ſubmiſit. Varijs poſteà fortunæ ludibrijs ad vſque carceris diuturnitatem iactatus; nil minùs,quàm Sacerdotium cogitabat . Verùm detumeſcentibus fortunæ fluctibus , & maritali lege ob comparis mortem exſolutus ; tunc demum Sacerdotij ſtimulis

cępit

cępit agitari: nec antea quieti indulsit, nisi cùm ipso fuit exornatus.

Cùm Placentia Neapolim esset petiturus, recluſorium pœnitentium mulierum inuisit, suì certè sudoris fructum; supremùm illas benedictionibus ac monitis cumulaturus. Aderat ibi Iustina seu Paula Lampugnana, insigne illud humilitatis exemplum: nobilium etenim consanguineorum elu-ctata lamenta; ibi sese, Christi improperium libenter amplexata, lubenter incluserat. Non magis hæ lacrimis parcebant, quàm præceptis Andreas. Verùm hic, seuocatum Ioannem Coruium Cathedralis Placentinæ Præbendarium, qui tunc recluſis erat à confessionibus; accuratè monet; vt in Lampugnanæ morte, officij sui memor, sit porrò diligentissimus: futurum enim, vt in vitæ termino ipsa constituta, insania egregiè; sed Dei misericordia menti restitutam, summa illã animi tranquillitate ex hac vita euocandam. Ante decennium ista dicta, sic prorsus euenêre; nulla interim sodaliũ, ob diuturnam Lampugnanæ insaniam mœrente, sed vnaquaque Andreæ verbis fidente. Quæ tandem sui compos, in ea verba expirauit, quibus orat Ecclesia in votiua Missa Passionis: *Domine Iesu Christe, qui de cælis ad terram de sinu Patris descendisti* &c.

Quibus autem; quotiesque aduentantem salutem prædixerit; id profectò scripto prosequi, longius esset. De Victoria Lagni, Iulia Carafa, Hyppolita de Summa, Beatrice Buc de Aragonia, Hyppolita Capycia Piscicella, Beatrice Tolfia, Isabella Genuensi, Hieronymo nostro Pignatello, innumerisque alijs; iurati testes affirmant. Et, quod magis mirandũ; ipsis quoque medicis animo concidentibus. Sed Andreas, vulgaribus non mouebatur indicijs; & quàcunque rem perplexam aspexisset, periculiuè plenam audisset; eàdem impauidus in spem effundebatur, & in hanc cęteros quoque erigebat. Si quos autem aduertisset trepidos, aut dilabentes; in hosce inuehebatur acerrimè. Vtque sororio nexu, humilita-

tem

tem cum prophetiæ dono copularet, percontantibus anxiè-que ſciſcitantibus ijs quorum intererat; vt ſibi contra omniũ ſententiam futura ea ſanitas eſſet comperta; tecto diuino fa-uore; nequaquam id ſe ſcire cęlitus monitum, reſpondebat, ſed experientia tantùm curatorum infirmorum edoctum. Occulebat etiam quandoque id egregium Dei donum, pro-fundiore diuinæ naturæ contemplatione: huic enim, non præuiſioni, aut reuelationi, acceptum ferebat; ſi, quod ab ip-ſo prædictum erat, eueniſſet. Lucretiæ Arcellæ, filij ſui apud Belgas militantis, ſoſpitem in patriam reditùm certò prædi-xerat; ſed, eo poſteà aduentante, celebrem de ſe futurorum coniectore opinionem amoliturus; *Iam*, ad Matrem, *recolis, ſcripſiſſe me tibi, adfuturam indubiè Dei conſolationem: id por-rò dixi, non quaſi Propheta eſſem aut ſanctus, cui reuelaſſet Deus, quod poſteà factum eſt; ſed quòd Dei naturam perſpe-xiſſem, haudquaquam ei, quem elegit, plus acerbitatum ſeu tri-bulationum immittentis; quàm, quibus par eſſe poſſit ſufferen-dis: ne moleſtiarum, ſeu multitudine, ſeu cruciatu grauatus, à ſpe deficiat ac fiducia amoreque diuino*.

In huiuſcemodi autem infirmorum curationibus; illuſtre præbuit auctoritatis ſpecimen, quam homines Deo pleni ſi-bi vendicant, in Franciſco Indello. Ad illum enim accitus de-ſperatè languentem, inter circumſtantem plorantemq; tur-bam conſanguineorum, vt inaudijt, illum pœnitentiæ iam Sacramento expiatum; cum imperio; *Apage*, inquit, *tot re-media; apage tot pharmaca; ſtude bonitati, & ſanus eris*: pau-lò namque poſt, priſtinæ is fuit reſtitutus ſanitati. Itidem multòque libentius, non vnum aut alterum, detinendæ ab-euntis vitæ ſpe ſubmouit. Franciſcum Buc de Aragonia, Io. Baptiſtam Rauaſcherium, Portiam Adornam, Fabritium Spinellum Ducem Aquarij; ſic ſcimus vt plerosque alios, ad mortem ſeſe apparaſſe. In Ducis porrò languore, medico-rum placita obſtabant Andreæ ſalutem deſperanti. Iſabella quoque Caracciola vxor, tetro vati ſubirata, in contraria

animum

animum rapiebat ; satisq; sibi spei & iucunditatis putabat, quòd medicis fidere posset ; quorum sententia ad incolumitatem redacto, quem tantopere diligebat viro, se extra calamitatem posita lætabatur. Sed ne diuturniora essent gaudia, sequuta mox acerba charissimi viri mors effecit : ipsa idcirco coacta, eum tanquã certissimum vatem celebrare, cui tantisper, vxorio affectu peruersa, fuerat indignanter auersa.

Aliquando etiã ęgrotãte Chrysostoma Carafa Abellinẽsiũ Principe; putabat ternio primariorũ medicorũ, asthmatis esse languorẽ, & sũpto pharmaco, optimè illi esse consultum: nihil propterea artis esse reliquũ; ipsaq; benè valente, ac postridiè è lectulo consurrectura, se quoq; valituros. Adueſperascẽte eodẽ die, quo ista decreuêre medici; ęgrotã (medicorũ sententia non ęgrotam) inuisit Andreas. Huic intranti obuia fuit promiscua turba domesticorum, sanitatem Dominę nunciantium. Ipse cubiculo ęgrescentis approximans; vt circumfusam lectulo nobilium matronarum vidit multitudinem ; in eius angulum secessit ; & ad ægram. *Quàm*, inquit, *fuerim æternæ tuæ salutis studiosissimus, non aliam, quàm te ipsam compello testem, ò Princeps ; & ipsum pro te meis sæpè precibus fatigatum supercæleste Numen. Cur te filia, tui proditor, in extremo isto periculo deseram? Medicorum verbis ne crede ; consanguinearum lætitiæ ne fide: faceſſat hæc vitæ spes floccida & euanida. Breui, crede hoc Patri animę tuæ amantissimo ; breui exuuias carnis exuens, nos & cuncta mundana derelinques. Tu gnara, hic summam esse Christianæ palestræ, animæ tuæ prudens consulito*. Non illa quasi inexpecto nuncio perterrita (erat enim longo vsu ad virtutem exculta) & verbis Sancti senis auscultans, sacramentali voluit confessione purgari: post quam, domestica quędã negotia curauit. Discessurus Andreas, filias allocutus fuit Portiam & Ioannam; illam Montis Mileti; istã Aricię nunc Principem; & mortis mox à matre subeundę admonuit. Non hoc patientes istę audîêre ; inimicę propè factę infausta prędi-

centi, hilarique ac iuuenili animo cęperunt etiam familiariter de eius ineptiis ridere: Sed in contemplationem posteà venerabilis hominis versæ, illum rogarunt, vt parentis potiùs salutem, hanc enim constans medicorum sententia prorsus desperauerat, Deo commendaret. Tuncipse quoque subridens. *Cùm*, inquit, *vestro accitu maturare cogar reditum, deprehendetur vter nostrûm, & quas pœnas sit daturus; incredulitatisne vos; an ego insaniæ. Ne verò infaustum vatem auersemini; parenti vestro nolo metuatis: plusculum illi vitæ spondeo.* Et huius quidem vita longiùs protracta est. Sed Chrysostoma, licet sũpta hilariter cęna, composita esset ad quietem; inopino tamen angore paulò post cruciata, & in mortis sese angustias sensim dilabi persentiscens; statim Andreã accersiri iussit; atque extrema animę solatia & munimẽta parari; quã animã vix exorto crastino, reddidit creatori.

Quando, infando homicidio, Beati nepos sublatus fuit; non fuit suspicatu difficile, quis eius fuisset auctor. Innocentis oppressionem probè multi nouerant. Fama crebro rumore per Ciuitatem vagata, ipsum quoque sontem, seu facti iã pœnitentem, seu vindictæ metuentem, ita perculit; vt Andream adire voluisset, purum ab omni scelere pectus ostensurus, & falsiloquentiam famæ redarguturus. Andreas, ad ipsum, vultu ad seueritatem composito. *Me*, inquit, *in Christianorum & Religiosorum iam censum, Dei benignitate relatum, non aliud decuit facere, quàm quod feci. Peperci, &, quod dedit iussio diuina præceptum, peregi. Tibi, si innoxium sanguinem fudisti, cælestis illa vindicta pauitanda, iniquorum factorum non vltrix tantùm, sed paribus quoque supplicijs pensatrix. Debes illi pœnam, & vix effugies; quin; innoxij sanguinis profusor, tuum quoque doleas effusum.* Videbantur ista in longum tempus prædicta; sed lenta Dei vindicta corripuit gradum. Vix paucorum dierum interlapsu, è domo illum sua egressum, valida nonnulli aggressi manu; scelere ipsius, quo vnius ex ipsis consanguineam violauerat, incitati ad scelus;

iuxta

iuxta Beati prophetiam, crudeliter peremerunt.

Helenæ Aldobrandinæ Duciſſæ Montis Draconis, non minus deſiderij fecerat filius naſciturus, quàm gaudij, natus. Superuenit Andreas, ab eius puerperio, periſtromata & aulęa in parietum ornatum apparantibus, ad lętitię teſtamẽ; & lętitiam omnem triſti vaticinio funeſtauit. Inanem quippè operam reprehendit filio mox morituro impenſam. Nec diù, & vita puellulus, quam vix hauſerat, cum omnium mœrore fuit orbatus.

Addamus & inſignem prędictionem Vincẽtio Tuſio Epiſcopo Vritano factam. Huncipſe olim, Religioni per ſacra vota aggregauerat; & cum primis illis robuſti ſpiritus Patribus, Mediolanũ duxerat, atq; cũ ingenti cordis ſui gaudio videbat nunc, cõmiſſum ſibi gregẽ, verbo & exemplo paſcentem. Huic literas dedit; quę traditę fuerunt Sacerdoti cuidã ex Noſtris Liciũ petenti, quod Neapoli octo dierũ interuallo diſtat: Ibi quoq; aliquantulũ Sacerdos cõmoratus, Vritanã poſteà Ciuitatẽ, ſedatè petijt, trigeſimo milliari inde diſſitã. Inuenit verò Epiſcopũ in ipſo vitæ ac mortis confinio conſtitutũ: ac propterea, ipſiusmet Epiſcopi nepoti, qui ibidem verſabatur, prudenter visũ, nequaquã illi tradendas literas; ſed tantùm, ſcribentis fortè neceſſitati, reſerandas: quod ſeuocatis Archidiacono, ac Theſaurario Cathedralis Eccleſię, eodẽq; qui eas attulerat Sacerdote, factũ fuit. Literarũ initium hoc erat. *Fili recordare, quòd breues ſunt dies tui*. Obſtupeſcere tunc omnes, & probè intueri, ſupernè fuiſſe illuſtratum ſanctum, qui id conſcripſerat, virum; ac languorem illum penè ſubitum, quo breui confectus fuerat Epiſcopus, Deo tantùm reuelante, potuiſſe pernoſcere; opportunèq; ac tempeſtiuè illam morituro prænunciaſſe; ſi Sacerdos ille nequitiam cunctationis fuiſſet amolitus: atq; inter publica ſcripta Epiſcopalis Archiuij, hunc multæ venerationis theſaurum, Epiſcopo mox defuncto, reponendum curarunt.

Franciſcę quoque Maramontię vterum gerenti, prędem

se cõstituit masculeæ prolis exoptatissimę post septimam fœmineam. Virginiam autem Buc de Aragonia, eo destituit solatio;cui multas femellas, ne vno quidem masculo ascripto, numerandas affirmauit ; nihilque pręter id, quod ipse futurum prędixerat,factum.

In Ludouico Thomasio sacrę Theologiæ **Profe**ssore, & insigni verbi Dei pręcone,vide quid fecerit. Designatus fuerat is,Domus Neapolitanę S.Pauli cõcionator.Collato aliarũ Italię Ciuitatũ fructu,quem, diuagata fama , quisq; nouerat,& ibi quoq; maximus expectabatur . Erat enim illi locutio,specie quidẽ exilis,sed cõplexione rerũ vberrima;ac ponderosior,quã numerosior. Non enim pompa verborum , sed robore argumẽtorũ,auditores quòcunq; volebat, flectebat. Petebat enim,& extorquebat;suadebat,& persuadebat ; pugnabat,& expugnabat;rogabat,& impetrabat;impetrabat autẽ,quasi imperaret. Dignus profectò, quem Paulus V.Pont. Max.Apostolici Palatij meritò statuisset cõcionatorẽ;in quo munere,dũ vix annũ magno Romanę aulę plausu exercetur; vita defunctus est . Auspicatissimum ergo ex eius concione, eo anno quisque sibi promittebat animarum lucrum. Vnus, & humani generis infensissimus hostis, inuidia rumpebatur . Huius fortè subdolis artibus, cępit Ludouicus febri incommodùm ęstuare ,sub ipso Cineralium dierum initio : ac fęuiente languore,& quatriduo toto ipsum corripiente,nullus de prędicatione fermo : imminenti propterea damno, mœrebant omnes ; deq; futuro sollicitiores magis angebantur . Sed ecce Beatus,exeunte Sabbatho,languentẽ inuisit: enerui & fracto,subq; febris ardore gementi, iubet postridiè pulpitũ ascendere. Veritus ille morbi atrocitatẽ, ac desperans vnius tãtùm noctis interiectu,tãti roboris adauctionẽ,quod prędicando esset satis; se concionaturum contentiosè negabat.Verùm Andreas: *Non hic*,ait,*multa; vires tuas incerta consultatione non libro;edico tamen te crastino concionaturum; cuius rei curabo,prima nocte per sacra æra fieri populum admonitum.*

monitum. Concionator, prædicentis reuerentia captus, ſuggeſtum conſcendit; vbi iuxta Beati prędictionem, prompſit ingẽtem animum; tanto impetu viuidæ mentis; vt nunquam poſtea toto eo quadrageſimali tempore, à concionando, inutili mora detentus fuerit.

Par quoque Illuſtriſſimarum fęminarũ, ſcimus inter multas, ab ipſo longè antea futurorum admonitas. Fuit ipſarum altera, Iſabella Carafa Cercię maioris Duciſſa. Vinxerat iſta, formæ, & pudicitiæ pulcherrimam concordiam; eratque illa eminentior, nam ipſi erat hæc obſequentior. Fuêre tamen adhibendæ ad ipſam ab omni terrena aſpergine detergendam, virtutes aliquæ purgatrices, nequid apud ipſam ſubſideret fœculenti. Ventitabat ad illam crebriuſculè Andreas; hortatum, ne iugum Dei impatienter excuteret, ſed ferret modeſtè: certoque certius illi promiſit; per aduerſa, quibus tũc premebatur, futuram ſe opificem ſuæ felicitatis: & apertiùs, maritali adhuc iugo preſſę, prædixit per ſacra vota Deo vinculis perpetuis fœderandam; ſe tamen è viuis ſublato, &, quę ipſum enutrierat, auia: Quod ita prorſus euenit; vniuerſa Neapolitana nobilitate ſtupẽte; ac Duciſſę ingreſſum, in ſacram Domum Sanctę Marię de Sapientia, quę ſub noſtra eſt tutela, demirante.

Altera fuit ex eadem Carafarum ſtirpe, Catharina, Camillo de Curtis apud Philippum III. in ſupremo Italię Cõſilio Regenti, poſteaque Neapolitani Cõſilij Prędidi iuncta. Huic inter apices potentię & aceruos opum; hoc eſt, inter vehicula voluptatum & pabula deliciarum; ſenſim omnis terrenorum amor abibat. Andrea enim excultore, facta erat integerrimarũ virtutũ cultrix; nec aliũs rei ſatagentior, quã, vt arctiora cũ Deo fœdera iniret. Spopondit verò hoc illi Beatus, antequã Hiſpanias peteret; & pdixit: Excurſo aliquot annorũ ſpacio, ex Hiſpanijs redit, cõpareq; ſuo viduatur Catharina, ac in idẽ Virginum Monaſterium & pietatis officinam, cœleſtibus tantùm operatura, includitur.

Illud

Illud quoque haud ſilentio obtegendum : Quòd, quadriennio ante obitum ſuum,è domo Camillæ Carafę Ducis Aerolæ diſcedens,Io. Antonium Foliam artium ac medicinæ Doctorem, cuius brachio innittebatur, ſic fuit affatus. *Perge fili,& ſtudio,vt facis,naua operam ſedulam ; poſtquam enim ex hac vita deceſſerit Fabius hic Apicella, cuius charitatem in noſtrorum infirmorum cura, gratabundi experimur ; omnem mouebo lapidem,vt tu pro mortuo ſubſtituãre.* Promiſſio cum riſu à Folia excepta eſt. Qui,*Serione*, inquit, *an per iocum,ò Pater,Apicellæ ſuperſtes eſſè ſperas vix quadragenarium ingreſſo,tu octogenario maior ?* Et ille: *Ita profectò futurum eſt : & tu ipſe liquidò videbis*. Et vidit. Vix enim annus elapſus,poſtquam iſthæc dicta,cùm, & Apicella vitæ metam attigit,& Foliæ vicariam pro ipſo opem experti fuere Noſtri. Sed,ne qui aliorũ bono lynceis videbatur prędituſ oculis,ſuo cęcutiret; ſupremum illum diem ſuum,& præuidit ipſe,& alijs indigitauit. Vti & infligenda ſibi vita functo trina vulnera, & flammeũ viuidæ frontis colorem, etiam tertio à deceſſu die: vt ſuo loco narranimus.

ABSENTIVM, ET ARCANORVM CORDIS introſpectio.

CAPVT XIII.

QVamquam verò,haud omnia fierent Andreæ,per eos, quorum intererat,nota, calamitatum ſuarum ſiue ignaros,ſiue inſenſiles; aut verò etiam inutili ſilẽtio ſufferentes: aperiente tamen Deo,innoteſcebant illi, velutque ſub oculorum aſpectu poſita,certiſſimo intuitu patebãt: Quare afflictis inexpectato plerumque, minimèque accito accurſu,vltrò fiebat obuius:ſolaturus eos ac roboraturus inter procelloſos mundi fluctus, edaceſque animi anguſtias. Lucretiæ Suardæ,vnicum, quo recreabatur, trucidauerant

filium

filium. Iniuriæ ista quamquam sæuissimę, Andreæ suasore, facta erat generosa contemptrix : tolerantia iam illam elisefacta erat generosa contemptrix : tolerantia iam illam elisérat; mox publico scripto noxam condonatura ; sceleſtumq; interfectorem omni pœna, quòd in ipsa erat, liberatura. Id vbi olfecére cõsanguinei; acti cupidine vltionis, hominisque perdendi desiderio furentes; statim intempestiuam ignoscéperdendi desiderio furentes; statim intempestiuam ignoscétiam matri exprobrant; suggeruntque lẽtiore indulgentia, extorqueri ab homicida saltem superstitum reuerentiam : & omnino; ferendum ipsam inultam viuere; non ferendum, contemptam. His nimirum occultis dilatæ veniæ stimulis, animum illius ad vindictam acuebant, siue præparabant. Cũ ecce, nullo monitore aduocãte, occurrit insperatò Andreas : rem omnem, ac si in sua præsentia narrata esset, repetit: subdolas inimici artes euoluit : malè sana consilia ipsam perditura, euertit; nutantemq; fœminæ animum firmat ad misericordiam, & obfirmat.

Alius etiam, impetu iuuenili, per occulta machinamenta ad fororis cędem conspirabat insontis, ideoque tuta fidentia incautæ: Internecionem tacita deliberatione, secreto suo satiatus, in certiora tempora differebat. In cautam necique deuotam, pia Beatus solicitudine monuit, roborauitque ad constantiam, & Virginis clientelam, subducturę furenti fratri insaniam. Et subductam, felici postea euentu innotuit.

Dum Neapolitanæ Domui præesset ; quidam patrui sui visendi titillatus desiderio, non id candidè aperuit ; sed ipsi flectendo ad visitationis facultatem, prompta mentis fallacia veritatem interuertit, & fucata concinnauit mendacia ; indubius nunquam ea in apertum prosilitura : ac patruum morbo mancipatum acerbiùs ægrescere confinxit. Sed nulla fraus illicere Andream potuit: Quare illicò superinductum mendacium retegens, diaboli id esse inuentum exclamauit, eiusque tentamentum : de patrui enim salute liquidò sibi constare, & confecto languore: vtque obtruderet, sese in cubiculum,

biculum,petiturus ibi errati ſui à Deo veniam,quem ſubdolo mendacio læſerat. Obſtupuit ille, crediditque nõ niſi immiſſu Dei,hoc illi reſeratum, quem inter & confictum lanſcientiæ ſtimulis adactus,ipſius cellam petijt,vt labem quaſordueratper confeſſionem purgaret. Vix eius limen saluguentem, nulla coiuerat neceſſitudo. Nec multò poſt, contauerat: fandi nullum adhuc fuerat initium; & Beatus velut impatienter,veſtigatricem ſui ſedulitatem laboriosè inuencertus qua ille fini acceſſiſſet; ſeriò monuit ipſum, non niſi to narraret. At ille,non alia adhuc promenti: *Cur*, inquit, ſimplicia & candida pectora eligi in domicilium bonitatis, callida conſilia deteſtantis.

aduenerispro bè noui. Catharinæ dicito,de filiorum incolumitate nihil illam anxia cura debere eſſe ſollicitam, Numine etiamnum in ipſam propitio. Diſtulit ille reſponſum; ratus,in deſperato morbo ſpem illam futuram euanidam; atque per euaneſcentia promiſſa,& promittentis auctoritatem elidi, & penetrãtiore vulnere diſcindi interiora dolentis. Contra tamen factum: felicique ſucceſſu,vtroque conualeſcente, palam euulgata fuẽre,quæ ab Andrea geſta,dictaq; fuerunt, futurorum vate,& abſentium inſpectore.

Anno item ſęculari ſacro,par filiorum Aloyſij Henriquez equeſtris,ac pedeſtris militiæ Regni Neapolitani Præfecti,ad mortem vſque ægrotauerat;perque Andreæ preces, reddita illis fuerat ſanitatis. Reuiuiſcente tamen morbo, paulò poſt ſæuiùs æſtuare cæperunt. Miſit Catharina Luxania mater, qui ardenter Andream rogaret,vt inſtaurata prece, rurſus eos incolumitati reſtitueret. Is verò,cùm, longiore indagatione,tandem illum reperiſſet;minimè ſe cohibuit,quin ſubHaud verò diſpari exitu, per ſcripta quoq; iſta patrabantur: Centies enim auditi fuere,qui ea recipiebant, auidaque lectione vorabant,adſtante ipſorum latore, admirabundos exclamaſſe;data ſibi à Sancto ſene aduerſus præſentiſſima mala,incommunicata licet,præſentiſſima remedia.

Exce-

Excedit verò humanę ſapientię metam,quòd(diuino cerè ductu) imperuia humani cordis latibula, intimoſque receſſus peragrare valuerit;& quidquid illic ineſſet odij, amoris,cupiditatum , propenſionum percurrere . Præpoſitum namque agebat;cùm,decliui iam quadrageſima, ad quendã audiendę concionis facultatem demiſsè petentem; *Sat*, inquit,*tibi concionem auditurienti, hodierna quam in Breuiario habes Homilia : hanc legito,perlegito : multum inde,ſi ſapis , vtilitatis hauſturus*.Expauit ille,& infremuit ea ſibi facultate negata,nullius eouſque concionis auditori ; ingentiumque laborum (quorum & ipſi memoriam refricuerat)in languentium cura perfuncto; ſi quod pretium operę ſperari licuiſſet.Itaque deliberat,nullam ſe deinceps foras prodeundi facultatem expoſtulaturum,quę nunquam certè iniquiùs denegari poſſet.His cogitationũ fluctibus iactabatur,ac penè mergebatur;cùm,ad ſui conſpectum in ſeueri ſpeciẽ erupit Andreas: Et,*Heus*,ait, *vt quid ad ſolatium inconceſſæ facultatis,præpropera deliberatione ſtatuiſti abſtinere poſthàc à licentia petenda improuido rigidouè ? Aſt ego id tui bono feci : curioſitatis enim illectus quo abripiebaris , nihil ſinceræ vtilitatis colligi ſiuiſſet : nunc pergito, quando ſcilicet , tepente per mortificationẽ curioſitate,decerpendo fructui factus es aptior* . Perrexit, & vberem fructum reuexit. Sic erronem cuius ſemel atque iterum abditas peruaſerat mentis cogitationes, in viam reduxit.

Bononia ſępiuſculè tranſitans,ſecedebat lubens apud nobilem virum Auguſtinum Lucatellium ; quòd nondum ibi Religionis domus extructa eſſet;iſque frater fuiſſet Vincentio Lucatellio, qui ex publico legum interprete , ac Pontificis Referendario ; Chriſto ſe in noſtra Religione mancipauerat ; nullo amplius metu vultus Aulæ fugitiui , aut periclitantis dignitatis . Hoſpitem inclytæ famę , audiebant omnes auidè , virtutis felicitatem quamquam mortalium oculis ereptam , ſeriò commendantem.

Interea Auguſtini filiam Camillam , curioſiùs aliquando obſeruans,ſeuocatam & arbitris vacantem alloquitur : educitque ſubſidentia ipſius in imo pectore deſideria;ſponſum, qui tunc nubili quęrebatur, extra Patrię lares inueniri & acciri: Quę paterna virgo reuerentia, vt nulli adhuc mortalium auſa fuerat propalare;ſic ingenuo candore fucum omnem abominante,minimè negauit .

Agneti etiam Capycię Minutulę,exprobrauit obſequendi diuinis vocit us tarditatem,quibus ad eius famulatum vocabatur, pertinacemque ſilendi obſirmatione obmuteſcentiam Cohorruit Agnes deprehenſa,& vocationem eatenus vtcumque preſſam,eò fructuoſiùs ſoluere cœpit,quò diutiùs vires diſſimulatione collegerat , ac virginitatem ſuam Neapoli in eo Monaſterio , quod ſub D.Andreæ tutela eſt, Deo dicauir .

In eadem etiam Ciuitate , cùm pergeret aliquando ad ęgreſcentem,vt eum Chriſto per confeſſionem conciliaret ; ante fores interuij Templi,quod D. Marię Maiori ſacrum eſt; ſubſtitit aliquantulùm,& in aurem eius cuius rogatu ęgrotum inuiſebat.*Tui*,inquit,*ſuaſu hunc modò ſordibus perpurgabo,cùm te nõ valeam ijs obſitum & lutulentum. Scelus patraſti* (quod omni circumſtantia ſua conueſtitum illi reuelauit) *ſed ſcelere ſcelus cumulaſti,dum ſtolidè putas,ſubducere te conſpectui cuncta peruadentis & peruidentis . Habeto tibi ſecretum tuum,vt cunctantem Dei iuſtitiam , validiùs poſſis vrgere* . Ille rubore ſuffuſus, fatetur ſcelus cæteris tectũ,vni Andręe cęlitùs retectum : & pœnitentiam ſpondet.Accedenſq; ad ipſius pedes ex infirmi domo reuerſi,dolore pernicioſum tacendi conſilium emendãte,confeſſionis lauacro abluitur, ac poſtea iuratus hęc omnia teſtis aperuit .

Per hanc etiam diuinitùs traditam, ſecreta internoſcendi facultatem,proficuo euẽtu à virginum quodam Partheone lupum abegit ſub ouilla pelle latitantem . Erat hic illis à confeſſionibus ; falſiſque virtutibus , multum famę apud

Prę-

Præfectam maxime Parthenonis mercatus fuerat: cuius tamé nepti, acri fœminę iudicij, extimus ille amictus nihil imposuerat. Quæ nonnullorum conscia; cępit adigente conscientia, multis apud auunculam agere, ipsi loco dimouendo. Surdę tamen fabula narrabatur. Sed cùm illa sacerdotē lędere non posset publicè immeritum, imò solertissimi anilędere non posset publicè immeritum, imò solertissimi anilędere non posset publicè immeritum, imò solertissimi anil

REGVLARIS DISCIPLINAE ZELVS.

CAPVT XIV.

PRęferuido item affectu,in eam,ad quam , vocante Numine,aſcitus fuerat Familiam,ſecundùm Deum, fuit incenſus. Publicas namque eius curas, ſic fuit auſpicatus , vt priuatam ſui commodi ſollicitudinem depoſuiſſe videretur . Multa fuêre illi vada tranſuadanda,multi labores exantlandi, ne inuitus à dilectę matris complexu abriperetur , vt fuſiore narratione aliãs diximus. Hanc incudem perpetuò tundens;affirmabat;iſtam conſtantis animi firmitudinem , qua nũquam ſe è Religione receſſurum decreuerat,nullatenus deroborandam;nec aduerſorum ſęuitia,ſpiritus ſępè cõtumaciam exſuſcitantium;nec ſecundorum afflatu, acrioribus ſtimulis animum explorantium.Quod autem ipſe priuata ſponſione Deo tantùm teſte contentus, pollicitatus creditur;id optaſſet in vniuerſo quoque Ordine, publica promiſſi religione ſanciri. Nec deſtitit , ipſum etiam Pontificem Maximum Gregorium XIV. obnixiùs interpellare,ne quem Noſtrûm Epiſcopalibus Cathedris pręficeret;neù Catholicũ Regem,ad patronatus ſui Eccleſias Noſtros pręſentantẽ audiret.Vtrumque renuit Pontifex: imò velut apud iudicem cauſam agens;longiore ſermone contendit: Quandoquidẽ,ſi ex cętero Religioſorum cœtu,decens eſſet Eccleſiarum regimini deſtinare;futuros nimirum , virtutum promos , quarum in clauſtro fuiſſent condi; ex hoc profectò eſſe quàm decentiſſimum.Quippe qui , licentioſiore illo ſæcularium Clericorum ſęculo natus,in eius reformationem,induſtriam operam primus nauarat: ac ſcire ſe optimè , quos , & quanam ex ſchola educeret,futuros cæterorum magiſtros . Viſus eſt autem Deus , multos ad Andreæ ſolatium excitaſſe,valida contentione imponendam ſarcinam excutientes: Alios verò , nequicquam eluctatos , impoſita mœrentes,

inuaria-

inuariato regulari viuendi tenore, opus illud formidabile, adorsos. Inter hos, principe loco censebat charissimum suum Saluatorem Caracciolum, iam ante, impetu Alphonsi Cardinalis Gesualdi auunculi sui, ad Compsanum Archiepiscopatum euectum. Quem mortalibus posteà compedibus exsolutum, absque verborum inuolucris, sed palam ac liberè, Sanctum appellauit, & in beata dixit cęlorum sede collocatum.

Manabat ex hoc Religionis affectu, operariorũ reuerẽtia, quibus sedulo famulatu inseruire, dicebat nobilissimũ. Verbi diuini pręcones, cum fructu animarũ saluti incũbentes, optabat non alio cibatu vires suas resumpturos, quàm carnis suæ frustillatim concisę. Sic enim ille excitabat affectum, etiam cùm occasio non suppeteret: & cogitationes aduocabat, quę pabulum essent bonę suę voluntatis. Adolescentiorũ quoq; spem herbescentem, suorum irrigabat sudore laborum, vicariam opem suam in subeundis ab ipsis corporalibus oneribus substituens, vt robore virium, temporisque compendio, alacriores ad studia redderentur.

Disciplinæ verò custodiam, assiduo molimine procurauit. Cùm Superior fuisset renunciatus, statim Administrũ se dixit gloriæ Dei, & pręstaturum semet seriem obseruantiæ indefatigabilem: nec vnquam, erratorum impunitate, vitia prouocaturum, aut proseminaturum. Vigil fuit procubitor, nequid aliunde ingrueret, quod religiosam quietem proturbaret: ac, ne qua nouitate, Instituti nostri puritas labefactaretur. Idcirco non cessabat dolenter meminisse, sublatum lupinorum demensum in serotina refectiuncula ieiunij tempore; quamquam non dubitaret, prudenter à Religionis moderatoribus, pro humanę imbecillitate salutis, suffectas ternas illas panis vncias vsque hodie pręstitutas, ac prętereà nihil. In alimonia, nulla ei erat pecuniæ ratio, modò cibus esset vulgarior: delicatiorem enim respuebat, etsi, minore sumptu parabiliorem. De reliqua familiari suppellectile,

hos

hos ſtatuerat modos. Primum, habere quod neceſſe eſſet : proximum, quod ſatis eſſet: interq; maxima Dei beneficia, ſummam omnium indigentiam numerabat. Præceptis verò præeuntibus, addebat exempla; virtutisque igniculos eo modo in alijs augebat.

Cùm primum Religionem eſſet ingreſſus, recenti B. Caietani Parentis noſtri memoria, ad cęlos translati, permulcebãtur cuncti ad ardua quęque ſubeunda. Erat verò frequens recordatio; vt ille nunquam ſuper laneam, ſemper ſuper ſtramentitiam culcitram cubaſſet: Hæc Parentis ſui anteam bula veſtigia calcare decernens Andreas; ex eo die, non alio tomento farciri culcitras suas fuit paſſus, quàm paleis; quãquam intereà, in frigidiſſimis Galliæ Ciſalpinæ regionibus, ſibi fuiſſet viuendum: decrepitaque poſteà ætate, omni vitali calore deſtitutus, frigeſceret: ac valetudinis cauſa, conniuente Religione, ſtramentitiæ vſus obſoleuiſſet. Eæ porrò delicatioris culcitrę deliciæ, cùm ſpiritualibus eius filiabus innotuiſſent; vna ipſarum, Beatrix Moccia nuncupata, ſingulis quibuſque triturę temporibus, palearum nonnullos faſces miſſitabat: vt renouato ſaltem farcimine, molliorem culcitram ſeni ſubſterneret ac infirmo: fruſtraneo tamen effectu. Auerſatus enim vndecunq; commodi aliquid poſſet hauriri, nõ ante quintum annum eas mutari patiebatur, & aliquoties earum mutationem ad ſeptimum vſque annum protendit, & ad decimum quoque; neque tunc abſque Superioris iuſſu. Cùm poſtremùm fuêre ſtramenta renouata, trium Præpoſitorum Neapolitanarum Domorum acceſsêre preces. Paruit ipſe monentibus; ſed cùm fidem illi priùs obligaſſent ſuam, vbertim lacrimas effundenti, ſuper nudam humum facturos, vt is creatori ſuum ſpiritum redderet. Renouato autem farcimine, ludibundus dictitabat, *En? vt hilareſcit aſinus nouis paleis?* Sic enim Seraphici Franciſci exemplo corpus ſuum appellabat. Extremè languenti, laneam culcitram ſuadens medicus audiuit. *Perperam hæc ſuades*

inuenti

intuenti Dei filium ſuper Crucem reclinatum. Hoc enim ſcuto ſe propugnabat aduerſus quæcunque ſuaſionum tela, *Aſperiùs, quàm ego, cubabat Chriſtus meus*: ſororio nexu mortificationis amorem vinciens, cum diuinæ charitatis affectu.

Hic itaque ipſe cubabat,& externa tantùm veſte exutus, ſomno indulgebat. Mali autem genij artibus, frequenter oberrantia ſomnia horroris ſimulacra, deturbabant quietis illam imaginem. Frequentiùs verò,noctis integræ ſpatio ab inſomni conſumpto, cùm tempus appropinquaret Matutinarum laudum,languida vigilis membra ſopiebantur, cadebantque oculi longa vigilia fatigati. Indeflexili tamen rigore ad preces euigilabat, ac tanquam ex poteſtate quadam in corpus ſuum iocabatur. *Dormire*,inquiens, *cùm licuit, non libuit, patere viciſſim,vt non libeat, cùm non licet: age igitur, ac velis nolis, odæum pete, ibique te ante futurum iudicem tuum ſiſte*.

Quinquaginta annorum perennitate, hoc vigiliarum exẽplum prębuit,quoad ob viſus aciem hebetiorem, interdictus illi fuit ad Chorum acceſſus. Sed tunc euigilabat etiam, eodemque quo cęteri tempore, eas laudes perſoluebat: & ipſum etiam,qui poſtremus ipſi illuxit dies,antelucanis hiſce precibus ſacrauit. Tanta autem erat apud ipſum hæc nocturni ſacrificij obſeruantia, vt per annorum fere binas decades, cæteros ipſe voluerit excire. Et cùm aliquando languoribus preſſus lectulo teneretur affixus; auditus fuit diluculante die,validè clamans. Accurrentibus ſtatim, qui cubiculo eius erant propiores; &, quonam improuiſo teneretur malo, anxiè quæritantibus; nequaquam ſe, reſpondit, doloribus cruciari, ſed oſcitantia ijs acerbiore, quam in excitatore deprehendebat,præterlapſo iam conſtituto tempore adhuc ſtertente: & acutiſſimis hiſce tunc eum angoribus pungi;neglecti ſcilicet,vel per inuoluntariam ſocordiam, diuini cultus.

Adhæc;

Adhæc; quotidiana etiam flagellatione ad vſque ſangui-
nis miſſionem, carnem ſuam domitabat. Huic verò ſępiùs
ijs verbis amicè conſultum venit. *Caue ne delicijs vnquam*
inhies, ò mea caro; quin eſto neceſſarijs tantùm, ijsque extre-
mis contenta. Age hic pœnitentiam, nec te vnquam pigeat dili-
genter Deo inſeruire, ni malis damnari, ęternisque ignibus cum
anima cruciari. Cuidam, quem ad hanc rigidam ſui amuſſim
effingebat, ex animi ſententia ſcripſit. *Iacturam te feciſſe*
puta, cuiuſcunque, quod in gratiam tui corporis delicatus im-
penderis. Vnde nec ſeſſitantem eum in cubiculo vnquam
aliquis vidit extra ſcriptionis ſtudium; in genua etenim ſem
per demiſſus cernebatur. Quin vt mentem à ſuauibus &
perituris auocaret, atque ad duriora & diuina prouocaret;
voto ſe obſtrinxerat, quotidie aliquid ſe patraturum; quò, vl-
teriore gradu ad perfectionem progrederetur.

Cùm itaque ſolerti, vt diximus, cura, veſtigaret vndecun-
que poſſet, non de luxo ſolùm, ſed de commodo etiam triũ-
phare; neceſſaria conſecutione afflictim dolere cernebatur,
prærepta ſibi ac ſuis, aliquid perpetiendi occaſione. Id Pla-
centiæ palam obſeruatum, vbi Præpoſitum agebat, cùm pri-
mùm eam Ciuitatem incoluêre Noſtri, aduocante Arctio
Epiſcopo. Fortè enim Domo aberat, cùm eam inuiſit Ale-
xander Borlius Epiſcopalis Palatij Præfectus: Qui refectionis
locum ingreſſus, conflugem ibi reperit aquarum: ratusque
in minùs ſalubri loco, periclitari recumbentium ſalutem, ſta-
tim multos aſſeres cöemi iuſſit, & ſubſterni. Reuertens An-
dreas, laudat Præfecti liberalitatem; dolet elabi ſuis, egregię
mortificationis officium, intimèque cruciatus exclamat,
Quantas delicias video fratribus meis miniſtrari! quibus iu-
re pertimeſcere poſſum, elangueſcentem virtutis affectum, exer
citatione ſubtracta.

Videbatur nonnemini cęleſtia rerreno iudicio metienti,
acrius eiuſmodi imperium, quo infractum à cęteris obſer-
uantię tenorem expetebat: ſeuerior item illa carnificina,

quam

quam in se assiduo cruciatu exercebat : & omnino, ea Sanctorum tantùm fuisse peculiaria, qui quòd Sancti essent, tam rigidè in semet animaduertebant . Verùm hæc ipse redarguebat audacter: ac salutari monito docebat; illos, quòd sagerent Sancti esse , idcirco laxis habenis in semet pia crudelitate insæuisse, auidos pereundi, ne æternùm perirent: ideoque prolapsurum alioqui inter lubrica vestigium, regularum tenaci obseruantia firmasse.

Otium verò, finibus suis eliminauerat, nunquam ad negligentiæ torporem conniuens. Otiosis autem confabulationibus, implacabile indixerat bellum: quare cùm Nostri constituto tempore genio indulgerent; secedebat ipse, cadebatque supplex ante Deum, ne qua ipsi ocioforum fœditate inspergerentur .

Silentij item eximia fuit in eo cura ; cuius si vidisset aliquem transgredientem , desperassetque cito se posse medicamine serpentem morbum restinguere , in lacrimas effundebatur, & in suspiria soluebatur . Compertum autem erat, magnam ipsius , in silentij obseruantia fuisse auctoritatem ; non apud Nostros tantùm ; verùm & sæculares , quamquam magnates , ac summi fastigij viros . Narrabat Marchio Ioannes Franciscus de Ponte; se, antequam Religioni nomẽ dedisset; inuisentem aliquando Nostros Domus Paulinæ , perseueransse adhuc sermone protracto , post Angelicæ salutationis vespertinæ signum, quod sacrum nobis est, nocturni silentij principio , ac mentalis orationis initio . Audito verò sonitu baculi quo Andreas innitebatur , latibula & clancularia loca petijsse , vultum prodeuntis contra violati silentij reos, ferre non sustinentem . Asserebatque liquidò, dum Religiosus admirabundè ista recogitaret: supercęlesti prorsus viri veneratione factum, vt Regij tunc Collateralis Consilij Decanus, & à Prorege primus, ac tantùm non , terror cunctorum; seniculum trepidus pertimescceret .

Porrò vt accuratiùs hisce intenderet , nihil intentatum

relinquebat, quò cæteris prodeſſe poſſet : expectabat idcirco patienter ſingulorum profectum . Intermiſcebantur etiã ſpiritualibus exhortationibus , ſcripto tradita pia exercitia . Quin & ipſum quoque ſupremum Religionis moderatorẽ , per literas , eorum, quorum eſſet procuranda renouatio faciebat monitum . Cùmque iam ſe morti proximum ſciret, rogauit enixiùs,tantum vitæ, Numinis liberalitate ſibi concedi , quanto opus erat ad Præpoſiti Generalis aduentum , quem propediem opperiebantur. Ac ferè viſus fuit,in illius tantùm allocutionem vitæ reſeruatus : vix enim , cum ipſo , ex Vrbe appulſo collocutus; dum hic viæ ſe tradit, Neapolitanam Prouinciam luſtraturus; cęlum ipſe petijt, efficaciore inde ſuppetiatu,Religioni ſuæ præſtò adfuturus .

POTESTAS IN DAEMONES.

CAPVT XV.

PErpetuum B. Andreas bellum , cum diabolo indixerat : cùmque in aciem aſſiduè deſcenderetur; pró cęleſtibus gloriosè præliatus , victor ſemper ſalutabatur : Deprimebat enim,ac detegebat teterrimi hoſtis,ſiue conatus aperto Marte certantis , ſiue obtectas inſidias occulto machinamento decipientis . Profligando autem feliciter hoſti , ipſa de eius calliditate ſuſpicio, mirificè ipſum adiuuit ; cui ſciebat mille nocendi artes nunquam defuturas: eius itaque doli, nunquã ſuperueniebant incauto, ſed ſatagenti potiùs occupare conſilia hoſtis,eiuſque vires infringere . Nihil item ſibi fidebat, ac licet victor,victoriæ tamen minimè fiſus,adhuc tanquam integro bello, manebat in caſtris erectus ad pugnam . Experiri verò in ſe pugnam iſtam, quam proculdubio ſciebat eſſe perpetuam,vtilius aſſerebat eſſe, quàm perniciosa quiete inutilique pace,ad illam factum eſſe inſenſilem : eique cui, vel per ſui oſcitantiam,vel per aduerſarij fraudem, non obiectaretur

retur inimicus, desperandam prorsus esse victoriam. *Præliandi finem* (dixit aliquando ad Augustinum Cardinalem Cusanum) *nunquam efferati isti inimici facient, nisi victoria potiantur. Victus autem, heu! ille censendus est, cuius pectus pugnæ non est sentiens; ipsum enim in pace possidet aduersarius. Veh misero! veh sauciato, vulnera non sentienti! hic enim profectò mortuus est.*

Fœderabat quoque sibi Andreas, subsidiarias cęterorum copias: inque hoc præcipuè multorum preces coibant, supplicesque ad Deum tendebantur manus; vt eneruato perfido generis nostri hoste, redderetur robur eius elanguidum: ac tunc maximè, quando exerebat ille vires suas in genus humanum; ante, scilicet, pœnitentiæ Quadragesimalis tempora. Sapienter etiam docuit; ipsum despectui habendum, & contemptim proterendum: & minimè, cordato homini, illius consilijs esse acquiescendum; qui sibimet feliciter cõsulere nesciuisset, consilij sui præcipitantia, è superna cęlorũ sede, casu miserabili in inferna tartara detruso. Nonnullos sub immani trucis inimici persecutione trepidantes, hac via viribus & animo restituit. Non esse, scilicet, mirum, si, quò nos viderit malorum ille architectus in Dei amore feruẽtiores, ac in nostri æstimatione abiectiores; eò in Deum excandescat efferatiùs; in nos æstuet inuidentiùs. Intuetur enim Deum roborantem nos; & dolet: perspicit nos ab ipso dilectos, idque facit sui supplicium. Deum verò (addebat) multoties valentiorem contra nos aduersarium consultò erigere: nimirum, vt ipso depresso, victoribus glorioſiùs plaudatur, eluctatis eius tela, quamuis exertis viribus ac summa calliditate bellati.

His ergo artibus Beati, excitata fuêre dira in ipsum diaboli odia, satellitio quotidie suo per ipsum spoliati; ideoque virulento fremitu, cędem quoque ipsius, non semel pertentantis. Compescuit aliquando Andreas furorem animi turbidi, in quodam, qui diu iniuriæ persequens, per inimici san-

guinem,iræ ſuæ parentare decreuerat: mercedis loco, internoctu in ipſum dęmon excanduit, pluriesque illi anhelitu præcluſo, in necem ipſius conſpirauit; vt aliâs relatu Epiſcopi Sorani diximus.

Placentiæ item,cùm per crebra ipſius alloquia, impreſſiſſet virtus characteres ſuos in nobilis cuiuſdam matronę pectus, formæ cultum ac cętera amoris illicia deteſtatæ. Sublato viſcato calamo mœrebat dęmon aucupio inhians;ideoque nulla cunctatione in furem cępit furere, noctuque illum peremptурus inuaſit. Sed is, tutelaris Angeli cuſtodia munitus,terricula eius facilè deluſit,morſibusq; lædētis nequaquam patuit. Tunc iſte,ceu canis,obiecta detrita ſcruta dentibus lacerans, cellulæ ipſius ſuppellectilem, & ipſum quoq; vbi recumbebat lectulum,sùſq; dèq; commouere non ceſſauit; vt Noſter Gregorius Sanctius, publico teſtimonio dixit, cùm Epiſcopus eſſet Belcaſtrenſis.Harum gloria victoriarū, bona ſuperbia tumidior Andreas, excitare etiã audebat hoſtē,ac prouocare languentem: &, quando aliud non poſſet, aliorum certamina in ſe recipere & illa ſubire.

Poſtquã Hieronyma Guazzaluta, ipſo verorū falſorumq; diſcriminatore, à ſcrupulorum aculeis quibus miſerè fodicabatur, liberata fuit; in facti certitudinem, futurorum prędictione ab ipſo etiam fuit roborata; ac ſeriò monita; auſu temerario conaturum ſe dęmonem quantulumcunque id fuiſſet quietis, quod in ſuis pręcordijs germinaſſet, extirpare: mirisque fallacijs, ipſam circumducturum; verſutè in ipſius animum offundendo, hominem ſenio iam confectum, audiendique pollentia hebetatum, ſui confeſſionem haudquaquam, vt oportuiſſet, inaudijſſe; & imbecillia propterea fuiſſe & inania,quæcunque adhibuiſſet remedia:certo itaq; certius,ijsdem quibus antea,ſe tunc verè implicitam nexibus. Verùm, ſi vellet ipſa ſapere, conſultò fallacis machinas, dolos, & ipſum certamen detrectaret, & certandi cupidum, ad ſe horum prędictorem, confeſtim demanda-

mandaret. Noctu Hieronyma, circumactum scrupulis caput, sopore volens componere; in illo vigilandi dormiendique confinio, internis stimulis agitari cępit, ijsdemque tentamẽtis, quæ mox retulimus, concuti. Subitum bellum fuit: cùmque ipsa pertimesceret cruento exitu in acie cadere, lacessentem hostem pridiani moniti haud immemor, ad Magistrum illicò misit. Missionis fructus fuit, à noxijs cogitationibus liberatio. Insigne aliquid ea nocte ab Andrea cum inimico in nocturna illa concertatione factum, oportuit: Nã, illucescente die, Hieronymam adijt: qua visa. *Heus*, inquit, *vt benè mecum egisti, & noctu tentatorem ad me demandasti?* Et illa, *Quid ni, Pater? num iussis tuis obniterer? &, ò quàm feliciter! Quæ timebam facilè casura, prolato nomine tuo, instituti victrix, & victoriam cumulaui, ignominioso ludibrio fugientis.*

Sed rem satis per se exploratam, ipsorum etiam aduersariorum confessione comprobabimus. Mediolani cùm Præpositum ageret, & in sacra Nostrorum æde cacodæmonem vrgeret, vt obsessam relinqueret, quam miserè infestabat; horribili ille eiulatu, vrise ipsius præsentia fassus fuit & ad fugam compelli. Omnem item cum ipso pacem, omne amicitiæ fœdus, mali illi Genij eiurauerant.

Placentiæ, vbi egregia olim pro animarum salute patrauerat, vertente anno obitus eius, compellebatur infernus hic hospes, habitaculum quod iniustè obsederat relinquere, & aliena mox possessione cedere. Inter cęteras sacras adiurationes, ipsius etiam nomen inuocatum fuit: eo audito, infremuit diabolus, palamque tectari coactus fuit, exarsisse Andream, feruenti in Deum amore, ardenti in proximum charitate: magnæ humilitatis virum fuisse, magnæ fidei: eisq; virtutibus meritum sui omnium inuidiam, odium, perpetuumque dissidium.

Idem quoque fassus fuit, angi se & cruciari, præuisu nominis Andreæ, quod à paritura quadam matre, proli imponẽ-

dum

dum foret,ſi maſculea eſſet; Adrianę ſi fęminea : ac memoratum tantùm nomen ipſius,eſſe ſui tormentum. Cæterùm, quid in energumenis liberandis exercuerit ipſe poteſtatis , alio loco narrabitur : Satis nunc fuerit, aliqua tantùm libaſſe,imperij quod ipſe viuus in dęmones exercuit.

RELIGIO.

CAPVT XVI.

EX his ſpiritualium donorum gazis,quibus anima ipſius intimè diteſcebat;in corpus etiam illi agnatum,extima quædam dimanabat ad ſanctitatem formata oris imago : vt vidiſſe illum,par fuiſſet,ac probitatis inſigne domicilium. Id ſemper,ſed tunc maximè explendeſcebat, cùm diuini pęſum officii venerabundus exſolueret : Non enim ſeſſitans illud recitabat,aut inambulans; ſed neque in partem aliquã reclinis; verùm ſummo Religionis obſequio , in genua procumbens,aut erecto corpore,vt Numini cultum , ſibi afflictionem pararet. Stabat autem illi indubia ſententia ; non alio,præter illud,corporis ſchemate, cum Deo eſſe loquendum.Quam,diuina pendentis,figuram, cùm S.Carolus Mediolanenſium Archiepiſcopus à ſuo familiari Talliaferro , cui Andreas erat à confeſſionibus,audiſſet narratam;& imitari ſtuduit,& ad ipſam,cęteros quoque ſuæ Prouinciæ Eccleſiaſticos,publico ſcripto inuitare ; vt compertum nobis eſt,ex eodem Talliaferro,qui pro teſtimonio dixit.

Inundari autem ſe ſuperçeleſtibus deliciis dum oraret ; vbere lacrima,qua plerumque ſolum madebat, declarabatur;& firma conſtantia,nec per ſummi doloris atrocitatem , à pſallendo deſiſtendi;interno nimirùm gaudio,quod exinde eliciebat,dolorem omnem ſuperante. Adſtabant etiam iępius,oranti,cælitùm copiæ, quos ille clariſſimo oculorum obtutu cernebat exultantes , & externa quoque ſpecie ad

carmina

carmina ſacra geſtientes Tot in ſenio expertus, macerabatur immanè, memoria eius quod olim ſibi antequam ſpiritus dulcedinem guſtaſſet, in ſęculo non ſemel obtigerat, diurni ſcilicet officii penſo, oſcitanter aliquoties perfuncto: nec aliud offerebatur męrenti ſolatium, quàm ſępiuſculè eodem die, iteratò diuinas illas preces recitare, ſicque veterem noxam recenti ſatisfactione delere.

Non minore animi reuerentia erga Dei verbi auditionẽ afficiebatur: Erat quippe illius audiendi auidiſſimus; nec vlla dicentis imperitia, ab eius auſcultatione intepeſcebat: eùm tamen interea cęteri ſeſſitantes, dicentem audirent, ſtabat ipſe, ac pulpito propior, capiteque vt plurimùm aperto, ſcipioni tantùm innittebatur, extremo ſolùm vitæ ſuæ tempore, ſcamno adhęreſcens. Incredibili autem gaudio exultabat, cùm concionatores vidiſſet; nequaquam blandiloquenti orationi, & ad mulcendas tantùm aures idoneæ, ſollicitiùs vacantes; ſed potiùs, per eloquentiam natam, auctam, & roboratam in orationis feruore, tanquam per admotas faces, auditorum oculos, ad agnoſcenda conſcientiæ vulnera & irati numinis minas, vtiliter illuſtrantes. Pridie concionum, concionaturos adibat; ſciſcitaturus ab eis, quidnam poſtridie populo Dei eſſent cęleſtis panis appoſituri: &, ſi eloquentiam proſpexiſſet, non robuſtam, ſed ſui tantùm oſtentatricem, & pompaticè ſolùm dicturam; illos compeſcebat, & ad concionis mutationem adigebat. *Credite*, dicebat, *Patres, ſpiritu opus eſt, qui non palpet, ſed premat; non leniat, ſed pungat; & ita luctetur, vt etiam eluctetur*. Huius ſpiritus homines optabat ipſe vires ſuas reſumpturos, non alio epulo, quàm ſuimet carnibus in cibum aptatis: ipſe, inquam, qui ſuas, olim eodem labore fatigatas, ſuauiſſimo lupinorum delicio ſolitus erat recreare.

Ad hæc, eximius fuit Sanctorum cultor, quorum nonnullos, ſuffragia ipſorum ambiens, in Patronos ſibi ſelegerat ac Tutelares, eorum natalitia ſolemni peruigilio per ieiunia,

car-

carniſque macerationes præueniens. Principe tamen ſtudio, miſericordiæ Matrem ac cœli terręque reginam venerabatur: Ad ipſius quippe vel nominis memoriam, totus colliquescebat: eius etiam veſtigijs decreuerat, quantum humanæ licuiſſet imbecillitati, inſiſtere ſedulò: &, quòd otij eſſet in ſectator acerrimus, Virginis, dixit, imitamento; nunquam desidiosè dùm inter mortales viueret, feriatæ. Statuerat præterea, nihil ſe petenti negaturum, quod Mariæ nomine flagitaretur. Pendebat ei quotidie, præter eius horarias preces, Roſarij calculos; tanta firmitate, vt ratum illi & indubium fuiſſet, inter temporis anguſtias coarctato, refectionis potiùs, quàm recitandarum precum perpeti iacturam. Dignus profectò cui Beata Parens, grati obſequij teſtamen daret, in admirabili illa duracini Perſici arbore, ipſius manu plantata; decerptis, indecerptis pomis, ſemper quindena referente, vt alias dicemus.

Intendebatur autem hic deuotionis feruor, intercurrentibus eius ſolemnitatibus: Vidiſſes enim tunc hominem cõgeminandis pietatis exercitijs actuoſiùs vacantem, cunctoſque ad Virginis cultum feruentiùs allicientem. Quadriennio antequam è viuis excederet, exeunte Auguſto, à Conſtantia Caracciola Marchioniſſa Caſæ Arboris, ad Oppidum Padulæ, ſexageſimo lapide diſſitum, accitus fuit; ęger ab ægra, & exceptus. Aliquantulùm ibi commorato, reditumque iam adornanti labente Septembri, obſtitẽre medici; ac febrili calore æſtuanti, & pridiano ſanguinis ex ore profluuio, debilitato; certum, ſi abiret, exitium prædixẽre: Sed flectendo ipſius propoſito nihil iſthæc omnia fuẽre; oblatę etiam lecticę beneficium reſpuenti. Suſpicati propterea cuncti, diuinum aliquid in ea contentioſa periculique plena diſceſſione latẽre: & liquidò compertum fuit poſtea; exſtimulatum ſe ad reditum, ob imminens Natiuitatis Deiparæ feſtum, vt Neapoli opem ſuam omnibus poſſet impertiri, & Virginis cultum numeroſiùs promouere; & idcirco deridiculo habuiſſe quaſ-

ſe quaſcumque corpuſculi ſui afflictationes : ſciebat enim illas dæmonis aſtu tunc immiſſas, ad præuiſa mortalium ſpiritualia incrementa inuidè ringentis: Quod reapſe ita fuiſſe,non vana coniectatione arbitrari licuit,intuitu alacritatis & roboris,quibus ille reuerſus ſtatim ſe laboribus impigrè tradidit,nullo ægritudinis periculo.

In hanc etiam humani generis tutelam, omnem ſpem ſuam collocauerat. Ipſam ſpeciali nomine, quòd vna cœli terręque negotia verſet,Negotiatricem appellitabat:à quocumque enim ad opem diuinam efflagitandam interpellatus fuiſſet,*Pergamus*,dicebat,*ad Negotiatricem*. Collato verò ſtudio,eiuſdem ac Filij librans fauores,plus ſe à Matre, quàm à Filio dilectum, exultabundus aſſerebat : quòd hic quidem ceu iudex,cõtineat ſe aliquoties intra ſeuerioris iuſtitiæ fines; illa verò nullo tempore ſui diſſimilis,ſemper appareat,patrocinantis benignitate propitia.Faſſus eſt etiam, nunquam ſe quidpiam ab ea petentem;inconceſſo,mœſtum abſceſſiſſe .

Habebat in vili ac tenui illa cellæ ſuæ ſuppellectili,Deiparæ imaginem,Natum inter brachia complectentis ; huic illuſtria facta,& ingentia miracula ferebat accepta : ſed cùm cętera conticeret,ne quam ſui videretur gloriolam aucuparì,hoc non potuit ſilentio contegere . Nam repentino aliquando inteſtinorum diffluxu crudeliter enecatus, cùm minimè prompta eſſent Medicorum auxilia,ſumma enim nocte difficilior erat ipſorum accerſitus ; ipſe ad Virginis imaginem conuerſus,acerbi doloris illicò factus fuit expers. Tunc audaci fidentia ad quendam ex adſtantibus.*Viden?* inquit , *vt è re ſit Virginis eſſe clientem ac deuotum?* Dicebat quoque huius ſe imaginis ope,in vitæ limine conſtitutum, fore adiuuandum : ac minimè quidem euanida ſpe : in extremo namque illo conflictu cum humani generis hoſte, oculos ab ipſa nunquam deflexiſſe viſus fuit: inque eius attentiſſimo intuitu,ſpiritum reddidiſſe creatori.

Sed erga augustissimum Eucharistię Sacramentum, incredibili rapiebatur affectu. Sexaginta annorum spatio, qui sacerdoti effluxerunt, extremùm tantùm vacillante salute, à celebrando feriatus fuit. Cùm aliquando à morbo esset inuasus, celebrandi ei facultas interdicta fuit. Tunc de ablato ille cordis sui gaudio, dolenter mœrere: manare vbertim lacrimæ, pro vnico doloris sui leuamento: & ostiatim intercessores mendicare, vt cętera consolatione destituto, illa, qua solùm conualescere posset, restitueretur: quæ cùm primùm concessa fuit, velut iuuenili quodam ardore exilire præ gaudio & gestire; cùm etiam interea dum à celebrando fuisset feriatus, quotidie summo mane Eucharistico se epulo per Sacerdotis manus recreasset. Morę impatiens, ob huius cibi famescentiam; primo semper mane celebrabat. Ipso etiam cubiculo vbi degebat, Templo cęteris propior erat. Vicenũ annorum spatio ibi demorato, cùm aliorsum ob fabricę necessitatem esset immigrandum, cellam enixè impetrauit, vnde prospectus in Ecclesiæ fenestras pateret; exinde, amãtium ritu, oculos nunquam deflectens.

In eo verò præpotenti Missæ sacrificio, tantum spei reposuerat, vt inaccessa quęque & desperata audacter subiret, imperterritus penetraret. Impulsus vehementia, vnà cum impetrandi fiducia, hæc illi verba in arduis quibusque eliciebat. *Sinite vt celebrem, tunc porrò quid facturus sim, certo euentu intuebimini.* Tritum est, & sæpiùs nobis narratum; ipso incruentam hostiam offerente, eisdem prorsus pręmissis verbis, de quibus supra, sudum cœlum ac serenum, factum esse pluuium, deturbandæ mortalium periculosę licentię. Quamquam verò quotidie celebraret, spiritus tamen nouitate ad sacrificium semper recens accedebat. Solemne autem illi erat, ad sacram hanc litationem, nunquam inexpiata conscientia accedere: ad eam integræ horæ spatio se apparare: expleta, tantundem insistere precibus.

Cùm sacris operaturus, Templum peteret; hymnum altiuscu-

tiuſcula voce recitabat,memoriale redemptionis noſtræ, in Dominica Aſcenſione ab Eccleſia præſcriptum, *Ieſu noſtra redemptio;* cuius cùm in ſecundam ſtropham deueniret,*Quæ redemptio;* cuius cùm in ſecundam ſtropham deueniret,*Quæ te vicit clementia,Vt ferres noſtra crimina,Crudelem mortem patiens,Vt nos à morte tolleres,*in ea verba, & baculo terram percutere,& quantus quantus erat, contremiſcere, eiuſque ceruix circumacta, quati ac loco dimoueri cernebatur, ob amoris impetum, quo internè corripiebatur & abripiebatur.Coiuit propterea multorum conſenſus,vt idcirco ſacrã eam cantilenam,hymnum ſancti ſenis appellarent; cuius inuocatione recitata,mirabilium erat effectrix.Liceat occaſionem nactis,narrationem hanc anteuertere.

Surrenti,quę Ciuitas eſt in ſinu Neapolitano,in Eccleſia, quam Noſtri incolũt,quòd ibi requies ſit ſanctis oſſibus Antonini Abbatis,in dæmones potentis,pollentis,& inuicti; ſacris adiurationibus cogebant malum hoſpitem, domiciliũ relinquere nobilis cuiuſdam Virginis, quod iniuſtè occuparat.Viſum Sacerdoti,poſt cęteras adiurationes,in hymnum, *Ieſu noſtra redemptio,*expreſsè memorato Andreæ nomine; hymnũ ſcilicet ſancti ſenis illum appellando,ſupplex accumbere.Cùm extẽplò eiulare hoſpes, diriſque lamẽtis deprecari ſui tormẽtũ;&,*Apage,*exclamare,*apage ſenex;ut quid huiuſcemodi etiã te cura tenet?*Exagitatus poſtea ſacerdotis imperio,faſſus fuit,grauibus ſe ſupplicijs tortum; ſenis nempè Neapoli ad D.Pauli quieſcentis,& percuſsum baculo,atque ad fugam compulſum.

Sed,vt cępta proſequamur,diffluebat ex ea ſupcruenerãdi Sacramenti reuerentia; par in ſacratiſſimam Chriſti paſſionem affectus;myſteria,vt dicebat, nunquam diſſociando nexu copulata.Non eo ſolùm tempore,quo Eccleſia eius recolit memoriã;in lacrimas effluebat;ſed diuturniore dolore, quoties patientis Chriſti,vel intueretur imaginẽ, vel audiret,ſeu narraret cruciatus: & cùm narraret,perinde ac ſi tũc gererẽtur,affectu ſuo illos ac ſpiritu animabat. Extremo vi-

tæ ſuæ tempore, quicumq; ſalutaria ſpiritus monita hauſtũ ab eo veniebant, intermiſcẽdo de Chriſti paſſione ſermone, conſultò abſtinebant, ne manantes lacrimę fandi facultatẽ magiſtro interdicerent. Iugi contemplatione intuitus mundi inſidias & illecebras, ſollicitabat cũctos ad defectionẽ ab ipſo: Aſſerebat autem ſatis ad id eſſe, meminiſſe, quo in Dei Filium, odio efferbuerit; quæuè in illum rapido furore fuerit molitus: quantauis enim dilectione aliunde dignus eſſet; hoc vno tamen, perpetuo quiſq; in ipſum odio conflagrare deberet. Quidquid item, ſeu verbo tradidiſſet, ſeu ſcripto; hoc adſpergebat ſale. Eius refricata memoria feliciter aggrediebatur quaſuis mentiũ ærumnas pellere, quoſuis flectere contumaces. Vt importunas à ſe diuelleret preces, quæ leniendo vitę ſuę rigori porrigebantur, id vnũ reſpondebat; *Quãta Filius Dei pertulit? &, quando, vt paria poſſim facere, transfixas mihi ſentiã manus, conterebratos pedes, tranſuerberatũ latus?* Ac ſanctę huius inuidiæ perennitate, æſtuabat pectus eius & anhelabat ad Martyrũ tormenta; interq; eluctantes gemitus, & ſingultientis animæ lamenta, loquendi facultatẽ ægrè inueniens, audiebatur ſuſpirare, *Ah martyres! ah martyres!* Chriſti enim inter cruciatus inſpectu, non alia eius erant vota, quàm vt poſſent corpus ſuũ vngulæ fodere, cruces ſuſpẽdere, ignes lãbere, gladij detruncare, beſtiæ vorare. Exardeſcebat in humani generis malitioſam ferocitatem, qua vultũ, Angelorũ deſiderium & futuri ſęculi delicias, per alapas & ſputa fędè conſpurcarat. Et aliquando conſortem doloris ſui recreauit Chriſtus, ſuas oranti genas obijciendo; non vt olim, tabe ſua languidas, ſed auguſtiſſima ſpecie nitentes, immortalique circumfuſas ſplendore.

Ante ipſam etiã Crucifixi imaginem auditus fuit quãdoque ſolitariè colloqui, & prę doloris ęſtu inſanire, & amãter quęrere: *Cùm te videam ſic crudeliter afflictum, dicito mihi, Bone Ieſu, quid mali feciſti?* Denique hanc patientis Chriſti meditationẽ, beatę ęternitatis ſemitã eſſe ac metã, probè cognoſce-

gnoſcebat: nec aliud profitebatur ſe noſſe & capere, prẹter hunc flagris conciſum, clauis confixũ, lancea perfoſſum. Nequid autem deeſſet, cunctos vndeunde ad Paſſionis deuotionẽ per dulcem ſenſum pietatis illicienti; piè docuit, eos, qui fixo affigi, moriẽti commori; obire ſuauiter, doloris exortes, & nullis confectos anguſtijs, quibus abeuntium ſpiritus vndique circumſtipantur & anguntur; Deiparæ Virginis exemplo, Apoſtoliq; Ioãnis, in Cruce adſtantiũ; quorũ neutri, permiſſa fuit mors ferales nuncios ſuos explicare; ſed ambo velut per dulciſſimũ ſomnũ, naturę tantũ famulati, cõ quieuere.

ZELVS SALVTIS ANIMARVM, ET *Charitas in proximos.*

CAPVT XVII.

ADmirabilis planè in ipſo proficiendi ſollicitudo, ad ſanctitatem cunctos magis magiſq; prouehere ſatagebat: Is namq; zelus pręcordia illius depaſcebatur; ne vlla Chriſti ſanguine redemptarum animarum, per ipſius periret incuriam. Primæ cogitationum ipſius; Dei cultui & venerationi dabantur: ab his proximæ, ſaluti animarum. In Epiſtola quadam ad Principem Mariam Parmenſem. *Quonam*, inquit, *modo, in ſeruorum Dei cenſum aſcribendus eſſem, ſi minimè ex toto percuperem corde, & ipſum etiam ſanguinẽ pro animarum æterna incolumitate effundere? At, quando, meorum grauitate peccatorum, id, auidè mihi ſitienti, iniuriosè negatur; dabo operam, vt ingenti perennique labore, præſto illis ſim, ac ſemper opitulatum adueniam.* Et ad alium quendam. *Et ſi afflictato meo corpuſculo à nonnullis filiorũ meorũ abſum; dolenti tamen animo, ex corde ſemper illis adſum; trepidus ne fameſcens ille infernus leo, circũquaq; cuius fiat deuorator quæritãs; charorum meorũ pignorũ aliquod rapiat. Et matres quidẽ filiorũ corpora ſpiritu deſtituta plorãt amarè; at ego æquiùs, animã*

defleo

defleo, ex qua Christus abscessit ipsa vera vita. Heu quot in mundo naturalem viuunt vitam, Deo interim emòrtui, & gratiæ quæ vera est vita, passi iacturam! Cruciabatur propterea, quòd non vnus ipse, omnibus vbique terrarum dispersis posset prodesse.

Prouocabat sæpiùs diuinam contra se iram, & inuitabat ad flagella; modò peccatrix & præuaricatrix aliorum anima, illa promerita, eorum fieret immunis. Nihil propterea dejectam sui mentem erigebat, nisi concepta spes proficui laboris: hoc ipse palam edicebat ijs verbis. *Inter vitæ meæ frequentes ærumnas, non aliud quidpiam adinuenio solatij, quam, vt, Deo meo primùm super omnia dilecto, animabus tùm valeam esse iuuamini: animabus, inquam, quarum redemptioni Filius ille Patri coæqualis, nullius præterea indigens; tormentorum multitudinem & opprobriorum, ac ipsam denique vitam, libenti animo sacrauit.* Inde conijciebat quisque cùm mœrentem eum cerneret beata miseria alieno peccato tristatum; non valuisse erronem fortè aliquem in viam reuocare: sicuti è contra, ex ipsius lætitia; ad meliorem frugẽ aliquem à via reductum, Christoque adactum. Inassueta enim exultantis species, in ipsos etiam intuentes sese diffundens; lætitiæ pabulum manifestabat; ad saniora scilicet cõsilia aliquem reuocatum, priscum vitæ tenorem eiurasse. Integro triennio, prima quaque vespera, tyronum magistrum solitauit adire; scisscitatum ex eo, de quotidiano illorum profectu; hac tantùm esca saginandus; hoc solùm cibo nutriendus. Inde quoque alacri impulsu adigebatur, ad summa demissione venerandos, quoscunque pro Deo strenuè laborantes. Cùm sęculi nostri Sol, & Ecclesiæ decus Carolus Borromæus occidisset; perpetuo ipse fletu, interiorem, quo premebatur, dolorem aperiebat, & cęteros ad complorationem excitabat. Dixit aliquando. *Cùm diligam ego Deum, eiusq; gloriam quæram; cogor & illos diligere, quorum studio augetur Dei cognitio, & animarum salus procuratur.* Nec fuisset

vnquam

vnquam illaudatos abire insignes verbi Dei præcones; quorum industriæ secundùm Deum, acceptam ferebat copiosã segetem virtutum.

Hæc illum charitas vrgebat,vt laborum molestias nequaquam sentiret. Dies aliquando totos,& impransus, perenni confessionum auditioni dicauit. Familiare quoque illi erat, nequaquam sibi pluuio cœlo ab itinere temperare;& ad vsque genua inter aquarum confluges immergi; inutile putanti,temporis dispendium pati, quod in proximorum salutem posset impendi. Cùm cauendum sibi ab æstuante Sole, nonnulli consulerent; iocabundo responso; *Non ego*, inquit,*cereus sum,qui à Sole timeam colliquefieri*. Aliquoties etiam respondere solebat. *Illius gloriæ labores meos dico, qui supra Solem est, & supra pluuiam; valetque amborum damnis nullo me negotio subducere.*

Cùm ad ęgrotum pergeret,tanto impetu spiritus fuit abreptus,vt miserabili casu,sub carpenti rotis frangendus fuisset,nisi subita solertique socij opera inde fuisset ereptus:Qui cùm ad illum postea diceret; *Quis te,Pater, in hasce redigit angustias? & cur tam pessimè tibi,vitæque tuæ consulis?* audiuit, *Memor esto fili,quanta pro animabus pertulerit Filius Dei:* Hoc namque sępissimè responsum constituebat, vltra quod nulli interceßioni fas erat progredi. Animo enim præditus difficultatibus quibuscumque obluctaturo;interritus in periculis,& in aduersis ridens;Christi proritatus exemplo, animam suam pro alijs optabat ponere. Quoties illi in fętidis ac tetro odore redolentibus locis, erant pœnitentium confessiones excipiendæ? subirato si quem audisset fœditatem exprobrantem: quòd scilicet Dei naribus sciret,peccata graueolentiùs offundi;& suis fateretur fœtorem illum esse quouis Arabico odore suauiorem, qui in proximorum tantummodò salutem inhiabat.

Dictum illi aliquando, nobilem fęminam ad ipsius colloquium exardescere,suis culpis expiandam, & contrą incur-

fantem

ſantem fraternę irę malitiam roborandam. Inquies illum habere cępit; donec opis indigę, opem poſſet prębere . Secretò oportebat illam adire , nam Beati acceſſus peſſimam fratris de ſorore coniectationem ſuſpicioſiùs fouiſſet. Verùm progredi ſenex vel paululùm abſque ſcipionis fultura, non valebat; quantominus ſcalarum tentare ſcanſionem? Et illo ſolum percutiente, patuiſſet occulentis ſe aduentus . Itaque cùm æternę illius ſalutis cura vreretur; ſuæ negligens, abiecto fulcro & pedibus nequaquam valens inſiſtere; cępit brutorum more manibus reptare; & ita ſe ad afflictam detulit , ſiue traxit. Hæc lacrimis è cordis intimo ſalientibus; ſuſpirijs igne diuino calentibus; & inter confragoſos ſingultus tanquam à valido vento excuſſis , factorum pœnitudine Deo fuit conciliata; & Beati ductu , fraternæ ſuſpicioni & gladio erepta.

Bellatorem pręterea ipſius animum pro animarum lucro; non ætas effęta eneruauit; non languens valetudo. Multiplicibus infirmitatibus laborabat, cùm tamen , vt diximus , vix viueret feriatus, qui occupatus deficere neſciebat. Non ſemel præſtolatus medicum, qui ægroto ſibi ferret opem ; ſui oblitus, domo prodibat, prętерlapſuram occaſionem proximi adiuuandi veritus; ni ſollicitior eſſet; magis quàm, incolumitatis ſuę amore illectus. Diffluebant inteſtina inter vias ciuitatis ad charitatis officia properanti, & in ijs adhuc perſeueranti, & vix in aliquo obuio ſtabulo ſeſe curanti.

Porrò hunc charitatis ſuę ſinũ indiſcriminatim omnibus explicabat: cùmq; matronarum domos inuiſeret ; ex infima familia, fęminas accerſebat, quibus ſacramentalis beneficium abſolutionis; non minore quàm illis promptitudine impertiret. Quamquam pręclarum operę compendium exiſtimaret, quoties illa apud pręcelſos viros collocaretur : grande momentum ratus, ſi hi Deo cernerentur conuerſi, aut auerſi: nimirum , quòd ex eorum imitamento , multorum exoriretur virtus; & profectu, irriti redderentur dęmonis conatus, ad eo-

rum

rum perniciem ſeſe ſtudioſiùs enitentis. Votis autem ipſius abundè à Deo factum ſatis, adiũcta ſemper Nobilium caterua, quæ ipſum in ſpiritu ductorem ac doctorem ſequebatur. Conſtans quippe fama eſt; Neapoli præcipuè, vbi diuturniore mora, illi degendum fuit; neminem fuiſſe Nobiliũ, ex quoiuis ſexu, cui non ipſe aliquo ſaltem tempore, à confeſſionibus fuiſſet, ſiue ſpiritualis vitę inſtitutor, ſiue adepti ſpiritus roborator ac fotor. Horum bono, tunc præcipuè ſudabat eius induſtria; cùm tempora appropinquarent, quę nimiùm recepto plauſibili errore, debacchantium furor fœdare ſolet. Tunc enim artes diaboli excutiebat, & in eas armabat probitatem: vel ea, quę pœnitentiæ ſunt conſacrata: nam confeſtim fercula apponebat meditationum in hebdomadas ſingulas. Solemnitatũ etiam celebritates anteuertebat, nihilque intentatum relinquebat; quo ſe illi patrem experirentur; diabolus hoſtem. In futuros quoque morbos, firmis corporibus medicamenta infundebat, & ſollicitabat ſopitas ægritudinis cauſas. Erant autem verba omnia & ſcripta, nõ emedullata & mortua; ſed ſpiritu fulta & vita; vt potiùs ſe amentem optarit aliquando; quã rerum inopem, verborum tantùm diuitem. Mariã certè Parmenſem inſigne illud probitatis exemplum, aliquoties enixiùs interpellauit; vt ſuis apud Deum precibus inſtaret; reddi potius ſe amentem, manuſque ſuas areſcentes; quàm ea ſcribentem, ſeu cogitantẽ, quę facto nunquam expreſſiſſet, ſeu tenaci mentis deliberatione, exequi nequaquam decreuiſſet.

Manabat ex hoc cunctos adiuuandi deſiderio; velut cęleſtis quędam harmonia, per quam quotidianarum actionum penſo, ſtata quęque tempora deſignabantur: tanta enim negotiorum mole non obruendum, oportebat momentorum quoque temporis eſſe comparcum. Diſponebantur autẽ ſic. Binis ſiue ternis horis ante Matutinorum Officia, è molli illo ſtrato conſurgens, ad longiorem orationem procubebat. Quod ſupererat temporis, literarum ſcriptioni dicabat: Tum

Matutinis laudibus in choro intererat : vel priuatim eo tempore eas tunc recitabat;quotieſcumq; ſcilicet recrudeſcentibus morbis,aut viſus acie ob ſenium hebetata, Superioris iuſſu,in cella ſibi eſſet ſiſtendum. Inde ſemihorã in cõmuni mentali oratione inſumebat.Poſt hãc,integra, ad Miſſam ſe apparabat: Tantumdẽ ſacris operatus orationi impendebat. Aegrotos poſtea,qui propiores eſſent,raptim inuiſebat:Tum confeſſionibus in Eccleſia audiendis vacabat; tam pertinaci conſtantia,vt obſeruare quis potuerit, octo annorum ſpatio nunquã intermiſſo,ne vno quidem die (ni lectulo eſſet alligatus) ab Eccleſia illũ abfuiſſe,& à confeſſionũ auditione . A prandio identidem ægrotos & afflictos inuiſebat. Cùm autẽ hos adiret,metiebatur dicendi ſpatia puluerea mẽſura, quæ ei ex cingulo pendebat;ne apud vnum mora protractior,fieret alterius diſpendium.Cęleſtium itaq; orbium imitatione ſemper irrequieto,nunquã vacabat ſubſiſtere aut deſidere . Contulerat autem illi Deus gratiã, vt quòcumq; pedem inferret,non ſine fructu referret;largitus illi viuidum robur iudicij quo ſingulorũ ingenia pertentabat , ſenſuſq; introſpiciebat; & , quod cuique futurum incitamentum,& quibus euerti poſſet machinis,admouebat .

Sed excelluit peccantium miſeratione ; quos panſis charitatis brachijs ſtrictim complectebatur, intraq; viſcera abſcondebat.Audiebat Nobilis cuiuſdam confeſſionẽ,& a cerbo ſtatim fletu in lacrimas effuſus fuit. Ille ratus auditorum ſcelerum horrorem,in cauſa eſſe ploratus; loquendi iam impos,non vltra confeſſionem protendebat.Sed Andreas apud Deum cauſam illius tunc agebat,perque lacrimas ſuas, iratũ illi Numen conciliabat.Cùmq; ipſius diffidentiã aduertiſſet; mixtis fletu vocibus,ad illũ,*Pergito*,inquit,*fili*,*nec formidato*. Verba Nobilem,ſed plùs dicentis affectus ita promouêre,vt ſubita is cõpũctione velut potenti iaculo petitus , omnẽ ſui vitã afflictim & vbere lacrima cęperit deteſtari; ac nõ cogitata tãtũ,ſed prętęritę quoq;vitę acta quęcũq;cõfiteri ac deteſtari,

teſtari,nouãq; ab Andreę hoc tyrocinio feliciter inſtituere.

Aliãs etiam,par iuuenum,moribus tamen diſſimile,ad ipſum acceſſit. Horum alter in omnem prauitatẽ induratus, effronti dicacitate, Religionis inſtitutum ludificare pergebat,ſcommata accerſens in illud contumelioſa. Beati quoq; virtutum,omni exhauſto rubore,palam erat deriſor,eiuſque ſimplicitatis exprobrator,vndecumq; illum velut bonitatis laruã ſubſannans. Verũ,quia ęgra corpora, ſummi medicamenti conatu percelli,exitiale interdũ eſſe ſolet,Andreas ad omnia tacitus,quaſi ſubridens ac tanquam per iocum, leui manu aurẽ vellicauit,tã fœda locuti, & abeuntem dimiſit. Non orationi interea parcebatur;non precationi : nã & cõciliare ſibi iuuenem quærebat,& offenſę atrocitatem,offendentis pœnitudine delere. Et certè,victoriarum victrix & iniuriarũ domitrix clementia;ipſum quoq: adoleſcentis pectus peruicit,ac domitauit. Perendiè enim,non amicitiã modò,verùm & tutelam Patris,anxius viſus fuit optare & quærere; ſed immeritum ſe ac reijciendum veritus,ſodalem ſubmiſit,cuius interceſſu ſenem adiit. Venientem Andreas iuuenem tanquam certiſſimã prędam aſpiciens;dulce colloquiũ, quæſitiſſima comitate internexuit. Adoleſcens perditus, inuiſum ſibi olim ac deriſum,elegit ſtatim animę ſuę ducem. Tertio ad ipſum acceſſu,Religionis amore ſe potenter captũ faſſus,cuius famã paulò ante collutulauerat, in eius cętum propitio Deo,famulatu feliciter perſeuerante fuit aſcriptus.

Eminùs quoq; non cominùs tantùm laborabat eius cura. Crebra enim literarum ſcriptitatione,fouebat abſens,quos non poterat prędens. Labor proculdubio;cui par tantũ vna, perfectaq;ipſius charitas: nõ enim abſq;huius interuentu, tot curis diſtrictus,tot morbis confectus,de abſentiũ ſalute, ſic potuiſſet eſſe ſollicitus,eamq;tã laborioſo facinore procurare. Cùm enim,vt diximus,quęcumq; diei particulæ ſuis eſſent actionibns deſtinatæ;ne ordo inuerteretur,cogebatur ex nocturna quiete neceſſaria diurnis actionibus fatigato,id

temporis ſurripere: vt proinde creditu facillimũ fuerit,quod ipſe ingenuè aliquando Atripaldenſiũ Duci faſſus fuit:*Opto*, inquiens,*vel vna tantùm nocte,ſomni beneficio ad ſatietatem potiri,nec vnquã datur*.Aeſtuabat multoties febri, ſęuientibuſq; doloribus emacerabatur, ſed tabellarij opportunitatẽ nactus, ſiue ſtimulis imminentis proximo neceſſitatis adactus; à ſcribẽdo minimè tẽperabat : ipſo etiam morbi tremore confundente characteres,quos alioqui etiam in deuexa ætate,ſolidos atque concinnos ducere ſolebat. Geminabatur labor,quòd nihil vnquam ad quempiã dabat literarum, cuius non exſcriptũ manu quoq; ſua exemplũ apud ſe retinuiſſet: occulto ſed ſuperno impulſu;vt ſupereſſent veneradæ.Porrò contẽptim de ſe ſentiens;alieno Doctorũ Theologorũ iudicio eas ſubmittebat.Decurrerunt eas extremo vitę ſuæ quadriẽnio;Andreas Piſcara Caſtaldus,Religionis poſtea Prępoſitus Generalis: & ante ipſum,Ludouicus Thomaſius Theologicæ tunc facultatis Profeſſor, ac demum Apoſtolici Palatij concionator : ac inoffenſo vterque pede.

Excerptus ex huiuſcemodi literis fructus,diuina cooperãte gratia,fuit profectò vberrimus.Splẽdeſcit enim in ijs præcipuè ordo,ac ſeries tradendorum,Doctori animarũ perneceſſaria;& ei maximè, cui cum ſęcularibus & humana celſitudine pręfulgidis,eſt agendum;ne ij ſupra captũ offundãtur; infra indigentiam deſtituantur.Sermo pręterea ipſarum,purus putus cęleſtis: conſultò etiam, vt penetrantiùs monitorum tela poſſet eiaculari,abſtinuit perpetuò à quauis quæritandi arte,ſiue conſanguineorum,ſiue Religionis bono, qua poſſet eorũm acies obtundi. Cùm opem ipſius imploraſſent conſanguinei,eamq; ipſe negaſſet , reſpondit ,*Bonis,Bonus quoque Deus,imò & optimus,præſto erit adiutor : malis autem, abſit vt vnquam ego* . Scriptionem præcedebat oratio : hic prius exacuebantur iacula.Diſtulit aliquando literas dare ad Aretium ſuum in Aula Regis Catholici pro Neapolitana Ciuitate agentẽ:ſed prima ſequẽti Epiſtola,ſilẽtij ſui cauſas red-

reddidit: inter quas illa primaria,quòd extraordinarijs curis diſtento,non licuiſſet ſub improuiſo tabellarii diſceſſu, tandi

adactus,non ſemel ab ipſo audiſſe teſtatur;ſe mortuo,magna religione aſſeruandas. Verè : non enim Noſtri tantùm, apud quos in Domo Paulina bis centum ferè ſupra millenas numerantur;ſed exteri etiam quicumq; literarum,immo ſchediaſmatum ipſius,religioſiſſimi fuere cuſtodes . Potuiſſet dicere etiam;Se viuo.Nam de literis prænuncijs mortis Vritani Epiſcopi inter inſigniora illius Cathedralis aſſeruatis, diximus cum de prophetandi dono, quo emicuit : Scimuſque cæteros,theſauri loco cęteras habuiſſe.

Sed non Epiſtolis modò ad proximorum ſalutem ſudabat eius cura; verùm & alijs quoque lucubrationibus.Scripſit enim *in Pſal.*45.& 118.*In orationem Dominicam. In ſalutationem Angelicam.In illud Lucæ, Deſcendens Ieſus de mõte.In illud:Diliges Dominum Deum tuum.In Epiſtolã ad Romanos.In Epiſtolam Iacobi.In ſecũdum librum Magiſtri Sentẽtiarum.Scholia in Summam D.Thomæ.Item De auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.De diuina clementia. De ſpe ac timore.De ſeptem donis Spiritus ſancti.De Chriſtiana humilitate. Directorium Magiſtri Nouitiorum . Ac multa de meditandi arte & materia.Atque Concionum plura volumina.*

Verùm , laborum cumulus hactenus narratus, quos pro animarum lucro ſubibat Andreas,non alia experiebatur refrigeria,ſeu delicias; præter lectuli duritiem , perpetuum ieiunium,vigilias,corporis flagra ; & in inſigniori aliquo patrato facinore,diaboli etiam verbera, inque ſui interitum conatus & tentamina.

De

DE VITA B. ANDREAE AVELLINI CLERICI REGVLARIS,

Liber Tertius.

QVI EST DE EIVS MIRACVLIS, & Apparitionibus.

VIRTVTIBVS Andreæ, Miracula ſubtexenda, & Apparitiones. Hoc eſt, internæ probitati & gratiæ; teſſera & ſignum admirandæ ipſius potentiæ & gloriæ. Anathematum numerus penè innumerus; ſed magis ritè iurati teſtes; admirabilium patratorem inclamant Andream: & multa quoque haud ignari ſumus excidiſſe, quæ aliquorum ſimplicitas contenta præſenti & ſuo fructu, publicis tabulis minimè conſignauit. Omnium, ea tantùm deſcribemus; quæ inſigniora: paritatem item fugientes, atque ex ea tædium. Ab ijs, quæ viuus patrauit ordiemur. Et pluuiæ quidem ſemel atque iterum inductionem, atque ab eius iniurijs tutamen, dum diuini ipſe penſum officij perſolueret, conſultò omittemus; narrata nobis aliâs, dum de orationum ipſius efficacia eſſet ſermo.

LAN-

LANGVOR VARIVS IN PRINCIPE fœmina curatus.

CAPVT I.

DIana Spinella Principissa Sancti Boni, ferè biennium stomachi vitio, labefactata grauiter valetudine; immani etiam capitis ac dentium doloribus afflictabatur. Non curæ, non sumptibus parcebatur: humanæ tamen imbecillitas medelæ, diuina supplenda erat; fuitque egregiè suppleta. Nam, vt ad se visendam accurrit Beatus, efflagitatur, vt viuifico Redemptionis nostræ signo, caput languentis, & stomachum, manu sua velit munire. Negat ille humilitatis antistes, imò indignatur; quòd opinatione sua, è cętu credatur esse Sanctorum, quibus hæc à Deo solet esse facultas impertita. Obsecundata illa in sui despicacia abiectissimo; nequaquam, subdit, se tunc ipsius merita ad libram vocare, sed manibus tantum benedici incruentæ hostiæ tactu venerandis, expetere; certam non elapsuram illi, zelo incolumi, proximi iuuandi occasionem. Hisce stimulis proritatus, affectas partes Cruce signauit, & confestim ægra doloribus omnibus defungi visa fuit, quibus antea angebatur, cunctis effusè admiratis.

AB OCVLO LABORANS, DOLORIS fit expers.

CAPVT II.

ANno sæculari sacro, Catharina Luxania Aloysij Henriquez vxor, equestris, ac pedestris militiæ in Neapolitano Regno Præfecti; diuturno implicita dexteri oculi dolore; Andreæ manum casu sibi obuij exosculata, illa oculum contigit; sensitque statim se dolore leuatam. Sed occupata

nobilium

nobilium matronarum colloquijs,Beati id factum virtute; nequaquam aduerterat. Vellicandæ itaque eius auri, dirior cruciatus affectam partem vexare cępit; qui interquiescere fęminam non sinebat. Ac tunc demum ipsa excitafuit: cùmque memoria teneret B. Ludouici Bertrami, seu manuum, seu vestium attactu, plurima collata sanitatumdona; spem suam roborauit, & Andream quoque eademgratia pollentem. Rogat itaque,iterata ab ipso benedictione ditari; & callidè tunc,apprehensa ipsius dextera,oculum perfricuit; & facta fuit cuncti doloris expers. In sanitatis verò certitudinem,aliquantisper sub sole; &, præcipiti postèà die, ac prima nocte sub dio morata; noctu etiam consueta vitta caput non operiens; ab vtrisque inoffensa fuit; quorum alterutro solebat olim pertinacia doloris augescere. Obsignatas literas huiusce rei testes post Andreę mortem reserandas, Confessario suo tradidit: in quibus verissimè coniectata fuit, plurima eiusmodi eo mortuo ad Dei gloriam vulganda.

SVCCVRRIT PATRIAE INCENDIO *penè extinctæ.*

CAPVT III.

ANdream impigrè Neapoli laborantem, Patrię non occupauit obliuio. Fuit quidem ea sub ipso perpetuę obliuionis periculo; ipsius tamen tutela, sarta ac tecta seruata. Rem sic habe. Oppidum illud Castri noui muro cinctum; fossa quoque,vt moris est, eaque profunda muniebatur: quę congestitia tunc palearum congerie,aliorumque quibus flamma alitur, erat repleta. Siue casu, siue incuria; labente Augusto; quando ardentissimo quoque ęstu cuncta feruebant; cępit ea materies accendi, & illicò emicare feralis flamma,ac victrix in apertum erumpere,impetuque vio-

lento peruagari;ac validissimo Fauonio cita, in tecta domorum,quæ pro regionis more erant lignea,populabunda grassari. Accurrunt omnes : non virorum modò,sed pauentium quoque fęminarum manus adiunguntur auxiliares : Irrito tamen labore: non enim restingui poterat ignis violentia : quin potiùs,aquæ affusu vigescere videbatur & augescere. Ciues terrenorum inopia remediorum , cœlestia petunt . Aderat ibi,qui cęteros ad opem diuinam implorandam adhortabatur,Fridericus Auellinus,Beati ex fratre nepos , Ecclesiæ illius Cantor.Hic Victoriam cognatam suam interrogat,num aliquid habeat à communi patruo sibi missum, earum rerum,quæ velut sacra amuleta,contra crebra huius vitæ pericula deuotionis ergo solent asseruari? Negat illa se habere aliud,præter paruum numisma (vulgò medaleam) indulgentijs pretiosum,& ipsum ostendit collum suum tunc religiosè cingens.Petit Cantor,icunculam sibi protinus tradi: atque innumero inspectante populo,in voracem illam flammam proijcit,ex ipsa,vt erat, serica vitta pendentem : sed deprecatus anteà summum elementorum rectorem Deũ,vt destitutos proprio,respiceret alieno prædiuites merito.Andreæ nempe illud natale solum fuisse.Robustarum hominem virtutum,pleniſſimo obsequio sibi famulantem , non certè meritum , vt patria miserabili incendio pereat . Posteà ad ipsum Andream conuersa prece : *Interpellatum*, inquit,*à te orationibus tuis millies,tu cæteris propitium reddidisti Deum: aduersum fortè illum tu nobis redde nunc conuersum: atque inuocatu nominis tui statim populatrix hæc flamma desæuiat.Opem enim tuam conciues tui & consanguinei imploramus*.Hac breui completa oratione,fidenter in ignem proiecit numisma.Eius proiectu statim flamma deuigescere , decrescere,vanescere visa fuit ; velut si cadentibus imbribus fuisset extincta.Exhilarati miraculo ; insignis beneficij memoriam tanta tribuentis facilitate,tanta accipientium vtilitate,statuerunt non improba dissimulatione , aut ingrata

obliuio-

obliuione oblimare ; ſed in perpetuas ęternitates fateri , & Andream deinceps velut patriæ liberatorem venerari. Poſtera die cateruatim omnes ad Oppidi mœnia prodiere ; vt ſera curo intuitu, periculum quo erepti fuerant, cernerent. Ibi curioſulus quidam in foſſam deſcendit, perſcrutaturus inter cineres icunculam illam; & deridiculo cęteris eſſe cępit. Sed cùm eam inueniſſet herbæ, quæ vulgò ſpina marina dicitur, inſedentem, ab eadem vitta pendentem, & cum ea illæſam ; ſubleuatis in cęlum vocibus, mirabilium patratori Deo, potentique Andreæ interceſſioni , ab omnibus fuit acclamatum. Numiſma à Victoria ad ſuum hæredem ſupremis tabulis fuit translatum.

APOPLECTICAE, ET SEPTVAGENARIAE, reſtituitur ſalus, protenditur vita.

CAPVT IV.

FVit Victoria Albertina apoplexia correpta : & meritò quiſquam ſeptuagenariæ penè timebat. Cõcors etiam medicorum ſententia, paucula illi vitæ momenta concedebat. Ad eam acceſſit Andreas , morbi atrocitate impotemfandi, impotem noſcendi. Orat aliquantulùm ante ſacramimaginem. Tùm ad filium Fabritium Guindatium, *Bono*, inquit, *eſto animo; habeto tibi matrem tuã ex morbo incolumem , & in plura adhuc tempora ſuperſtitem.* Subridere hic; & longas moras, biduum interpretari . At Sanctus ſenex : *Seriò , iterum dico, vltra quinquennium, vitæ illi lineam protendendam : Et prædico, huiuſce poſteà morbi genere , quo nunc afflictatur, perituram.* Vtrumque factum : & reuixit; medicis oppido admirantibus: &, cùm ſecundus illi à quinquennio flueret menſis; iterum apoplexia correpta fuit, & abrepta.

FEROCIENTEM, AC FVGIENTEM equum, suo baculo compescit. Ventorum vim, elusis nautis suo arbitratu dirigit.

CAPVT V.

REuertenti Beato ex quadam decumbentis domo, transeundum fuit, quâ equorum pulli domituræ subigebantur. Eorum quidam oppidò effrenis, ferociente natura, dissectum sessorem dorso excusserat suo, & in cursum sese effuderat. Nitebatur quisque adstantium & occurrentium, gladiorum etiam euaginatione contra renitentem equulum & calcitronem: nemo tamen effrenis cursum poterat detinere. Casu affuit Beatus: & ferocissimi terricula despiciens, nõ alijs demulsionibus aut palpis, fræni illum insigniter reddidit patientem; quàm baculi, quo substentabatur obiectu. Adstantes qui sibi metuebant, hoc viso, domitricem Dei potentiam per ipsius baculum compertò agnouerunt. Hoc in solo: aliud pariter mirandum in salo.

A Principe Conchensi qui apud Vicum Equensem agebat, inuitatus; onerarium nauigium in littore Neapolitano conscendit; Surrentum tamen petiturum; quod ipse incuriosus, non priùs resciuit, quàm portu relicto, pansisque velis, eius comes aduertisset. Tunc rogare ambo nauclerum, ac flagitare; vt celeri cursu demitterentur ad Equense littus; ipso postea, Surrento commodùm appulsuro. Negat ille; obstinatumque eius animum, nullæ artes, nullæ mollire potuerũt preces. Exclusus à nauiculario Beatus, ad potentiora auxilia promerenda excitus fuit. In ipso itaque medio nauigio in genua lapsus, sacram precem, qua ad Apostolorum opem implorandam, orare consueuit Ecclesia; *Petrus Apostolus, & Paulus Doctor gentiũ*, &c. cũ sua collecta, in qua, de altero calce vndas terẽte, de altero ter mersо ter liberato agitur; erectus in cęlũ recitat. Surrẽtum felicissimus vẽtus nautis dabat:

sed

ſed cũ vix cõpleſſet orationẽ Beatus;ſuſpectũ reddi cęlũ cæpit,ingentique fragore alliſorum fluctuum,triſtiora minari; atque aduerſorum flatuum ſubito exortu, Surrento nauigium pelli,Vicum propelli. Decretis nautarum conſilijs peruerſis,ipſi corrigere curſum nequeuntes, aut intuta mora ſiſtere nauigium,ferri cęperunt quò ventus iubebat. Fracti ergo labore & nolentes,detulerunt Andream ad Equenſe littus;compertim illi faſſi,inaniter ſe contra cęleſte auxilium obluctatos;quo ipſe fultus,vẽtos pro ſuo arbitratu prompſerat.Nauigio Surrentum poſtea petente; ardor ventorum intepuit,& mare quod minacibus vndis intumuerat, ſponte ſua detumuit: vt Andreæ tantùm imperio ſe fateretur obſecundatum.Vix autem prima veſtigia Equenſi ſolo impreſſerat,& ad comitem ſuum,ſalutari eum monito roboraturus, *Vidiſtin?* inquit, *vt ſub Fidei lege, exleges venti ſubacti ſint,& quoquò voluerimus circumacti? Tu itaque ſi ſapis, Fide ſatage cor tuum ſolidare;Fide pectus tuum firmare.*

PLVVIO COELO MINIME IRRORATVR; & ſuperno tunc fulgore illuſtratur.

CAPVT VI.

INter innumeras, quæ Andream in ſpiritu ductorem ſequebantur;vna fuit Catharina Carafa,Friderico Comite Policaſtri ac Iulia Ruffa prognata; & Camillo de Curtis Neapolitani Cõſilij Pręſidi copulata.Hãc aliquandò ſæuiſſimè decumbentem,aſſiduis monitis ad imbecillitatem omnem explodendam roborabat: & cùm,deuexo iam die,inuiſeret; productus fuit ea vice ſermo præter conſuetum à prima veſpera ad tertiam vſque noctis horam; obſtupeſcentibus interim cunctis, qui cęlum fragoribus tetriſque nubibus minitatum procellam aduertebant;imò & ſæuiſſimam iam effuſis aquarum imbribus præcipitans. Indignatis quo-

que

que & obmurmurantibus famulis,dulcedine inertiæ ſuę,quâ priuandi erant,inſtruendo currui occupandi: & ipſum laborioſo famulatu per lubrica viarum pluuio cęlo comitaturi. Per hæc eadem verò,Deus occulto molimine ſtruebat Beato illuſtriorem gloriæ triumphum:Vt ſcilicet, qui nomen ipſius temeraria impudentia auſi fuerant lacerare;eiuſdem fierent poſteà vocaliſſimi præcones. Inde enim diſcedens nullisque precibus inductus,vt curru,qui apparatus erat vteretur, pedibus viæ ſe commiſit multis periculis obnoxiæ; quâ decidentibus imbribus; quà intercurrẽtibus aquis. Id cùm vidiſſet sacerdos, cui nomen Ioanni Paulo Orlandio, qui Præſidi erat à ſacris, & à legum ſtudijs: commiſeratus ſenem octoginta quatuor annorum,iubet vnum ex illiſmet famulis,qui illi prolixiùs apud Dominam protendenti ſermonem,iniuriosè detraxerant,facem accendere;& ipſa præire ſubſequẽtibus, Andreæ nempe medio inter ſocium ſuum Vbaldum Pelliciarium ſenem quoq; octoginta ſex annorum, ac ipſum Orlandium interno afflatu propulſum ad ſenem comitandũ; ambos illius brachia ſuffulcientes.Beatus, pro ſuo more,inter ambulandum litabat Deo pſalmorum ſacrificio. Vix pauculum viæ confectum fuerat; cùm validiſſimo venti impetu fax fuit extincta.Concidere tunc animo ſocij nocte illuni, cęlo pluuio,& vndique denſiſſimis tenebris obſito. Sed repente emicare viſus fuit cęleſtis quidam ſplendor, quo tanquam de cęlo lapſo omnes exhilarati fuere. Is lucidiſsimus, corpus Andreæ circumquàque cinxit; cum;progrediente progreſſus, & ambulanti anteambulo: nec priùs ab eo ſeiunctus,quàm oſtia Domus Paulinæ quam petebant, fuiſſent reſerata.

Dum iſta demirantur ſocij, & illum cuius certè meritis credebant facta,interna reuerentia venerantur; ecce noua ſuboritur illum magis magiſque ſuſpiciendi occaſio. Ipſum enim circumſpectantes; obſeruant, validiſsimorũlicet imbrium caſu,veſtibus tamen haud madefactũ,

imò

imò ne calceis quidē quamquā aquarū cōflugibus immersū: putantque beatis iam ſpiritibus fœderatum, eorum quoque patrocinio contra eas tempeſtatis iniurias meritò tutatum: quod non niſi impudenti audacia de ſe poſſent opinari, mundanis fœcibus ſordidatis. Vident tamen, & admirabundi, ſecus eueniſſe. Quotquot enim ipſum comitati fuerant, veſtes apparuere nequaquam pluuiali aqua madefactę: ſed neque calcei collutulati; tanquam ſi ſub maiori cęli clementia & ſereniſſima tranquillitate expatiati fuiſſent. Domum reuertentes; Deo abundè remunerante Andreę prę-ſtitum obſequium; ſimiliter ab aqua intacti omnes fuerunt, & illęſi.

Fuiſſent autem iſta, iniurioſa obliuione tumulata, niſi fuiſſent nouis poſteà miraculis cumulata'; quę hic nobis ordinē anteuertentibus ſunt narranda, ne coniuncta ſeiungamus. Nam Vbaldus, penè centenarius, antequam exquiſitiore cura à Reuerendiſſimis Epiſcopis Sanctę Sedis Apoſtolicę Subdelegatis, Andreę geſta ad examen vocarentur, diem clauſerat ſuum. Cuius funus, quòd Beati perpetuus fuiſſet comes, frequenti hominū turba cohoneſtatum fuerat; nō futili opinatione coniectantium; coaluiſſe iam in Beatorum ſedibus, eorum animas, quorum corpora aſſiduo hic fuerant ſodalitio ſociata. Sed vide Dei prouidentiam.

Orlandius, Pręſide è viuis ſublato, & Catharina in Monaſterium D. Marię de Sapientia recluſa, Pręfectū agebat Hoſpitalium ędium Sanctę Marię de Patientia, à Fundatore, Cęſareę nomen ſortitę. Illuc aliquando ad decumbentem, Andreę biretum delatum fuit, propellendis morbis potentiſſimum pharmacum. Eius occaſione obortus eſt ſermo de Andreę virtutibus, Orlandio cęleſte hoc lumen ſupernumq; à pluuia tutamen celebrante. Non defuēre ex adſtantibus, qui audita, ad Noſtros deferrent. Interea Orlandius domeſticis curis exſtimulatus, Squillacium, quę eius erat patria, cogitat. Conſtituto profectionis die, currum quęrit, quo

poſtri-

UNIVERSITARIA GRANADA

postridiè in Salernitanum littus pręteruehatur, vnde posteà vela nauigationi pandenda erant: curru autem minimè reperto, Neapoli adhuc detinetur. Eo verò prorsus die, quo vnico, pręter votum hic illi morandum fuit, accessére ad ipsum Nostri; rogatum, vt quæ de superno illo lumine sciret, sincerè & pro vna Dei gloria apud Episcopos vellet testificari. Multorum, ait ille, se conscium; sed maturata in posterum diem profectione, præpediri se ab ipsorum legitima attestatione: breui reuersurum: & cuncta publico testamine vulgaturum. Illucescente crastina, conscenso curru Salernū petit, incertus tamen animi, & occultis stimulis fodicatus: fortè an comperendinatio illa, Andreæ sanctitati quantocyus prouehendæ, esset nocitura. Rogat itaque Deum, vt profectionem, si sit offensura, ipse deturbet. Se quidem paratum, cruciatus quoscunque & languores subire; modò ijs sit illa impedienda: quin & illos vehementer optare; diuinæ tunc voluntatis manifestarios. Ad vesperum, Salernū peruenitur: quò, nauigium quod propridie è Neapolitano portu soluerat, adhuc non appulerat; quare noctem ibi degere cogitur. In ea animi tempestate, inquieto strato negligenter iactatus; concepto nauigationis pauore conterritur ad vsque animi deliquium: tum laterum dolore opprimitur; quem subsequa febris immanius vrgebat. Videt præterea, proturbantibus procellis coortam tempestatem, discedendi negare facultatem. Comperta itaque Dei voluntate, Neapolim cogitat; quod vt primùm decernit, statim resumpto spiritu, febris æstu ac laterum dolore liberatur; & postridiè, Episcopis, quæ hactenus diximus, iuratus testis narrauit.

MEDI-

MEDICI CASVM VERBO MEDICATVR.

In periculoso itinere, socius cuius subijt tergum, eius sarcinam non sentit.

CAPVT VII.

HErculanum petebat cum Iosepho Galdio Chirurgices Doctore. Sibi,& comiti nobiles parauerat equos, rhedarios nimirum,atque adeo succussarios . Galdio seruabatur conductitius,eorum qui ad Ciuitatis portas itinerantium commodo prostabant . Eo tamen minimè ibi reperto; iubet Galdium,equo,quem ipse conscenderat insilire . At secundum hunc sessorem, clunibus suis excussit equus insulturæ impatiens; eiusque caput in silicem quo strata erat via, fortiter adegit. Ad casum ipsius ictu valido penè exanimis, indoluit acerbissimè Andreas ; sed in eo sauciæ mentis æstu, Deum interpellat: tùm iacentem verbo attollit, nihil esse mali, à quo sibi timere debeat,contestatur;iubetque iterum,equum ascendere. Substitit Galdius aliquantulùm, tam subita Dei beneficia adhuc non capiens ; & nouum casum reformidans . Perspecta tamen imperantis sanctitate,intepescente metu,eius iussa exequitur . Ac videt admirabundus,tantillo temporis momento salutem aduocatam: id enim ipse aliorum sanitati assiduam & doctam nauans operam, indubio iudicio de se potuit agnoscere, ac verissimo postea testamine affirmare; doloribus paulò ante confecto,ijs statim defuncto ; in languorem exarsuro, & tantùm non morti deuoto , perfectę tamen incolumitati , nullo pharmaco,ac ne vena quidem laxata,omnimodè restituto . Quàm miro,tàm certo iudicio,potentissimis Beati precibus id obtentum .

Cùm aliâs ad eundem locum lembo veherętur ; nauta contemplatus hominem perpetim cęlestia meditatum , velutque extra se raptum ; putauit se feliciter nactum , cui

callidè posset imponere , quidquid ad nauicularíam extemplò instaurandam conduceret ; non dissensuro , nec obstituro . Ementita itaque Herculani vicinia ; demittit eum cum socio suo , in proximum littus , quod vno , aut altero etiam milliari ab Herculano distabat : conuersaque prora , cito cursu Neapolim petijt . Iter aggressi , in destinatam se viam flectere nequibant : diuturna quippe fluctuum allisione , instabilis aquæ moles viam omnem occluserat . Præmisit socium exploraturum , quà possent transire : Refert hic , esse cuncta aquis obsita , & viam per confragosa esse quærendam . Non aliud offerri consultius , quàm , vt expertes viæ , Neapolim redirent ac pedites ; iam enim nauigiolum se inde proripuerat . Andreas , fluxam nauicularij fidem non accusans ; effusa vi spiritus , qui intra præcordia ad orationem incaluerat, mandat socio , vt se in humeros sublato , in destinatum locum concedat . Renuebat is aliquantulùm , causatus virium imbecillitatem ; quòdue , qui solus nihil in acerrimos fluctus & instabile fundum potuerat , quidpiam valere desperaret , sub alieno pondere ingemiscens . Pro imperio tamen , loquentem reueritus ; sustulit eum in humeros suos . Mirabile fuit, per ea loca , quæ priùs auia videbantur , tanquam per plana & peruia , felici gressu incessisse . Mirabilius , debilem & valetudinarium , Andreæ pondere in se collabentis , non oppressum ; eius superiniectu non fatigatum ; sarcina illa minimè grauatum ; expedito gradu bina ferè confecisse milliaria ; penè ambigentem , hominis-ne terrea adhuc compage circumamicti , esset gerulus ; an alicuius , beatitudinis iam dotibus donati.

IN PARTV, ET A PARTV LIBERATAE; alijsque languoribus, aliæ.

CAPVT VIII.

HYppolitæ Capyciæ Piſcicellæ, feſtino gradu mors propinquauerat, in partu implicitæ, ad eiuſque nixum, per multos dolores ſe conanti. Varijs medicorum ſuppetijs, quæ vndique arceſſebantur, nihil proficientibus; aduocatur Andreas: & cumulatiora præſentiæ ſuæ merita exhibet. Incolumitatem namque Matris deſpondet, & maſculeam ſobolem: quam illa ſtatim edidit: viditque ſalua, ſaluam.

Victoria Lagni, à puerperio quo maſculum enixa fuerat; vehementi cępit capitis dolore diſcruciari: vt non ſomno quieſcere, non ad loquelam poſſet vocem aliquo modo promere. Certa interitus; & ſupremis tabulis hæredem ſuum inſtituerat; & faſſa noxas ſuas, extremis animæ ſubſidijs mox erat munienda. Vir eius Io. Baptiſta Rota, principe ſtudio venerabatur Andream. Imaginem quippe eius, quamquam mortalibus adhuc exuuijs intertexti, apud ſe habebat, interque cęteras ſacras, religiosè colebat. Quod & Beatrix quoque Tolfia, & Iulius Cæſar Caracciolus Celentiæ Dux factitabant. Hunc rogat enixiùs, vt penè morienti vxori, opem diuinam, quæ vnica quærebatur (humanæ ſiquidem puerpera erat impatiens) velit adprecari. Adeſt Beatus; in orationem procumbit: tùm ſalutari crucis ſigno ægræ fontem ſignat; ac ſtatim illi dolor omnis euaneſcit; & paulò poſt integra ſanitas redit; cuius ſe vadem afflicto marito conſtituerat.

Diù quoque ſub apoplexiæ languore ingemuerat Lucretia Suardia; eius malignitate, ſiniſtra ſui parte vndequaque ſtupente ac rigeſcente. Naturæ ſubſidia fructuoſiùs pedi applicata; ipſum fecerant motionis & greſſus pa-

tientem ; at brachio prorſus inutiliter : & iam octauus menſis numerabatur, ex quo valere iuſſa fuerant . Cancro inſuper illud exedente , non ſolùm inutilis functioni ſuę manus reddita fuerat,ſed timebatur etiam , illud abſcindi, & amitti ; aut vitam debere . Superuẽnit aliquando tabeſcenti Beatus , & contra deſidiam ſuam indignatæ;ipſam increpans,& obiurgans : quaſi non morbi neceſſitate , ſed inertiæ dulcedine , deſidioſa iaceret; ac manum interea ipſius apprehendit, & valdè perfricuit. Senſit illa ſtatim , exſuccam manum ſanguine impleri;& paulò poſt perfectè ſe ſanatam agnouit.

Trino menſe antequam è viuis excederet Beatus ; in vltimum vitæ diſcrimen prolapſa Iſabella Genuenſi octenni puella vnicoque parentum ſolatio ; ingemiſcentes hi , tanquam ad ſupremam opem,ad ipſum procurrunt ; rogatum,vt eam inuiſat digneturque mœſtiſſimis ſibi largiri. At ipſe,*Deus eſt*,inquit,*qui hanc,& ſuam ſibi vindicat , & ad ſe reuocat . Vos verò , qui nam eſtis , qui auſu temerario , voluntati eius obnitimini? Flectere* , inquiunt , *irati Dei furorem,eiuſque promeritam in nos ſententiæ duritiem mollire , in tua ſcimus eſſe poteſtate ; ac deprecabundi expetimus . Heu me* ! inquit ipſe ; *Non ſum ſanctus,qui hæc poſſim*. Poſt alterna vtrinque iurgia,decernit , morientis labeculas ſe per confeſſionem auditurum ; nihil obſtitura morbi vi, quæ mẽtem illius aggreſſa,omnem eius vſum interceperat, & enixè diuinam bonitatem ad miſericordiam inflexurum . Sed prius,parentem ad pietatem exciuit,meliore conſilio vitam deinceps ſe traducturum,pollicitatum. Audit,rogat : ſtatimque ſalus ad deſperatam redijt .

MIRA-

MIRACVLA POST MORTEM.

SEd ea iam, quæ Beato Numinis aſpectu feliciſſimus; clientum ſuorum beneficio patrauit; veriſſimo ſtylo narremus: Multò certè dictis plura. Sed hoc ipſe olim, cum noſtro Paulo Mola, familiariter collocutus, Placentiæ prædixerat: ingentiorem nempe miraculorum numerum ſibi mortuo reſeruatum, quàm fuiſſent viuo perpetrata.

NAVFRAGIO EREPTI.

CAPVT IX.

ROma Neapolim appulſurus Frater Bernardus à Summa, Theologus, & Concionator ordinis S. Franciſci de Obſeruantia; iam tenebat medium freti; cùm non per gradus, vt ſolet, tempeſtas inſęuijt; ſed obortus ſubitò ventus; extulit maria; abſtulit, inductis nubibus, cęlum. Remiges, nihil profuturo labore conabantur eluctari rabiem ſali; ſed nequidquam in acerrimos fluctus nitebantur: & nihil ſalutis reliquum arbitrati, ferri cęperunt quà ventus impellebat, circumſtantis mortis intuitu pauidi trepidique. Iam percreſcebat miraculorum fama, quibus Andreas inclareſcebat. Horum memoria excitus Bernardus, Beati patrocinium ingeminat; vouetque illi votiuam tabellam. Quo voto nuncupato; ardor tempeſtatis intepuit, ſtatimque mare detumuit: & mox ille Neapoli appulſus, vitam ſe Beato debere, appenſa tabella, quæ prima omnium ibi ſuſpenſa, conteſtatus fuit.

E citeriori Calabria ſoluerat Franciſcus Artalles de Luna, vt Neapolim peteret (paria enim coniungemus, quamuis tempore, quo euenerunt, ſeiuncta) propitioq; cęlo proceſſerat in altum. Inſana ſtatim tempeſtas exercere maria cępit;

cępit;ventisque inter se pugnantibus iactabatur infelix in auersos contrarios cursus : nec inter noctis horrorem quæ superuenerat,plagam gubernator valebat agnoscere . Obstantibus fluctibus,par cymba desperabatur : imbribus quoque cadentibus , descendentem illam,mare penè contegebat. Semianimes cuncti,& emorientium facie; maximè cùm nauclerum intuiti fuêre,amictu se nudantem, vt minùs periculosè vndis se committeret. Tunc Franciscus , bursam demittit in mare ex aurea catenula pendulam,vbi lintei particula seruabatur,quo sepeliendus Andreas,fuerat inuolutus. Ac statim mitescentibus ventis , tranquillatum salum;nubibusque disiectis horridæ illæ tenebræ dispulsæ;vt,quò deberent appellere,viderent. Vbi portum tenuêre , seruatorem Andream venerati sunt . Tuncque rursus tempestas cępit insęuire: vt illius precibus,illorumque tantùm bono sedatam, omnes liquidò cognoscerent.

BIENNIS PVER AD VITAM reuocatur .

CAPVT X.

EST Neapoli, Petrus Paulus Colellius , quem olim bimulum violaceæ variolæ,exanthimata,ipsa denique apoplexia,expertem vitæ fecerant ; non parentum modò , sed Dominici etiam Gomesij Doctoris medici decreto . Decolor quippe,exsensis,immotus , immobilis, quatefacientium experimento cernebatur. Mater circumstabat in cunis iacentem,vestigans anhelitum , & materna exhibens officia nescienti à quo tam dolenter amaretur. Alter parens , præsentium miserationem prouocabat & absentium. Nam edita ipsius lamenta,Franciscum Salernium probum Sacerdotem aliquantò dissitum exciuêre, vt quidnam rei esset in vicinia percontaretur . Audit infestum & infaustum casum :

accur-

accurrit: vtque patri penè à se aberranti aliquid leuamenti afferret;effugium à tristi spectaculo suasit,& persuasit. Petijt hic D.Pauli Templum, vt de corpusculo ibi sepeliendo exploraret. Sed prius Andreæ sepulchrum venerari voluit, & illic mixtas lacrimis preces pro filiolo fundere. Aderat ibi Sacerdos quidam ex Nostris; qui dolorem ipsius commiseratus, bono illum esse animo iussit: centunculum præterea vestis Beati illi elargitus,quam infanti admoueret. Interea à Salernius,cohibita flentium turba,*Non*,inquit, *quæstibus,sed precibus ad vitam hic puellus restituendus. Andream inuocemus,magnum huius æui miraculorum patratorem; magnum huius Ciuitatis Patronum: en eius imaginem quam colitis. Tu mater aliquid mente concipe,& effare, quod filio tuo rediuiuo voti rea exsoluas: Nos preces easque calidas offeremus.* Iubet itaque ante Beati imaginem lampadem accendi; inque ijsdem cunis puerum ante illam collocat, & cum cęteris in genua prolapsis,illius opem implorant. Et ecce infans olim rigidus, & multas horas mortuus; statim vitam recipit;oscitat;pandiculatur;nutricem inclamat;cibum quęrit: dixisses è somno illum euigilem, non è mortis faucibus ereptum.Pater in spem à nostro illo sacerdote erectus; alacer domum petebat, certa fidentia centunculo vitam filio restituendam. Sed sollicitior Andreas,iam pręcucurrerat,& cuncta perfecerat.Vespera,transibat illac Medicus; nec domum inscendebat defuncto puello sui non indigam:à parentibus tamen aduocatus fuit;compari dolorum,felicitatis suę partem largituris. Redintegrata posteà filio per vestis contactum valetudine,prolem ad Beati corpus sistunt Religionis nostrę habitu indutam,& cum ea denas cerę libras, ac stipem pro totidem sacrificijs, & loculum appendunt designatum mortui domicilium. Sic voto exempti, non gratijs æternùm reddendis.

MI-

MIRVS, ET VARIVS MORBVS IN Virgine Religioſa abducitur,& inducitur.

CAPVT XI.

BIennium totum ſęui dolores Mariam Franciſcam Piſcaram Caſtaldam Monialem ſancti Andreæ Ordinis D. Auguſtini lecto alligauerant,imò affixerant,motionis totius expertem: adeo vt ad ſacram ſinaxim deſcenſuræ, alienæ eſſent brachia expectanda. Multa conſilia ad frangendam morbi pertinaciam adhibita fuerant,& abdicata. Dono tũc Beatricis Tuſiæ matris ſuæ,baculum acceperant Moniales, cui in extrema ſenecta ſæpius Andreas fuerat innixus. Hũc ſibi ęgra vnicum leuamen expetit,& noctem totam artubus ſuperpoſitum ſtrictim complectitur. Senſit verò internoctu,non cupidinem ſolùm,ſed impetum ſurgendi;tentatque in ſpem arrecta,num valeat; & exploratò videt, ſe poſſe. Albeſcente die,nulla alleuante,nulla adiuuante,ſed ea tantùm nixa fultura,qua Beatus olim; inſpectricibus omnibus, viſa fuit odæum petere, ambulare,ſtare.Scandere,ingeniculari; idque toto etiam labente die. Verùm trepido gaudio, metuque ſalutari perculſa, an fortè pro ſuæ animæ bono eſſet ea incolumitas; ſanitatem Andreæ ſuffragio precata, eiuſdem quoque precibus deprecatur; ſi non ſit ſibi profutura. Et ecce nouum miraculum.Dum orat in Templo; extemplò immobilis redditur,irritoque conatu in greſſum cõtendit;nec moueri,niſi alijs adiuuantibus,quiuit. Dolet cętera ſodalium familia,morbi recurſu;non ipſa,quæ pro voto & fructu ſuo id contigiſſe propalauit.

Huic poſtea cùm ab ingenti, & inſolenti dolore ſiniſter oculus eſſet inuaſus, vt nequaquam eum quaquà liberet, poſſet circumflectere;quid conſilij ſupereſſe poterat,niſi eodem illo baculo,trino crucis ſigno oculum impertire? Impertiuit,& eliminando penitus dolori id fuit ſatis.

At

At dexterum,non dolor ſolùm;verùm & ſanguis quo immodicè rubeſcebat,diuexabat,Porrò cereus Agniculus,quẽ Andreas geſtitare ſolebat collo appenſum , ipſi adhibitus ; & illum ſtatim abegit;& iſtum confeſtim exſiccauit.

Grauia item & inſolita aliquando paſſa fuit. Herculaneo morbo ſeu caduco ipſam conteri , nonnemo autumabat . Capitis alliſio ; præcordiorum palpitatio ; oculorum inuerſio;oris contortio;mentis vertigo, vnde fractio virium;cerebri debilitas;& omnium congeries ærumnarum; illo peiora ſuſpicari cogebant. Nec ſemel tantùm aut iterum;ſed quindecies vel ſub vnius horæ ſpatio portentum non fęminam iſtam,illa inuadebant.Quaterno ſodales auxilio,vicariam illi opem exhibebant: & comprimendę,vix totidem erant ſatis.Menſem integrum tranſegerat hoc mortis ſatellitio circumſtipata.Noſtrum Benedictum Mandinam, qui tunc Monialibus erat à confeſſionibus, ſodalium cura coquebat ardenter,penè ſub onere fatiſcentium;& in ipſo iam limine infirmitatum.Itaque ęgram monet; vt enixius Beatum pro ſui incolumitate interpellet;& ligneum cuneum promittit, quo ferreum ille cingulum ſuum conſtringere ſolitus erat . Adhibetur cuneus cordi ; adhibetur & capiti: ſtatimque ipſa iam altera,cruciatu exiliente & abeunte. Virginei olim flammei,caput eius erat impatiens;ſed ligneolo tunc,extra doloris diſcrimen contegebatur.Interea Monialis altera,cui nomen Elenæ Macedoniæ,illud ſibi vſurpante,rurſus Maria fit morbi ludibrium . Reſtituitur, & audit Beatum ter cum imperio languorem his verbis comprimentem,*Quieſcito*,eorumque poteſtate afflictam clientem in libertatem aſſerentem. XIV.Kal.Septembris,ipſo peruigilio D. Bernardi Abbatis,in Paſſionis Chriſti meditationem immerſa,diuinęque voluntati obſequentior; anhelo pectore ex Dei afflatu animato,neglectu voluntatis ſuæ,ipſi & ſoli deinceps viuere ſuſpirabat. Tunc andiuit Beati vocem ſibi dicentis, compotem ſe voti factam,& cęleſti placito ad infirmitates addici

& languores. Cuneum itaque illum quo interquieſcebat, nil morata abijceret, ne quid obicis illi obſtrueret. Animo illa aliquantulùm ſuſpenſo, iteratis verbis eadem repetentem inaudijt. Adhuc verò ſuſpicaci, ne ſic ſibi voluiſſet dæmon illudere; tertiùm illam allocutus, iuſſit rem omnem confeſſario aperire, illiuſque mandata exequi alacriter. Perendie hic ad ægram aduenit, iniunxitque ſacro cibo refectæ, ſic Deum precari: Vt, qua vellet ſe infirmitatum ſarcina grauare, grauaret; modò ſui leuaret onere ſodales in ſui cura penè laxatas. Annuit ſupplici Deus, & cumulatam ægritudinum, ope tamen ſororum, haud amplius fecit indigam.

Varius exinde & acer morbus eam probauit, ſæuis hiſce flagellis ſed ſalubribus flagellatam. Sæpiuſculè enim triduo toto immobilis iacebat, impranſa, impota, impos ſui, & exſenſis. Sibi poſteà redditæ, impeditum os audiebatur & balbum loquens: & vix nutibus, poſt vnum etiam aut alterum menſem, aliena flagitans auxilia, & ſuas culpas incuſans. Pridiè quàm Reuerendiſſimi Antiſtites, Sanctę Sedis Apoſtolicę Subdelegati, ſacrum illud Cœnobium peterent; ipſa inteſtem admittenda his cruciamentis quati cœpit & concuti. Quis ab ea vitam tunc viuente morti conſentaneam, teſtimonium ſperare potuiſſet? Dixit tamen, quia iuſſerat Andreas. Nam ter viſus illi dicere penè morienti, & cum imperio, *Exurge, potes, examine ſubijcienda.* Solebat illa, vt diximus, ſibi reddita, balbucinari: verùm diſtincta tunc voce, prolocuta fuit, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*: Subdiditque inſuetum ſibi verſiculum, *Os meum loquetur laudem tuam:* rata, Beati impulſu, illum ſibi ſuggeſtum. Seſſitauit, ambulauit, ſtetit, collocuta fuit, & omnia pro ſana fecit. Tum ipſos Antiſtites adiuit: adactaque ſacramento teſtimonium dixit, nullo morbi ſigno notata. Abiêre illi, velutq; ad teſtamen tantùm ſuſpenſi fuiſſent dolores, rediêre rurſus, & ingraueſcẽtes illã afflixêre; ſed lætãtẽ, & poſcentẽ per has corporis anguſtias, oſtia ſibi clauſtraq; immenſi amoris reſerari.

CLAV-

CLAVDICANS CORRIGITVR. LATERIS costæ suo loco restituuntur.

CAPVT XII.

IN eodem Diui Andreæ Cœnobio, Eugeniæ Molignanæ tibia & dextram femur decennium vehementi dolore cruciata; satis negotij faceſſebant; & pleriſque yſchiadis morbus videbatur. Greſſus item illi difficilis & claudicans. Nec medicina ſubuenerat, quarum poſtrema, octo annorum decurſum ſpatium excedebat. Allata eo fuerunt, cum icunculis Pontificia benedictione munitis, & Agni cerei fruſtula, cuius Andreas fuerat pius venerator & geſtitator. Hanc ſacram theculam, ipſius patrocinio inuocato, ſemelq; Dominica oratione recitata, & qua Virginem Angelus conſalutauit; tibiæ ſuperponit & femori: ſubitoque omni ſe angore defunctam exclamat, & veterem ambulandi vſum recipit.

Diues hoc cęleſti amuleto; cùm vtrumque illi genu indoleret; aſcenſus, deſcenſus, flexionis, & cubitus impatiens; repetito, prorſus & illicò ſanuit.

Ac tertiùm, cùm quinque dextri lateris coſtæ loco emotæ; ſextum iam illam annum, deſperatis naturæ ſubſidijs, immanibus doloribus feciſſent obnoxiam.

Affectabat hæc, corpus ſuum rigoribos frangere; & eo pręcipuè tempore, quo quadragintadiali ſtatione, Bethleemitica ſtabula Chriſtus conſacrabat; in quorum obſequiũ, totidem ſe diebus crudeliùs optabat afflictare. Nequiuit tamen, verita animæ ſuæ ducem id ſeuerè inhibentem. Sed altero ab Epiphaniæ feſto die; ſęui illam dolores agmine facto aggreſſi; motionis fecerunt impotem, & lectuli accolam. Obſequens ipſa voluntati diuinæ; ne hilum quidem ab eius placitis deflectebat. Ipſo peruigilio Purificationis B. Mariæ; dum Matutinorum penſum exſolueret, inundari ſe cęleſti ſuauitate perſenſit; ac velut in aurem ſibi inſuſurrari, *Qua-*

drageſimus nunc eſt dies, eorum quos tu cupiebas præterlabi tibi moleſta quæque dolenter perpeſſæ. Agnoſce votis tuis ex parte factum ſatis; ægrimonia maceratæ. Craſtino ſtabula relinquet Chriſtus; ac te languor. Poſtera luce, omnis doloris inſania remiſit. Fuiſſe verò Beatum dulcia illęc verba inſuſurrantem; odor ipſe teſtatus fuit, quo plenè cubiculum, vbi ipſa iacebat, refertum fuit: compar omnino ei, cuius ipſa fragrantiam; Beati pedes in tabella depictos exoſculata, & aliâs ſępiſſimè; hauſerat affluenter: & quòd plures ad eius ſepulchrum, preces pro ipſa, compaſſionis illectu fudiſſent; illius aduocaturi ſubſidia; cuius ſuaſu, religioſum ipſa ſtatum elegerat libentiſſima.

INFANS CAECVS LVMEN RECIPIT.

Auditum ſurdus.

CAPVT XIII.

ALbertus Ciminellus, vix expleto vndecimo menſe, quo in lucem editus fuerat; luce ipſa penè orbatus fuit, acri fluxione vtrumque ocellum vexante ad vſque puſtularum eruptionem. Adhibiti medici medicęque, nulla ſpe ſalutis. Niſi quòd harum vni viſum, & audaciori, manuum preſſura ſtillantem ex oculis ſanguinem prouocare. Quod cùm ſecunda & tertia fieret vice, ac dexteri refrigerio; gliſcens fluxio in ſiniſtrum incùbuit, & palpebrarum caruncula callum obduxit; quas oculo adhęreſcentes ac iunctas, diuellere infans nequibat. Flebat amita; cruoriſque exterrita nigredine, qui ex preſſura ſtillabat; prementem inhibuit. Humanæ iam opis inops, ad Beati ſepulchrum puerũ defert, & offert; preces fundit & argenteum oculorum ſimulacrum vouet. Adſtat Miſſæ ſacrificio: Cùmque Dominicum corpus eleuaretur, puellulus carneum operculum eluctatus; palpebras diducit & lumen admittit; liuoris tantùm veſtigio relicto:

firma

firma amitę fide & multorum qui intererāt; Beati manu plabecula oculus obtegi creditus eſt: iterum ad ſepulchrum: & contactu reliquiæ Beati, illa ſtatim euaneſcit.

Franciſco Mariæ Sifulo ſeptenni puello, recentis morbi malitia vtramque aurem obſtruxerat, corruperatque. Indu- ſtriè fecerant omnia Medici integro dierum quindecim ſpatio; ſed euentu irrito: quare filium ac nepotem, Angela Suardia, & Iſabella Concublet, in geſtatoria ſella ad Paulinam Aedem mittunt, & cum eo Sacerdotem qui puerulo à primis erat literarum rudimentis; venerandi cruoris attactu, qui ex defuncti Andreæ corpore manauerat, aurium vſum recuperaturum. Fortè Domo tunc aberat, qui hierothecæ cuſtodiæ prefectus erat. Quare alter ex Noſtris, qui ad Beati ſepulchrum orabat, in ſurdi aures, ſacra eius pignora quibus collum ſuum ornabat, immiſit: quæ nulla mora audiendi operculum excitarunt.

Eodem aliâs malo Catharina Creſcia liberata fuit, ſed veſtis centunculo, qua Beatus olim indutus.

MVLTIPLEX SANITAS ADOLESCENTVLAE varijs morbis ad mortem vſque confectæ.

CAPVT XIV.

PLura continet miracula, quod erga vnam Hieronymam Corſariam geſtum fuit, inſigne Andreanæ tutelæ monumenrum. Adoleſcentulam iſtam octodecennem, acerrimi cruciatus aggreſſi fuerant & incogniti. Caput quippè ſuum velut peracuta nouacula iugiter indoleſcebat raſitari: auditionis facta erat expers: nocturna illi diurnaque inquies: corporis totius tumor: cordis anguſtia, vnde rabies, per quam, non veſtium modò, ſed carnium quoque ſuarum fiebat diſcerptrix & laniatrix. Sextus iam menſis ſub his deli-

delicijs miſerrimæ diffluxerat. Non vlcus extimè apparebat, non plaga, cui poſſet cataplaſma aptari, & morbus educi. Varia experta, interno quodam inſtinctu impellitur; vt centunculum veſtis Beati, quem in capſula ſeruabat, adhibeat; omnia illa cruciamenta primo ſtatim contactu, vt ſperabat, exanimaturum. Amita, quæ hanc Neptem educauerat, diligebatque vt filiam; adiecit & votum; ſe, recuperata illius ſalute, per annum ſtipem in pauperum ſubſidia coacturam. Vix lacinia ſiniſtram mammam tetigerat, vbi ceu in proximiore cordis loco poſita fuerat; & velut reſerato fonte, purulentæ ſordes ac fœtidæ, ex ipſa, quino dierum ſpatio perenniter effluxerunt: ipſa interim cordis mœrore leuata, rabieque pacata, medicorum ſcientia obſtupente. Nondum tamen auri auditus; capiti tranquillitas reddita fuerat: imò à decimo die, inualuêre tormenta; & medici opem ſuam fruſtrà eſſe dixerunt; diuinam tantùm implorandam, & ſacri viatici ſumptione, mortem opperiendam. Facit iſtud ægra, illud amita. Quæ triſtis ſpectaculi intolerans, domo prodijt, ſecura promiſſo quod ipſi cętera conſanguineorum pietas morienti aſſidens, fuerat pollicitata: ſcilicet, vt primùm Neptis exceſſiſſet, hoc illi ſtatim ferali nuncio ſignificandum. Prodijt; & Beati ſepulchrum adijt. Quæ ibi lacrimæ? quæ preces? & conſcientiam inſuper purgauit, & ſacra Euchariſtia ſe pauit. Tertiæ iam horę prolapſu, nulloque ad eam mortis nuncio aduentante; ipſa ſecum. *Vt me video deluſam! Vt inſuauis mihi illarum benignitas, quas fidas expectabam! Filiolæ mortem cur mihi abſcondunt; quæ porrò prius vitam reliquit, quàm ego domum? Ergo ad funus illius accurram, cuius intueri exitum non ſuſtinebam.* In domum remeanti, occurrit non unus, propero curſu, neptis ſanitatem annuncians. Illa incredula; *Verborum*, inquit, *hæc ſunt ambages: vultus vos fingitis diſpares rerum euentis; & imitatione lætitiæ, hæc ad me fertis, ne ſubitò peream & in via.* Illuc reuerſa, ęgram videt, iam non ægram: miſcentur gaudia: iterantur

tur amplexus. Ipſa etenim ad Beati ſepulchrum orante, ex altera languentis aure, cui nullus inerat dolor; lapis proſilijt fabali magnitndine, teterrimoque colore; & poſt eum quædam velut conciſi ſcarabei fruſtilla. Qua, niſi Beati manu educente? Nam prodire lapidem naturę vi, aurium panniculo illęſo, & ſuperſtite languente; erat medicorum ſententia impoſſibile. Lapidem curioſitas multorum auidè expetebat, nouum humanę calamitatis teſtimonium: ſed maluit bona amita, incluſum argentea theca, ſepulchro Beati appendere, potentię ipſius triumphum.

At neque miſeriarum hic finis. Adhuc febris eam vexabat, cui extinguendę medicinalis potio propinata fuerat: quę cùm fructum moraretur, addita eodem die altera: imò tertia & quarta: fruſtraneo ſemper euentu. Mortem in limine quiſque eſſe iudicabat. Verùm amita aſſueta tutelarem experiri Andream; ſeptem illi miſſarum ſacrificia vouet, totidemque Sabbathorum arctiſſima ieiunia: ac ſtatim ægra, pharmaca eiecit quibus infelici pondere tumeſcebat; ęſtuque refrigeraſcente, ſanitati redditur.

Huius itidem os, alio tamen tempore, ob diram quandam inflammationem fœdè ſauciatum; obſtructis labijs factum erat locutionis, ac potus impos: illa ſubſtitutis tantùm nutibus reficiebatur: huic inſtillati liquoris ſorbitiuncula ſubueniebatur. Amita non dubitauit nunc quoque Andream ſibi fore propitium. Sepulchrum ipſius ſalutatum aduenit; vnde oleum ex argenteo lychno ibi collucente ſibi comparauit: quo obſtructa labia, illinita; ſenſim diduci cęperunt; ac tertiùm repetita vnctione, tertio die perfectè reſerari.

TIBIAE FOEDVM VLCVS SANATVR.

CAPVT XV.

DIu Cornelia Caracciola ſiniſtrę tibię doloribus affecta fuerat: & ſerpente malo; triennium, fœdo vlcere conficiebatur: quo nouiſſimùm incrudeſcẽte, nullo vnquam remittentis ſeu intermittentis ſolamine recreabatur. Diſcors medicorum chorus; & in ſua quiſque placita obfirmatus: exſiccantia multi, alij lenientia profutura defendebant; acerbiore quidem languentis cruciatu; ſed illuſtriore cęleſtis auxilij oſtenſione terreſtre occupaturi. Sobrinam hãc ſuam cùm ſolatum adueniſſet Lucretia Suardia, miſerata dolentis. *Euge*, inquit, *ſoror, quando ſanitatem expetiſcis; crede facillima conſulturæ. Iube valere tot iurgantum medicorum inuenta: Elige quod tibi ſpero ſaluberrimum. Baculũ iſtum Beati Andreæ, charum viuentis donum, longèq; mihi pretioſiorem reliquo meo cenſu adhibeto; præterea nihil.* Multum ſpei miſerimæ languenti ſubiecerunt ea verba. Noctem totam hoc vlceri malagma apponit, & ſoporata benè quieſcit. Illuceſcente craſtino experrecta, ſenſit ſe doloris immunem. Aduocantur famulæ ad conſueti medicaminis obſequia: perluſtrant omnia diligenter: & claro intuitu vident primùm faſcias nullo pure attaminatas: tum plagam coiuiſſe, & cicatricem accepiſſe. Miraculo omnes attribuunt: meritòque. Nam externo die immobilis & indoleſcens; lecto ſtatim exilijt, ſtetit, ambulauit, abiecit fulcra, ingeniculationis ad vſq; quartam, & quintam horam patiens. Medici adueniunt, & ſe longè ſapientiorem & ſuperiorem Andream acclamant. Suardia è viuis decedens, ſupremis ſuis tabulis hunc baculum ſalutis ſuæ inſtrumentum Caracciolæ legauit, & ſic locupletiorem reddidit, quàm ſi ingenti fuiſſet ditata theſauro.

PVERI PRO MORTVIS REPVTATI, *spiritum, & vitam recipiunt.*

CAPVT XVI.

PAr istud nobilium fœminarum, eodem baculo vitam anniculo puellulo restitutam viderunt. Is erat Carolus Vitus; cui diuturno cruciatu, febris ardor, non pro suo nomine, vitam omnium arbitratu abstulerat. Vitalem namque succum ex materni vberis alimonia, triduò, nulla arte, nulla medela, poterat attrahere. Explorant Parentes si quid adhuc animę insit, & credunt expirasse: colore enim teterrimus erat, glacie frigidior, cęterisque mortis insignijs phaleratus. Iam de corpusculo terrę mandando cogitant. Mater męstissima inter męstas, mulieres nempè vicinia tota concitatas, in extincti, vt rebatur, puelluli aspectu conficiebatur. Eæ nobiles matronę illac transitantes, vt ad hortum secederent; pietate excitę, accedunt, miserantur, matrem solantur, & erigunt. Altera ipsarum, baculum illum Beari, quo diteścebat, & perpetuo vtebatur membrorum suorum fulcro; infantis ori commodat superponẽdum. Vix istud miserrimis labellis admouetur, cùm palpitare puer videtnr, vagire, & oblatam mammam libare; editisque vocibus confusa circumstantium turba ingeminare auditur, Miraculum; puelloque in multos annos superstite, Andręę beneficentiam iugi gratiarum actione celebrare.

Iterum tale Panormi in Sicilia in Iosepho Xibechio; sed contactu sacri Andreæ ossiculi.

QVIDAM A COEDIS CONSILIO BINA *Beati apparitione liberatur.*

CAPVT XVII.

MVlier nescio quæ, pudicitię iacturam passa, alienum vterum gerebat, quem crescentem varia arte cęlauerat. Maturato fœtu, partus doloribus, sub ipso noctis conticinio quę Dominicam Resurrectionem anteibat, angi cępit & cruciari. Anxia consilij, sibique ac proli si deprehenderetur pertimescens; hominem aduocat sub eodem tecto inhabitantem (seu affinitate coniunctum, seu incautę corruptorem; sceleris certè conscium) & suppetias rogat. Hic priùs Andream, qui tam multis quotidie auxilium esset, vt sibi in hoc discrimine, precatur. Puerpera femellam enititur. Misella hęc, ipsa se vagitu suo prodibat; & ignara ferri, mortisque nescia, hominis iam in se iram acuebat: Qui seu consors mali, sceleri obtegendo, seu honestatis impulsu, familiæ decori consulturus, effera barbarie innoxium iugulum petere decreuit; ac fęcunda crudelitate, perempta sobole, matrem quoque de medio tollere. Hęc illo machinante repentino fulgore illustratur domuncula: & ecce Beatus vultu ad seueritatem composito, *Ah*, inquit, *Fili ecquid malo tuo in hosce insanis; & mactare pertentas, pro quorum æterna salute, è cœlo Christus in terras descendit?* His verbis percellitur impia meditatus: mitescit statim eius feritas: & alteram in consilium allegat fęminam, operi quoq; adiuuam. Obligatur fascijs puella proijcienda eadem hora in Hospitales Aedes proiectitiorum: ascisscitur & alia: itur ad locum: & facula euntibus inter obsitas cęlo caligines iter aperitur. Nondum finis: discrimina iterantur, vt remedia crescant, & salutaria auxilia magis inclarescant. Fax extinguitur, ipsa in media via; & integratur barbaro rabies: periculique malo grassante, vltimis consilijs in innocentem furere constituit.

stituit. Sed prius, O, inquit, *Beate Andrea, nobis succurre*. Dixerat: & ecce inspectabilis Andreas luce vndique circumfusus, & accensam facem manu gestans. *Quid agitis?* ait, *quo pergitis? An ne lumine indigetis? mutuamini, ecce illud;* & abijt. Recreati improuiso accursu, & in pietatis opus roborati; Diuinę, & Andreę tutelę nõ cessabãt grates reddere. Iam Hospitali propiores erant; & se supplicijs, quę in proiectione deprehensis, certa erant, obijcere trepidabant. Tertiùm inclamant Andreæ patrocinium: ac statim circumstipatos se cœlesti lumine intuentur, cuius ductu & comitatu ad locum accedunt, & infantem Genitrici Dei ab Angelo salutatæ, quę in augustissimo illo templo colebatur, vbi proiectitij exponebantur, committunt. Ternione itaque miraculorum, insigne Andreę auxilium declaratum fuit, in eos, qui suę se tutelę fidenter manciparant.

FVRIOSVS MENTI RESTITVITVR.

Casu & ruina quidam liberatur.

CAPVT XVIII.

PRiuatæ sortis homo erat Orpheus Iauanus. Eius res familiaris detrimentum passa, questuum illi causa fuerat & doloris. Pręsentium carentem, & futurorum anxietate sollicitum, ex animi angore febris consecuta fuit; ex ista phrenesis, regula mentis obliquata, rectęque rationis maiestas obliterata. Ingrauescente postea morbo, tanta furiarũ intemperies infelix caput agitabat, vt vinculis illum obstringere cogerentur, vndeunde quęrentem, qua se præcipitem daret. Horum ipse non erat ignarus, nam dabatur aliquando componere se in sapientem. In fugaci illo mentis recursu, non cessabat post Deum, eiusque Parentem Virginem, Andream quoque totis conatibus interpellare. Pietate nobilis cuiusdam fęminę, allati fuerunt ad insanientis vxorem flosculi aliquot, qui Beati sepulchrum exornauerant; interq;

eos vnus ſignatus,cuius ipſe olim ſua manu ſator & exultor.Selectum hęc illius capiti impoſuit, applicuitque naribus; quo facto integrari rationis vſus cępit, & æger profutura non aſpernari: ac mentis iam compos ſupremas tabulas conficere; & ad perfectam quoque corporis valetudinē, nullo alio remedio,paulò poſt redire.

Propridiè ſolemnitatis D.Frãciſci Aſſiſinatis,Cappellam ipſius,vbi & ſodalitas cui nomen dederat, periſtromate ornaturus Marianus Boniannus,ſcalam conſcenderat,ſed breuiuſculam: vtque fieret loco propior, feneſtrę innixus fuerat,quam marmorei lapidis corona cingebat. Ea verò ſtatim quati cępit,ponderis intolerans. Ipſe haud dubius omnem effugiendę mortis ſpem in pręcipitatione poſitam, dat ſe pręcipitem è vicenum palmorum altitudine; ſed cùm prius Andream inuocaſſet. Adfuit hic ruenti, ad ſolum allìſo,ſed illæſo,& à lapidum imbre deciduo in reſupini pectus, inoffenſo. Dimanante fama mortis illius; atrocitas caſus multos affinium ad luctum cõegerat; ſed illam falſiloquentiæ coarguit idem ipſe prolapſus, integris ſenſibus & membris.

PVELLI CLAVDICANTES EXPLICATIS greſſibus erecti.

CAPVT XIX.

IOanni Iauano tenello puellulo, congenita penè fuerat, membrorum infirmitas,& arctuum debilitas,vt pedibus ſuis nequaquam valeret inſiſtere,niſi trepidè & lapſabundè: multò minus ambulare, & circumire. Curando,multa tentarant parentes; & exitioſiùs: prę doloris enim incremento, per ea,feſſitationis quoque factus fuerat impos. Iam domeſtica parentis memoria,Beati meritis menti reſtituti; leui licet notitia,& quæ à puero poſſet expectari, Andreę nomen audie-

audierat,& miraculorum famam. Internoctu,excitato vtroque parente ; *Pergamus*,inquit,*vbi diluxerit ad Beati sepulchrum; ipsum enim dudum teneo fidum sanitatis meæ sponsorem.* Ituros se promittũt & profectò iuerunt. Ibi precati,admouent sepulchro puerum,& statim is moueri cępit;illudq; brachio complectens,circumire: in domum reducunt:explorant quid subalarium lignorum fultura possit ; cernunt , illa explicantem eum gressus suos : Perendino die redeunt , & sepulchrum amplexatus,alterum è fulcris puer deposuit,vno contentus . Tertio postea accessu , altero quoque abiecto lætus & alacer iuit,sine vllo innixu , & cereum , ac subalaria ligna appendit monumenta rei .

Carolus Vaccarius longo pressus morbo,& apostemate renes ipsius exedẽte;cruribus ita debilitatus fuit, vt nec stare,nec ambulare posset;sed proserpere tantùm, manuum nexu laborioso; & soror idcirco in humeros sublatum,quò necesse erat transferebat. Pater,curando, totam pecuniolam consumpserat,nec sanitas poterat adduci . Nonnullorum pietas suasit parenti,oleo ex lampade ante Beatum collucẽte,claudi crura & pedes inungẽdos ; quod cum factum fuisset,statim hic scipione innixus cępit ambulare , & progredi; & post aliquot dies nullo etiam fulcro.

ANGINA, EXANTHEMATA, ET Cephalalgia curata.

CAPVT XX.

BErnardinum nostrum Grasselium,tumens angina intercluſis faucibus,inspirandi aëris,& insumendi cibi fecerat impotem. Ter intra biduum laxata vena, semelq; à scapulis per cucurbitulas sanguis eductus,sanitatem haudquaquam aduexerãt. Spes omnis vitæ in salutari potione reposita erat ; sed hanc æger vomitionis experimento edoctus,

con-

constanter respuebat: retinendæ, vouet Beato quotidianam sui sepulchri per annum inuisionem,& eius profesti ieiuniū. Vota ipsius æquauit benignitas Andreæ : pharmacum quippe placidè ebibit : imò vicit : ingestum etenim postea reijciens,impetu illo,enatas in fauce glandes perrupit,& purulenti sanguis emanatione immunis ipse è morbo fuit.

At sęuior erat, qua Io.Baptista Capycius Galeota Regni Neapolitani Thesaurarius conficiebatur : Ea etenim premebatur, & hic quoque; at ne guttulas quidem aquæ demittere poterat; quomodo pharmacum potuisset, in quo spem omnē suæ salutis omnes collocabāt? Verùm demisit, Andrea iuuante,quem inuocauerāt. Et angina quidē pharmaco facta mitior. At purpurea febris ipsam consecuta, exanthemata & lethargus, certa erant vicinæ mortis prænuncia. Tunc ille, Beati biretum ad se adduci expostulat. Mirum visu; primo eius contactu, velut cultro scindente, rumpitur apostema quo caput vexabatur,& erumpit inde purulentium sordium trilibris quantitas; fluxuque perenni profluit sánguis ex ore, naribusque; & perfectæ paulò post sanitati æger restituitur.

Faustina Caracciola,& Catharina Ordoñez Ortisia, permolesto capitis dolore vexabantur,quanto perferendo non erant;nam vltra patientiam erat : illas quippe interquiescere non sinebat,atque ad inconditos clamores cogebat; non cibo, non somno recreandas: & phręnesis præterea periculum constanti medicorum sententia dolor minitabatur. At contactum infelix vtriusque caput,Beati bireto, statim dolore leuatur; & ad perfectum paulò post sensum plenè restauratur.

Lucretia quoque Manella,cùm ex capite laboraret, diutiusque se timeret,vti consueuerat, dolori mancipatam, simul ac aurantij flore, quo Beati senis effigies fuerat exornata,illud tetigit; pręsens ac subitum sensit auxilium, doloris que omnimodum leuamentum.

Neque

Neque verò,ipſa ferreę catenæ fruſtula, qua ilia ſua conſtringere,ac domitare ſolitus; hac curationum gratia fuere deſtituta . Nam Laurę Rotę ex capite laboranti, ingentesq; eiulatus edenti, non aliud fuit doloris leuamen, præter eiuſmodi fruſtuli contactum; quo, ſine humana vlla opera, cruciatus omnis euanuit,nunquam poſtea redux.

MALVS GENIVS INIVSTO SVO domicilio exturbatur . Gutturis tumor æquatur.

CAPVT XXI.

PVtabatur Ioanna Ciceria conſtanti omnium ſententia vterum geſtare: erant tamen eę mali dęmonis fallacię; cuius illa adhuc neſcia,erat hoſpes;quibuſue is in eius cędę, ſponſum recens deſponſum ſollicitabat . Mutua inter coniuges odia, adeſſe aliquid infernum ſuadebant. Laborantibus multis , validoque imperio inferos exagitantibus, id liquidò fuit compertum . Tandem Beati biretum Noſtris adducentibus obſeſſę capiti imponitur . Et malus ille genius miſerè ſe tortum confeſſus,fruſtraque illi excutiendo conatus , ſannis inſuper ac ludibrijs in eius adductores iniurius, barbaro etiam clangore aduerſus ſanctum ſenem proclamitans,coactum ſe dixit,poſtera die ob eius reuerentiam ſenis, iniuſta poſſeſſione cedere.Nec fallere potuit,cętera mendaciſsimus;vrgebant quippe ſuperi. Eodem itaque prorſus momento,fugęque ſigno,quod promiſerat , inde fuit exturbatus.Vertente anno,redijt denuò eiuſdem domus inquilinus: ſed iam deſierat poſſe latitare ; eodem quippe bireto denuò arcente,abactus inde fuit,& expulſus.

In Lucaniæ Oppido Cancellaria, Dianora Carillia,graui morbo deiecta fuit ; artubus enim impedita, motionis expers, capitis dolore preſſa vehementi , pluſculos dies ita iacuerat.

cuerat. Tumor insuper gutturis accessit non intimus tãtùm, sed extimè quoque in oui magnitudinẽ protuberans: deforme & molestum malum. Frustra medicorum remedijs tentatis; ad Beati huius opem versa, apud quem olim suas labes confessa fuerat, statim eam experitur; capite conualescit, vigorem nouum in corpore sentiscit, æquatur tumor. Famula quæ eam curabat, quarta noctis hora ad eam accedens, inuenit in genua prolapsam & orantem. Aduocatur cętera familia; omnibus apparet sana. Hyppolita Pappacuda oppidi Domina curante, conuocatur cœtus sacro ære monitus, in D. Franciſci, vulgando miraculo, gratijs agẽdis. Exinde oppidani, in suis quisque angustijs, Neapolim itare cæperunt, vbi sacrum Beati corpus asseruatur, noui ac deuoti clientes ad Patronum.

OBIECTO CVIDAM VISO, EDVCIT EX eo Beatus, scelus quadriennali obliuione consepultum.

CAPVT XXII.

CRebrò cùm de Beati admirandis institueretur oratio; ipsum, narrabatur, dum inter mortales degeret, cordis secreta, referante Deo, dilucidè intuitum; & occultum aliquando scelus, quo quis insordescebat, ipsimet pandisse; & sic deprehensum ad meliorem frugem transtulisse. Succendebatur horum narratione Franciscus Damorius, suę salutis sollicitior. Et cùm in Oratorio diuini amoris, in domo nostra Neapolitana D. Pauli, vbi ad virtutes effingebatur, menstrua sortitione, Andreas sibi in patronum obtigisset; non cessabat Beatum votis pulsare, vt peccati vellet fieri detector; si cuius ipse fuisset vnquam contector. Prętерlapsus iam erat decimus dies, huic petitioni enixè incubanti. Nocte, quę illum insecuta fuit, ad quietem composito tale

visum

visum fuit obiectum . Videbatur in templo esse D.Pauli, & expiata conscientia,Oratorium petere: in eius foribus Beatũ adstare, capite radiatum , fulgore circumquaque stipatum, corde igniuomum,vultuque subiratum,brachiorum pansione semel ac iterum ingressu illum prohibentem, tanquam haud integrè confessum:Se verò statim Sacerdotem adijsse, sordibusque purgatum redijsse. Reuersum à Beato monitũ, diligentiùs anteactę vitę facinora sibi excutienda,oblito scilicet sceleris ante quadriennium perpetrati; eius se memoria ictum , accersito confessario illud aperuisse, & mox Oratorium repetentem,nequaquam ibi Beatum inuenisse . Hic experrectus Franciscus,cùm aliquãtulum orationi vacasset, rursus eum somnus occupauit. Denuò videbatur Oratorium petere,& Beatum offerri eodem, vt antea,corporis schemate,benigniore tamen intuitu,ipsum ad ingressum inuitantẽ, sed per ianuæ rimulam: timentem verò sibi à compressione, audisse illum dicentem, per eas tantùm angustias, aditum ad cœlestia patescere : ac deducto postea ostio , salutari pauore perculsum,in Oratorij penetralia introductum : vbi dũ toto animo in ijs quę sibi acciderant esset defixus , & labes elueret suas lacrimarum protluuio; impetus animi membra excitauit . Hęc suæ menti per quietem obuersata , nequaquam fuisse fortuiti soporis deliram speciem ; compertum fuit,ex recursante memoria facinoris , quod verè ante quadriennium perpetrauerat, per obliuionem eousque consepulti. Quare sedulò se ad generalem totius vitæ confessionẽ apparauit,cùmque consuetum quæreret Confessarium , absolutionis sibi beneficium impertiturum,nequaquam istum, sed illum ipsum promptum habuit, quem in somnis viderat obiectum sua scelera excipientem , & expiantem . Sensit exinde Andreæ patrocinio se potenter roboratum ; adeo vt offendendi Numinis , vel in minimo esset metuentissimus. A sæculi postea tumultibus in religiosam quietem translatus; nuncupatis Deo solemnibus votis in eodem D. Pauli

Templo, per annos vndecim inter Nostros versatus; primus è Nostris, post Andream in Beatorum censum relatũ, in cœlos immigrauit; tutelaris Angeli in tremendo mortis agone insigniter protectus auxilijs.

SERICI ET AVRI ADMIRABILE INCREMENTVM, exornandæ Beati imagini.

CAPVT XXIII.

IN Parthenone ab Aurelia Papara instituto, summo studio colebant Andreæ memoriam, cuius sæpe stimulis, ad pietatem fuerant excitæ. Imaginem præcipuè ipsius in Odæo inter cæteras Sanctorum venerabantur. Hanc solebat quotannis Iulia Basurta, vna ex ibi recluſis, flosculis argento sericoue intertextis exornare. Redeũte verò anniuersario die, beatæ ipsius in cœlum immigrationis, instaurando in crastinum obsequio, ea vespera materiam apparauerat, sed parcam. Quouis enim artificio, vix octenos inde conficiendos, nõ ignaua discussione censebat: exiguum vtique numerum circumornandæ vndique imagini. Tunc vna ex sodalibus, operis quoque adiuua, *Quid*, ait, *nimia cura numerum supputamus? Vacemus operi, & instemus; reor enim hunc senem optare circumradiantem vndique flosculis hanc eius imaginem crastino videri.* Vacauerũt, & quadraginta flosculos eiusdem quam designauerant magnitudinis aptauerunt, quantis scilicet ad omnem sui ornatum indigebat imago. Explorant sedulò; num superadiectu creuerit materies: reperiunt; non creuisse: & comperiunt ad Beati gloriam, diuina illam virtute multiplicatam, & cætero sodalium cætui hilarè narrant.

CAR-

CAPVT XXIV.

CARNEAE GLANDES, ET FLOCCVS *oculi auferuntur.*

CAPVT XXIV.

PORtia Caracciola Montis Mileti Princeps, annum iam transegerat, motus, quietis, ac somni expers, ob enatas in sessionis loco glandulas. Futuri etiam trepidatione immaniùs torquebatur. Nam decretoria Chirurgorum sententia, quòd nullus esset lenientium fructus, incisione tentanda erat sanitas, & sectione. At ipsa, recurrente anniuersario eius transitus die, Beati sepulchrum inuisit. Ibi enixiùs eum pro salute deprecata, & suauissimo Eucharistiæ ferculo recreata; certa concipit fidentia; se Beati meritis, fausto illo die sectioni eripiendam. Propridie eius, famula, quæ medicatum aduenerat; videt glandulas à carne secretas, filoque tantùm pendulè demissas: tunc ipsas forcipe incidit, nullo Principis sensu, nullo in carne glandularum vestigio apparēte; vt Beati prorsus meritis id factum, ipsi etiam Chirurgi planè agnoscerent & mirarentur.

Angelæ Marię Columnę caput, in Diui Andreę Monialis, plures carneæ glandulæ ibi enatę acriter vexabant. Doloris ipsa excita cruciatu, bireto quo Beati caput operiri solebat, suum quoque contexit; ac vehementi cordis ardore illius se precibus commendauit. Ad quietem postea se composuit. Cùmque sacro ære pulsante, Virginum cętus ad matutinas preces excitaretur; excita ipsa quoque tentat manu, & complanatum caput videt, sodalium intuitu mirè obstupescentium nullo tumoris signo relicto. Bis postea, vertente anno, ibidem glandulę renatæ; bis item Andreæ inuocatu denatę.

Pompilium Tusium Equitem Hierosolymitanum, amicus ictu ioculari (nam panis micas per arundinis cauitatem in oculum eius dextrum iaculatus fuerat) ferìò reddiderat cæ-

cum : triennio ſcilicet lucifugam ; poſt etiam defluxione vexante ; flocco (Arabum cateracta) oculo obtecto, lumine captum, nihilque prorſus illo cernentem. Nihil reliquum erat in arte : niſi vt acicula, cernendi impedimentũ ex oculi pupilla in eius angulum reiectaretur. Vt primùm hęc, Iaſolini medicorum anteſignani iuſſu, ægri oculum penetrare cępit; & ipſe quoque dilucidè intueri, vniuerſaque adſtantium turba lętari. Sub Chirurgi tamen manu indolenti, ſuperuenit vomitio; ideoque aciculæ parcendum fuit, & ſplenijs oculus obuoluendus ; vt poſt certa temporis ſpatia ijs ſolutis probè videntem omnes viderent. At fefellit euentus: nouo enim ſuperinfluxu, denuò cernendi, vt olim, factus fuit impos. Tentantur alia remedia : ſed nequibat natura mederi. Inuiſit interea ſpe fruſtratum, & iure mœrentem, quidam ex Noſtris, & ſacra cęra, cæteriſque Religionis monumentis, quæ Andreas geſtitare ſolebat, oculum contigit, nõ oculum, ſuaſitque illi, vt redeunte mox anniuerſario die eius ad Paradyſum tranſitus, ſepulchrum ipſius adiret, expiataq; conſcientia, ad ſacram menſam accedens; ab vno ipſo viſum præſtolaretur. Fecit omnia, vouitque etiam ſimulacrum capitis argẽteum grati animi ſignum. Præterlapſu dierum, Pompilij fides haud elapſa, & ipſo octauo anniuerſarij die iam pręcipite ; perfectæ viſioni reſtitutus fuit; medicis palam atteſtantibus, natura & arte ſuperantiorem fuiſſe Beati interceſſionem.

PLVRES DESPERATIS MORBIS EREPTAE.

CAPVT XXV.

IOanni Capyciæ Sconditæ ſeptimus effluxerat annus ſub turpi, & immani vlceris cruciatu. Nõ dies modò ac noctes quietis immunes tranſigebat, ſed furebat violenta, & feneſtram petebat quandoque, qua ſe pręcipitem daret, vita

& an-

& angoribus eruenda. Pharmaca multa prębuerant medici & balnea, ſed moris ergo ; decretorio enim iudicio inſanabilẽ dixerant : conuulſionem quoq; muſſantes deteſtandum ipſis malum. Adfuit, quę ſcipionem fortè tũc Andreę apud ſe habebat ; deque eius vi admirabili in morbis cuiuſque generis depellendis, illam edocuit. Concipit ipſa votum, ſi fiat doloris expers, inuiſuram ſe Beati ſepulchrum, ibique purgata conſcientia ſacro Domini corpori communicaturã, & in tutelam ſe illi perpetuo famulatu contradituram. Arreptoque reuerenter baculo, *Non ego*, inquit, *baculum iſtum abijciam, ò Beate, niſi me malum*, & indormijt. Euigilat mane ſana, & deſperatam valetudinem aſſecuta : domeſticam familiam exſuſcitat ad gaudia : votique rea Beati ſepulchrum adit.

Ad extremum periculi, amburente febri deuenerat Lucretia Carafa Corleti Marchioniſſa, & adeſſe illi ſupremum diem, ipſe quoque vir eius Fuluius Conſtantius Regij Collateralis Conſilij Decanus ſentiebat ; temporis enim prę-uentu, funus parari mandauerat. Ventitabat bis in dies ſingulos ad ęgram, Iſabella Caracciola Aquarij Duciſſa. Hęc, ſpe omni atque humana ope abeunte, *Quando*, inquit, *Medici non proficiunt, proficiet meus Senex* : Et excitata deſperatæ fiducia, ex Beati oſſiculo ſcobinas & ramenta in gelidam immiſit, & ſalutarem hũc potum, penè mortuę propinauit, quem lubens illa demiſit. Hauſtu prerioſi liquoris, liquidò vidit exſenſem ſentiſcere, maculas quibus vultus purpuraſcebat, euaneſcere; & breui valetudinem eius integraſcere.

Trigeſimum diem, acerbiſſimi cruciatus Magdalenã Baroniam Monialem Cęnobii S. Marię de Sapientia exercuerant, alienę charitati perpetuò obnoxiam, quòd ſe prorſus loco mouere nequiret. Adductus fuit ad illam à Confeſſario ligneus cuneus, quo ferreo ſuo cingulo conſtringendo vtebatur Beatus, certiſſimum doloris leuamen. Id ęgrę non placebat patiendi auidę; ſed nec fruſtra repugnare ſuſtinuit;

& illico

& illico experta fuit, quantulocumque pretiosi ligneoli attactu, perfundi paulatim membra nouo vigore, ac doloris expertia, ad suum vsum redire. Andrea autem conciliatore isthæc fieri, etiam Hieronyma Tolosa cœnobij Antistita, quæ superuenerat, aduertebat. Nam illa tantùm pars languentis sanabatur, quam cuneus tangebat, cętera, quamuis proxima, indolescẽte. Et potuit statim ægra, inexpectato gressu quocumque progredi, leui primum fultura innixa, postea pedibus tantùm suis, & validè insistens.

Camilla de Vito, à puerperio stomachi languoribus appetita, per Beati baculum, salutare pignus recuperandæ salutis, in illius robur restitui non desperauit. Nam illo in affectam partem applicato, iis recreabatur; ablato, conficiebatur: adeo vt monita tandem; quem esset liberatorem agnitura, producta applicatione, & se doloribus defunctam, & Beatum cœlitus auxiliarem vnà conclamaret.

Sextum iam mensem vterum ferebat Maria Caracciola Vici Marchionissa: & maximo sui ac fœtus periculo, sãguinis fluxum patiebatur tricenum iam dierum spatio. Quid ageret, cùm Medici, & obstetrices, suis artibus sistendo sanguini non essent? & ipsa interim ceu canum morsibus lacerareturꝰ nisi, vt aucta in Andream fiducia, eius officulum quod argentea theca inclusum socrus sua Aquarij Ducissa venerabunda custodiebat, vtero admoueretꝰ Admouit; stetitque statim profluus sanguis, & prægnantem vitæ ambiguam exitio abstulit. Abortiuit postea in masculum; qui sacro fonte ablutus, & christiani iam gregis, vitam semihora tantùm libauit. Gratulatum aduenicbat nobilissimæ fœminæ, consanguinearum cohors, pro suffectis viribus, & partus incolumitate; sed plus pia mater gestiebat, relatu prolis suæ in filiorum Dei censum, quod Andreæ precibus factum dictitabat, & collaudabat.

In Isabellæ de Ponte languore cuncti spem omnem vitæ euanidam censebant: & meritò, cui quintus iam supra octo-

gesimum

gesimum annum effluxerat. Vnus Rodericus Salazarius, Matris vitam non in calore natiuo collocabat quo iam destituta erat, sed in Andreæ interceſſione. Iubet itaq; lampadem ante illius imaginem accendi; vt hac ipse proritatus veneratione; ægrę, vitę adhuc aliquantulum ploraret. Serum remedium creditum: quin & famula, socordię in lampadis accensione increpata; velut in increpationis vindictã, *O quàm esset*, inquit, *consultius de efferenda cogitare, quàm de inutili hac luce concinnanda*. Sed Isabella tanquam vitalis olei superiniectu; cùm post biduum plenè conualuisset, vixit adhuc superstes in annos binos.

Nunquam ingestum pharmacum reliquo vitę suę tempore potuerat Iulia Barilis retinere, & in eius tantùm retentione, sanitas in periculosa quadam ipsius ægritudine collocata erat. Sed potuit, cùm Beati biretum magna fiducia suo imposuit stomacho.

Hoc item pretioso sancti illius capitis integumento, in maximo discriminis articulo, adiutæ fuerunt nonnullę, egregio adiuuãtis beneficio. Ante partum, Hyppolita Caracciola Comitissa Montis Aperti, tertiùm aborta, feliciter postea enixa. In ipso, Fuluia Monfortia, secundas emittere non valens. Ab ipso, Desiderata Piccolea, in mammarum tumore.

ALII A SCELERE PATRANDO REVOCATI.

CAPVT XXVI.

EFferatæ mentis furore aduersus quendam nonnulli excitabantur; sontem, an insontem nescio; sed concitabantur: in quę rabiei lenimen, in illius ima, ferro quamprimùm descendere, pręcipiti statuerant consilio. Eius vicem neci destinati sollicita Portia Caracciola Mõtis Mileti Princeps, ipsum Andreę commendat; & votum precibus miscet, argenteam se laminam, si sua seruet ope, quem nulla humana

mana poterat,appenſuram. Voto concepto,ſtatim horribile illud vltionis virus,quod illorum penetrali inditum erat, radicitus fuit euulſum,& cruentum omnes animum depoſuerunt.

Iterum tale, ſed illuſtrius. Pergebant vnà ad Sacram Lauretanæ Virginis Aedem nobiles aliquot viri. Rhedarius qui eos vehebat,iniurioſius quippiam in vnum ex ijs patrauit. Feruenti hic acceptę iniurię ſenſu; ad eam reponendam concitante,furebat violentus; incitatumque animum rapiebat in diuerſa. Volubilem ex ſe in procliue,acriùs cęteri impellebant. Decernunt itaque,vbi primùm ad prealtum quẽdam pontem peruenerint;inde ipſum in inſtabilem fluminis fundum deturbare, & fugam inde extra Pontificium limen, in Venetum ſolum adornare. Interim ſecreto ſuo ſatiati,& cogitati ſceleris curis incubantes. Erat inter eos, cui extimè tantùm iſta placebant, ne audiret enervis, iniurięque inultor,intimè nequaquam. Hic ad Beatum ſe conuertit, & preces fundit,efferati pectori refrigerãdo. Audit Beatus:&,cùm eo prorſus loci peruenirent,vbi immane facinus erat perpetrandum, auidus ille vltionis & lymphato ſimilis, ſubita corripitur apoplexia. Contremiſcunt ſocij. Sibi reſtituitur: Agnoſcunt omnes vindicem Dei manum; ac plus iuſto indultum iracundiæ, & mollito pectore omnis vlciſcendi detumeſcit furor.

MVLTA MVLTIS PER BEATI VESTES collata beneficia.

CAPVT XXVII.

PLura attexam Beati veſtibus patrata miracula, prętera ea,quę ſuperiùs fnere narrata. Abundantię Stincę penè ſexagenarię,in iurgantum cognatorum concordia intentę,alter ipſorum cęco furore dextrum brachium confregit,

impetu

impetu non leui, sed quo ossa loco fuerunt emota suo. Confugium miseræ, vetula altera fuit ijs curationibus assueta, sed breue: pauperies quippe ipsius, medicamina abigebat: fuerunt tamen ossa loco suo reposita. Nulla tamen brachij adhuc functione vtebatur: tunc tantùm doloris expers, cùm à collo pendulum gereret. Mensem sic dolenter & otiosè degebat: cùm, increbrescente fama miraculorum, quæ per Beati vestem patrabantur; circumquaque tangit eius lacinia confractum brachium, & confestim solidatur; motum recipit; dolores fugantur; ipsa coram omnibus in genua procumbit, terram exosculatur, & Beatum vnà veneratur.

Victoriam Lagoniſſam in partu laborantem, & à puerperio, contumaci sanguinis fluxu languidam & exsensem; huius vestis contactu scimus incolumem, masculum enixam; ac stante sanguine, sensibus redditam, & sanitati.

Et Io. Baptistam Cicinellum quadriennē puerum, à morbo quo tabuerat, contorta altera tibia recuruum; eius postea intensione & laxatione vndique parem & concinnum, vt ante morbum.

Sicut & biennem puellum Petrum Angelum Brunum à morbillorum morbo, qui faciem ipsius desperata iam salute pustulis & papulis oppleuerant, liberatum.

Et Lucretiæ insuper Corletæ, arentes mammas fęcundatas, quibus Marcelli Lanfranchij filium erat lactatura.

Ac Magdalenam Carrotiam nequaquam abortiuisse.

Andream verò à Porta acri quartana pertinaciter concussum, eius factum prorsus immunem.

Et Christinam Carmignanam è Cappucinarum cœtu ad D. Mariæ in Hierusalem, oculo consuluisse cui incisionem fuerant medici minitati, huius vestis contactu detumescenti.

CALCEO BEATI VARII LANGVORES CVRANTVR; & eius solea atrociores.

CAPVT XXVIII.

ETiam per viliſſima iſta pedum integumenta, multa patrauit Deus ad Beati gloriam, eaque humanis fruſtra tentatis tentandiſue ſubſidijs. Dianoræ de Bottis, infeſtis acerbiſque interiorum doloribus integro die cruciatæ, & vterum gerenti, nequibat natura mederi; applicato tamen Beati calceo, & victus ſtatim dolor, & fęmina quieti fuit reſtituta.

Eadem, ob contumacem ſanguinis fluxum, abortum timebat; & illum concors medicorum & obſtetricum præſagium minitabatur; imò coniectabatur, fœtum ante lucem extinctum, velut funus viuo tumulo contineri; ac deſudare tunc naturam ſanguini propellendo; ab ipſo poſtea, eiecturã matrem onus infelix, ſui tamen certo periculo. Inter eas curas, non abiecit quam de Beati calceo habebat. Petit illum ſibi applicari; & paulò poſt conſiſtente ſanguine è lecto conſurgit; femellam ſuo poſtea tempore feliciter enixa.

Puellus erat huic ſeptennis, qui premente morbillorum morbo, emota mente inſaniens, ad mortem cito curſu properabat. Ab humanis deluſa, ad cœleſte hoc calcei huius perfugium accurrit; videtque ſtatim, mente illum ac ſanitate, ſe gaudio exultantem.

Hęc integer calceus. Quid pars illius? Apud Deliam ditionis ſuæ oppidum in Sicilia, Hieronyma Homodei, apoplexia ſępius correpta, aliquando non longè ab interitu abfuit. Nam à ſacro Paſchatis die, ad vſque ſecundam ab Aſcenſione feriam, inſtillatum tantummodò lac, & eiuſmodi liquores, nec ſine magno conamine, valuit ſorbere. Incrudeſcente poſtea morbo, horum etiam egeſtrix, cœleſtem ſolùm Sãctiſſimi

ctissimi Sacramenti cibum demittebat. Septemdecim dierum spatio sic vitæ ambigua fuit; ingestorum scilicet quorumcumque regestrix. Habebat ipsa frustulum soleæ calceaminis Beati Patris: eo per Sacerdotem, qui sibi erat à confessionibus, guttur sibi extimè contigi rogat; ac tentat confestim, num aquam possit demittere, & videt posse. Expertura in adstantium gratiam, an id naturę vi fieret, ac medicaminum; horum nonnulla curat adhiberi: sed nequidquam: neque enim ea vlla arte valebat demittere. Itaque certa, pretiosa illa solea, talem indi virtutem; ea intima quoq; oris sui contingi efflagitat; quod cùm fieret; persensit guttur sibi ebullire, & efferuescere. Vespere bibit, comedit, ac si nunquam ægra fuisset, & morti proxima. Postridie è lectulo surgit, Templum adit, grates Deo & Beato reddit.

MORBORVM ANIMI MEDELA.

CAPVT XXIX.

PRæstò etiam fuisse Andream animarum lãguoribus curandis, non vno exemplo compertum est. Sudabat quidam in continentiæ palęstra contra turbidas voluptates magnò luendas; nec antagonistam fortiùs colluctantem valebat euincere. Excubabat seriò, ne quæ prauæ cogitationes, voluptatum essent euocatrices; & impurioribus semper facibus vrebatur: interque lamenta perpetua, in præcipiti se collocatum, & ruinæ vicinia dolebat. Vbi primùm, confessarij monitu, corpus suum linea fascia circumcinxit, qua Beatus olim latera sua obligasse, & compressisse dicebatur, statim diuinæ charitatis igne sic cępit afflari, vt nullus esset iam locus immundæ libidini. Fluxit postea illi omne æuum summa cum laude, sine dehonestamento, sine labe.

Sic Hyppolita Carafa, scrupulis, & anxietate intima sua penè depastis, cùm discutere miserãdam tabem non posset,

precarium calculum è Beati Rosario sibi comparauit: eo sinistrum sibi brachium religauit,& animum exedentibus curis exsoluit;in tranquillitatem,eiusque pediſſequam exultãtiam plenè ac statim restituta.

Victoriæ Lagni consanguineus, dysuria penè confectus, dies plusculos iacebat: omnem operam corporis medelæ insumebat,nullam animæ,quam annum iam Pęnitentiæ Sacramento non expiauerat. Hæc Victoriam cura coquebat de illius æterna salute sollicitiorem. Suo, aliorumque suasu è peccati veterno illum excitare non cessabat; procrastinantem adhuc, & quatridui tempus præstolantem, medicorum sententia non sperandum. Quare mittit ipsa aliò spes suas,ac interceſſores dimittit. Andream nocte illa implorat, sponsione adiecta cereorum. Illucescente crastino, ægri nepos è nostrorum cœtu, qui iam duodennio auunculi domum non adibat, ipsum inuisit, & post eum alij, aduocante nemine. Horum verba ad confessionem ipsum exstimulantia,illicò suum sortita fuere effectum. Vix autem peracta confessione, expers statim factus fuit mentis,cui nũquam restitutus,vitę metas attigit, vt sperare licuit,purissimus,& à quatridui expectatione cum sui fructu sublatus.

Quid Marco Antonio Morræ acciderit,experto potenter adiutricem manum Beati;certè incertum. At graue aliquid fuisse ac memoratu dignum,nisi aliorum famæ cõsulendum fuisset,ipsa eius verba,quæ pro testimonio dixit nobilis, senex,& Philippo Catholicõ in Neapolitano Regno Consiliarius,satis dilucidè manifestant;quæ & ipsissima ad Beati gloriam hìc subnectam. *Quod ad me attinet; in extremo quodam casu eoque grauissimo,vbi multum studij & cogitationum impenderam,sed inutiliter, prospectu ingentis damni & irreparandæ molestiæ; prospectu? ingruentia, exque ex hora in momentum; desperato remedio, ad huius Sancti intercessionem confugi: In arctissimo illo temporis puncto quo premebar, sepulchrum eius adiui,& omni tentata humana industria adhuc*

auius

auius remedij, rem ipſi commendaui, eumque compellaui calidè, vt aditum ſibi vni notum, tempeſtiuè reſeraret. Vidi poſt horam explicata omnia, & complanata: ac malum ipſum quod imminebat, extinctum, ac ſi nulla eius vnquam extitiſſet cauſa, nullum principium: Et qua facilitate? Deum conteſtor, me non illius tantummodò, ſed multorum dierum ſpatio, admiratione, ac ſtupore perculſum, ab eius nunquam conſideratione mentem auocaſſe, admirandi prorſus, & ſupra naturam operis. Caſum & euenta ſcio: & ipſas flammas ſubirem huic veritati, & miraculo aſtruendo. Dicerem, niſi aliorum fama me diuelleret. Sat fuerit Confeſſario in confeſſionis ſecreto rem aperuiſſe. Porrò grati animi ſignum, argenteam tabellam Beati ſepulchro ſuſpendi.

SALVTARES ALIQVOT BEATI *Apparitiones.*

CAPVT XXX.

SParſim hucuſque multæ Beati Apparitiones nobis ſunt narratę: Lubet nunc & alias quoque hic, vnum velut in faſcem colligare.

Virgo quędam nubilis, ſiue nuptijs repulſa, ad quas fortè anhela ſuſpirabat, ſiue illas refugiens, quibus à parentibus deſtinabatur; fracta animo, & intimo furore diuexata, odio vitæ qua fruebatur, quęrebat ſollicita quomodo malè periret. Ac malorum perfugium in ſuo collocans exitio, pomeridianis horis ſuperiora domus conſcenderat, vnde ſe præcipitem daret. Iam feneſtram tenebat; iam altero crure, ea ſe excluſerat; iam humero pendulo, tellurem concutienda petebat; cùm ecce Andream improuiſo aduentu vidit aduerſum, manu illum ipſum humerum in ſe ipſam iniquę tangentem, atque ad quietem illam compellantem. Conuerſa vidit etiam alterum parentem affectu ſequaci, curſuque con-

concito,ad certissimam natæ perniciem ictum, & afflictum. Huic narrat tentatum & amatum antea casum, mox Beato iuuante vitatum, Ac Beatum vti certum seruatorem, statim ambo fuere venerati.

Haud sanè multò post, eadem mari transuehenda, vt cęlum mutaret, Andreæ prius se patrocinio commendauit. Inscensa cymba trepidare statim & stomacho languere cępit. Motu metuque circumactum caput dextera excipiens, ad lęuam cymbæ reclinat, eius puppim habens aduersam. Ibi circumspectat illum in genua flexum, preces pro trepida, fundentem & languente: ac blandiloquentia sua muliebrē ab illa pauitationem excutientem, & ipsa in securitatem firmata, abeuntem. Ipsa cùm arenam tetigisset, voluit hęc omnibus esse comperta.

Frater Christophorus Cerratus è cœtu Fratrum Beati Ioannis Dei; cogendę stipi frumentarię diutiusculè sub insalubri cęlo versatus, in febrim incidit, qua se extinctum iri credebat: manum quippe medici admouerant, non remedium; & post eam, octauumque febris accessum, adhuc inquies & cordis palpitatio. Cùm aliquando Dei opem inuocasset, & Sanctorum patrocinia; vigiliæ & sopori medius, senem vidit cano aspectu & rubicundo, circumquaque radiantem, inter quē & vllum ex Nostro Ordine, nihil discōueniebat, apprehensa illius dextera ad sanitatis eum certitudinem erigentem. Cùmque vano Christophorus conatu niteretur ad eius amplexus, excitatis membris, per ingratissimam vigiliam senem amisit. Expergefactus exclamat lætanter, Patris visitatione, qui ad B. Pauli colebatur & miraculis inclarescebat (ad sepulchrum enim eius aliquoties orauerat) se sanatum, ac votum ipsi in gratiarum actionem nuncupat, & in melius processit ad integram vsque ac stabilem sanitatem.

Elato pridem viro Camillo de Curtis Regij Neapolitani Consilij Præside, iacebat in solo, & consolatrices admitte-

bat

bat Catharina Carafa. Huic à ſui præceptionibus quoad vixit nunquam deuiæ, in luctu tunc implicitæ, adſtitit Beatus, & in ſellula prope ipſam aſſedit; tanta oris viuacitate, vt crederet illa, ſe cum viuo familiariter colloqui, & imponere ſibi exiſtimaret, ſi mortuum opinaretur. Sermo ſatis proficuus, pietatis incitamentum & ſtimulus virtutum, atq; ad quinque præcipuè bona adhortatorius, Confeſſionem, Euchariſtiam, Orationem, Patientiam, Charitatem.

Hæc eadem poſtea in Monaſterium D. Mariæ de Sapientia recluſa, vt ſibi olim Beatus prædixerat maritali adhuc iugo præſlæ; velut in plauſum ſuſcepti ſtatus, iterata eius præſentia roborata fuit, vtramque ipſius manum complexati. Cùmque prudenter cauta, & mali dęmonis illuſiones verita, potentiſſimum iſta Ieſu & Mariæ nomen obtendiſſet, illud in expaueſcentis ſecuritatem Andreas quoq; repetijt, ac diſparuit. Eo Catharinæ lucro, vt in audaciam erecta, non dubitarit deinceps ardua quæque ſub eius inuocatu ſuperare, & ſodalium quoque id fructu impetrare.

Fœtum ſuum propediem enixura Laura Gironda, prę moleſtia futuri angoris cruciabatur & perturbabatur. Anceps conſilij, an cum fructu centunculum eſſet geſtiratura veſtis Andreanę quem religiosè aſſeruabat; per quietem viſus illi Andreas puelluli gerulus, quem ipſa exacto iam octēnij ſpatio ſub eius auſpicijs in cęlum pręmiſerat, & ad nixum illā ſollicitare, piæque lacinię vsū. Narrat hęc iſta viro ſuo Marcello Lanfrāco. Adhibetur ſacra veſtis, & morę Laura impatiens è cubili exiliens nullius fulcro maſculum dęmittit. Quem Beatus ante cunas in ſui tutelam ſuſceptum, perenni beneficiorū ſerie cumulauit; & interno poſtea afflatu ad hūc Noſtrorum cœtum per ſacra vota cōegit, vbi ſeſe antea ternio fratrum ſuorum ſacrauerat.

Ioanni Simoni Moccię, febris & animi deliquium ſatis negotij faceſſebant. Eius vicem commiſerata Beatrix ſoror, & viſum prę cordis teneritudine auerſata, in proximum cubiculum

biculum ſeceſſit,& ante Beati imaginem cũ fletu procubuit. Ibi virium receſſu in lectuli ſpondam reclinis,ſenſit leui manu ſibi humeros tangi,ſtatimque Andream vidit hilari voce his eam verbis compellantem.*Timorem omnem abijcito filia; ſanitati enim frater tuus reſtitutus eſt*. Cùmque enitere-tur ad pedum illius amplexus, mox euaneſcentem retinere non valuit, quę valuerat ab illo fratris ſanitatem impetrare.

Lucretia Cacciuttola febri iam confecta, ſacro Viatico refecta,oleoque ſacro extremùm vncta,decretoriam horam expectabat inter ſodales abituram mox animam ſacris precibus comitantes. Beati pileum clericalem, ęgrę admouerant : ſed ea nocte,quæ ſuprema credebatur, eius effigiem, quæ in Parthenonis odęo (illic enim illa degebat) religiosè colebatur, ad ſe iuſſit afferri:allatam deprecabundè amplexatur,& ſanitatem poſtulare inſiſtit.Subloquenti interuenit viſibili aſpectu Andreas ſponſor certiſſimæ ſalutis. Rem illa narrat adſtantibus, febri ſe liberatam agnoſcit, ſtatimque motionis olim inualida, è lectulo nullius adminiculo ſe corripit,perque cubiculum non leui greſſu inambulat.

Ibidem extremè languenti Lucretię Morellę benigniter viſus Beatus. Sed cùm neque capitis nutum neq; oculorum nutum exprimeret,incaſſum ad illa ſeſe ęgra vrgente,inualuit apud omnes, vicinę mortis opinio, & profectò haud multò poſt ea cum effectu ſequuta.

Circumſpectu ſacrorum anathematum, quę ad Beati ſepulchrum appenſa erant, fluctuantium cogitationum ſalo agitari cępit Dianora Claramontia,& ambigere, an totipſius apparitionum teſtamina ſupra verũ eſſent elata, quamuis cętera crederet non vanè fuiſſe allata. In domum reuertit,& ſeptuagenariam matrem pleuritis acutiſſimo ſenſu inuadit, redditque impotem fandi. Triduum iam exciderat, vitaque ipſa mox iam petenda timebatur. Matris certa orbitate indoleſcens filia, ante Beati imaginem, quę alterius cubi-

cubiculi parietem ornabat,calidè orat, adeſtque illicò ex orantis aduerſo Andreas,Eccleſiaſtico amictu (ſuperpelliceũ vocant) indutus,vultuque ſatis hilari,ſpem ipſius extollens. Dum inſtaurare illa preces decernit, accurrit famula læto nuntio reſtitutam matri loquelam aſſeuerans.Ita cumulato beneficio & perſanata mater, & hoc Andreę viſu tanquam validi fulcri nixu,educta filia è tenaci titubationis luto, in quo miſerè defixa hærebat.

Noſtris etiam ſeſe videndum ſępius præbuit Beatus.Surrenti,quæ Ciuitas eſt maritima in Neapolitano ſinu, inclareſcebat miraculorum fama.Hæc pùblicis tabulis conſignãda videbantur. Commodùm ergo, docto cuidam ac probo ex Noſtris Sacerdotibus ibidem commmoranti id oneris fuit demandatum,nimiùs tamen præ cautiore trepidatione cunctabundo.Huic in ipſo ſoporis & vigiliæ confinio, obiectus aliquando Beatus ſubrigidiori ipſum intuitu aſpiciens; vt è contra,benigno pacatoque, alterum quem comitem habebat,& ſuum in illo viſu cingentem latus, quique aſſiduo molimine pro eius gloria nauabat alibi operam induſtriam. Ingemuit ille,& interſtinctum ſe Patris benignitate, eiuſdẽ quoque Religionis filium,lamentabundus dolebat. Lamentanti,expergefactio modum impoſuit. Euigili Chorus pro matutinis laudibus petendus fuit.In orationem poſtea procumbenti, datum intelligi, cunctationem ſuam turbatos vultus Patri effinxiſſe. Quare in audaciam roboratus, trementem illicò mentem compoſuit, ac ſtatim præuidit cuncta peruia & explicata, & reapſe cum ingenti ſuo gaudio perfectè vidit.

Alter inſano hemicraniæ dolore vexatus,& ſtudia valere iuſſerat, & ſacrarum precum penſum quotidianum. Vidit hìc,dum noctu,antequam lectum peteret;diurnas labes ſuas ad examen vocaret, & ſe Beato commendaret enixiùs, ipſum circumquaque ſplendoribus radiantem,& ſanitatem ſibi hilari vultu pollicitantem:ac tanquam ipſa iam adepta,

ad aliorum efflagitationem ipſum excitantem. Lętus itaque periculo exhauſto, dum contra morbos animi, eius implorare opem, eam quoque obtinuit. Beato ſcilicet ad orationem pauliſper intento, ſeque his propemodum verbis roborante, *Et hoc etiam habebis*; & his dictis euaneſcente.

Familiari quoq; occurſu eundem habuit is ſæpius aſpectabilem, ſiue cùm afflicti amici ſtatum ipſi in oratione patefaceret, & quo in diſcrimine eſſet famæ ſub tribulantis propè certa victoria; ſiue cùm ſuus quidam diſcipulus publicũ eſſet ſubiturus ſcholaſticum certamen; ſiue cùm alius triſti cœlo maria transfretaret. Aſpectabilem, & propitium; felicißimis ſemper euentibus, vti Beatus ipſe diſertis verbis promittebat. Sed de alijs alibi.

DE DVRACINO PERSICO BEATI manu plantato.

CAPVT XXXI.

ANno huius ſæculi ſecundo, perniciabili & lethali morbo penè cõfectus fuit Andreas. In eo languoris æſtu, duracini perſici fruſtulis aliquoties ſeſe refrigerauit. Huius poſtea nucleum terræ mandauit, quæ bipalmari profunditate, ſuæ cellæ herbariolum replebat: perenni manus eius irrigatu in arborem is poſtea excreuit. Admirati alij in anguſto ſolo anguſtam plantam, pomorum feracem magnitudinis inſuetæ; Nos pomorum potius numerum ſemper æqualem. Multorum etenim annorum non interrupta ſerie, ſemper fuere quindena: ſiue cùm vento excutiente, ſiue cùm aliquo decerpente, quodpiam ex ijs debuiſſet deſiderari. Bonis ea teſtibus numerata, ac totidem quot in ea Domo Paulina erant Patribus, vt fallax aliquod, luſorium & illuſorium, nemo niſi calumniator potuerit ſuſpicari. Conſtans fuit omnium ſententia, pro pio in Virginem Matrem obſe-

obſequio,& Roſarij meditatione,talia Deum operatum,cuius ille quindenas decades quotidie pendebat, tāta religione,vt inter temporis anguſtias coarctato firmum fuiſſet & ratum, refectionis potius quamquam neceſſariæ ſubire iacturam,quàm ab eius recitatione feriari. Aliqua ex ijs pomis Paulo V.Pontifici Maximo donum miſſa, & Alexandro Peretto Cardinali à Montealto, ac Iſabellæ Infanti Sabaudię,Principi Mutinenſi: & pro ſumma in Beatum reuerentia,pretioſa munera auidè à cunctis ſuſcepta. Porrò ad ſanitatem factos huius arboris fructus,flores,& ipſa etiam folia, quos è pluribus curſim narrabimus euentus, liquidò comprobabunt.

Archangela Maria Pignatella Cęnobij Diui Andreæ Monialis,in capitis diſcrimine, quod ciborum quorumcumque egeſtione,& ardenti febris æſtu ſubierat, ſalutari hoc cibo refecta,extra illud ſtatim poſita fuit.

In Zenobiæ Albanellæ diro apoſtemate, quo ſiniſtra eius manus conficiebatur, trepidantibus medicis inciſione putrem materiem educere,audacior ipſa,cultro deſcendit in ſaniem,& vltrò;ſed cataplaſmate fiſa quo vulnus erat lenitura,perſici nempe huius demenſo,quod ab Hyppolita Carafa fuerat mutuata. Et profectò leniuit, educta etenim ſanie,& vulnus illicò in cicatricem coiuit, & ad ſuetas ipſa functiones ſuas feſtina rediuit.

Eius verò flores ægro capiti ſuo ſuperinijciens Artemiſia Ianuaria cephalalgia cruciata,eo ſe dolore exemit.

Eorumdem autem hauſtu aqua maceratorum, Agnellus Mareſchius materni vberis alimoniā haud exſugens, ideoq; in mortis limine conſtitutus,vitæ,quam vix libauerat, redditur,lactis factus auidiſſimus.

Et Iſabella Fuluiuſque Berlingerij,exſenſes, & apoplexia correpti;ſibi & ſanitati reſtituti fuere.

At neque folijs ea virtus defuit, Andreas namque Staibanus,ſeptimum iam menſem tertiana febri penè expugna-

tus,eorum adiumento,quæ aqua intrita immisit in os,ac demisit,contra illam victor euasit.

Franciscum quoque Penellium è Teuorlatio Auersanæ Diœcesis oppido validè febrientem,medici iam inter desperatos habebant, ac restitui posse abnegabant; ipsum eius hepar credebant absumptum,& ambustum; nec extimè aliquid cernebatur, & vndique inquies,ac necessarij corporis cibatus recusatio. Visum Hieronymo Gueuaræ Oppidi Dynastæ, inter cętera animę prœsidia vnde tantùm salus expectabatur, excitare languentis in Beatum affectum, narrata miraculorum eius multitudine: & illius opem, præeũte sui fidentia,per folium,quod ex eadem ipse arbore manu sua decerpserat,religiosèque asseruabat,præstolari. Orãt primùm aliquantulum, & cum eis Parochus. Huius posteà manu folium iecori superinijcitur, & æger mox excussum dolorem sensit;ad quietem se componit,expergiscitur,dicit se febri immunem,ac postridiè è lecto consurgit,nullo cruciatus aut ægritudinis vestigio.

Excisa postea ob senium planta,quisque sibi fragmenta & assulas ex ea petiuit,& in Cruces ad veneratum, in vasculas, & cochlearia ad cibatum efformauit:ad corporis nempè, & animæ indubiam certamque medelam.

ODOR, SPLENDOR, MOTVS, ET SVDOR in Beati Imaginibus.

CAPVT XXXII.

COenobij Diui Andreæ Moniales,in Beati obsequium sacram quotannis circuitionem instituerãt,cuius imaginem ante Deiparam supplicis circũducentes,eximio cultu illius venerationem excitabant. Hanc instaurantes Idibus Octobris anno huius sæculi sextodecimo, Maria Magdalena Columna,& Anna Maria Caracciola collocutorio Præfectę

& in-

& inſtantes, perfundi ſe inſolita ſuauitate perſenſerunt. Ratę extra religioſa ſepta fragrantiam inhalari, facti certitudinem ab externo viro & probo, qui cęnobio erat à ſacris expectãt. Illo negante; perſeuerantis ſuauitatis admiratæ præſtantiã; à circuitione, cætero ſodalium cœtui rem aperiunt, & cauſam curiosè ſciſcitantur. Illæ ſe quoque affluenter ea delibutas dulcedine faſſæ ſunt. Perueſtigatur, ſi quid odoris incenſum aut ſparſum, vnde ſpiritus potuiſſet afflari; & nullũ eius rei inditium. Luculento itaque omnes iudicio, Andreę vberrimam illam, & incognitam ſuauitatem aſcribunt. Eædem item Virgines, & alię quoque eiuſdem Imaginis pedem quæ publicè colebatur, poſt ſacras preces exoſculatæ & pia deuoti animi exercitia, halantem ex eo odorem perceperũt. Rei frequentia, & excluſum odoris artificium, indubiam cœleſtis virtutis opinationem firmiter illarum animo impreſſit.

Ibidem Anna Maria Grimalda, à cęna cum cæteris ſodalibus ad orationem in Odęo conuenerat. Receſſerant cætęrę, non ipſa, & protenſiore adhuc prece cum ſuperis iucundabatur. Prouecta nocte, ſeceſſum in cellam adornabat; verùm inutili greſſu gradum promouebat: ipſas quippe Odæi fores nullo tentatu valebat inuenire. Horror pręterea tenebrarum, & vicini recurſans memoria cœmeterij, obrigeſcẽtem & penitus conſternatam vexabant. Incerta conſilij; videt è Beati imagine, quæ publicè ibi colebatur, effulgentes micantesque ſplendoris radios, noctis ceu lucidiſſimo die inducto diſpulſores, quibus & patuere ſtatim Odęi fores, & pectus ipſius, placidè fuit tranquillatum.

Panormi in Sicilia, pleuritide, & maligna febri correpta Maria Paladina, poſt cætera ſpiritus præſidia, extremùm tantùm vngenda erat, in proximo illo certoque mortis agone: nec enim vltra medicina vlla varia expertæ ſubuentura ſperabatur. Interea allata fuit ad ipſam Beati imago; hanc impetu valido & non pro ægra complexata & oſculata, cordi, capitique impoſuit, atque eximis præcordijs ſanitatẽs

imò

imò vitam ab ipso efflagitare non cessauit,& cum ea cæterà quoque adstantium turba : Sed hæc statim cubiculo exclusa, fassa scilicet ægra se quietis percupidam ; at verius, vt remotis arbitris,ac secretiùs, ante medicũ suum precibus insisteret,& profectò instituit,atque ardentiùs. Occlusæ fuere cubiculi fores , & fenestræ tanquam ad quietis conciliatum. Vidit autem statim & adhuc benè vigil,cubiculum quaquaversum illuminatum,ac si mero meridie solaribus radijs patuisset. Ex ipso quoque Beati picto simulachro, brachium prosilire , flabello ventulos leniter excitans , & æstus illos quibus amburebatur refrigerans . Ad soporem postea se composuit,& horam totam suauiter indormijt . Euigil sentit se febri ac pleuritide penitus leuatam. Aduocantur domestici, & hi omnes attoniti , ac præ gaudio vix mentis , aut linguæ compotes.Comedit expers amaritudinis, qua olim ingesta quæque cogebatur egerere;& potuisset eodem prorsus momẽto lectulo exilire febri iam & doloribus defuncta, nisi vrgentibus cognatis,virium reparationi à frequentiore venę laxatione flaccescentibus,fuisset consulendum.

Alibi etiam alia,magna pressa mole curarum , ac nullum quà emergeret exitum aduertens , ante eius imaginem calidas preces fundens, claro vidit intuitu illum caput inflectẽtem.In spem ipsa tunc erecta : & planè non modicum interceſſit spatium,quo omnia illi ex animi sententia cesserunt; sed nullum,quo non ipsa in agendis Beato gratijs insigniter occupata .

Sed & Ignicus Daualos Piscariæ Marchio,eius quoque imaginem venerabundus colebat,& sæpius ante ipsam supplex cadebat,suoque imitamento & alij. Obseruatum autẽ à quopiam fuit,aliquando compunctim ante ipsam orante humorem ex ea guttatim stillare. Is hærens , & ambigens cæteros conuocat , & idem hi circumspiciunt . Aduocatur demum & ipse Marchio,ac indubium sudorem aspectat ; indubium, & cœlesti tantùm vi dimanantem. Neque enim

tectum

tectum humiferum erat quod laqueatum, neque paries qui Belgico peristromate ornatus; & nihil præterea tale in reliqua sacelli supellectile, ac ne in ipsa quidem iampridem imagine, quæ vna inter tot varij generis ornamenta tunc humescere ac stillare cernebatur. Hoc insignioribus religiosis exijs, qui Vasti degebant, ipso curante Marchione, oculatim innotuit. Concors omnium sententia, grauius aliquid eo signo portendi, eius imminentiam Beato fortè in claro Dei intuitu reseratam: illi auertendo, eum nequaquam fuisse desidem, & emolliendæ Superum iræ; sui verò conatus fortasse frustraneos fuisse. Id ipsū manifestario illo sudore palam edicere, atque ad Numinis flexionem, Marchionem exstimulare & propellere. Haud vanam coniectationem, rei euentus comprobauit. Exibat sextus à sudore dies, dumque Marchionis filius decennis in horto spatiaretur, & pendulū vuæ racemum optaret sua manu è vite decerpere; marmorea statua cui subnixus fuerat, præcipiti ruina in ipsum concidit, & compressum statim vita priuauit, inutili adstantium suppetiaru quamquam nulla mora interposito. Porrò mortem, licet non eius genus, occulta fortassis Andreæ aduertentia Carolus (id puero nomen) sollicitiùs expectabat. Postquam enim illius sacra imago in illum locum fuerat aduecta, pluisculo continuatoque dierum spatio, breui se vita functurum, & cum omniū admiratione dictitabat. Exinde postea aucta imaginis veneratio, & Beati cultus solemnior.

BEATI CAPILLIS PRONA, ET PROMPTA beneficia.

CAPVT XXXIII.

ALia quoque damus miracula; nempe quæ per eius capillos patrata fuere. Velut enim ingenti thesauro futuri prædiuites, multi multos ex eis sibi compararunt,

runt,& binos Hieronyma Homodei nobilis Panormitana, innuba virgo,& diutino infirmitatum igne ad purum excocta.Et illud in primis mirabile, quòd dum hæc ad focum aliquando assideret, pagellam explicauit, quæ alterum ex ijs contegebat,& mœsta vidit illum abesse. Vestigat solerter, ac plusculum temporis quæsitioni donat : sed minutulus quantacumque cura inueniri non poterat, idque ipsa iam desperãs,religione tacta,chartam, ceu sacram quandam capilli theculam igni addicit,& flammæ. Combusta pagina, insperatò prodidit sese capillus : Nam fœminæ auidentia, cum ipsa igni traditus fuerat; sed inde subsilierat, quod non ipsa : & signum proiectionis ostendebat, alteram sui extremitatem tostam . Hi capilli in aquam immergebantur,inuocatu Sanctissimæ Triadis , inque eius honorem recitata ter Dominica oratione,& qua Deiparam Angelus consalutauit. Aquę hausto,vel insperſione , tanquam potentissimo pharmaco,sæpissimè curati languores varij,ac desperati.

Nam (vt ab eadem Hieronyma ordiamur) cùm ipsa per calceaminis soleam , qua Beati quondam pedes intecti fuerant,apoplectico morbo exempta fuisset ; hanc eandem sanitatem deprecata postea fuit,si non pro Numinis gloria, & sui salute futura fuisset . Annuente Deo , exeunte trimestri,primùm in eundem morbum recidit,& exinde,vsque ad id tẽporis,quo hęc pro testimonio dixit,sexagesies . Sextus, ac septimus sub eo illi effluebat dies , & supra hunc etiam præterlapsus quandoque decimus. Non inter illam,& mortuam cùm ita vexaretur vllum discrimen.Excludebatur quicumque cibus , pręter vnicum illum & supercœlestem , quo quotidie recreabatur . Et pertinax malum vincebat artem. Interea hoc illi medicamen fuit;sed cùm extremum tantùm langueret,aliàs enim irritò & inutiliter ; pauculas eius aquæ guttulas,ternas nimirum aut quaternas exsorbere. Demissa sorbitiuncula,tanquam copiosè cadente vnda refrigerata, statim eius pręcordia,& æstus omnis mitigatus , & valetudo

sic

ſic integrata,obuium quemque cibum admittens, ac ſi nunquam vacillaſſet.Nota hęc innumeris, & principibus etiam feminis, ea ſupra captum, ſupra fidem hominum ſæpè intuitis.

His experimentis edocta Hieronyma,in aliorum quoque medelam profuſa charitate deſcendit: & à domeſtico ei lare fuit incipiendum. Nimpha Meſſinia dicebatur vna ex ijs quę ſibi erant à famulatu. Huic nares exeſæ fuerunt,fœdo & deteſtãdo malo,quod in carcinoma timebatur abiturum: ſed pretioſi liquoris inſperſione ſtatim correctæ,& peſtilens morbus ſublatus.Prędicabat illa ſalutarem Beati manum: at Nimpha medicorum induſtria,ſeu cœli mutatione partam ſanitatem contendebat,& hac incredulitate ſua miraculum à Beato extorquebat. Extorſit; ſed ſuo periculo: iterũ enim nares putreſcere & in ſaniem marceſcere. Tunc ipſa excita, enixiùs apud Beatum pro ſalute inſtitit,& viuifico liquore affectam partem abluit. Internoctu poſtea quieſcens, obiectum habuit ſenem aſpectu venerabili, & qui Andream referret,lectulo aſſidentem vbi ipſa iacebat, ac de morbo toto percontantem, manũque ſua eius nares contingentem, & abeuntem.Experrecta,heram exſuſcitat, viſa narrat, & ſe ſanatam affirmat,quod mox vtraque verè vidit, & plenè.

Felix Lauria,diuturna duorum menſium febri, & ſtomachi nauſea vexata, in ipſo mortis confinio dicebatur conſtituta; & amiſſa quino dierũ ſpatio loquela,mox ipſa quoq; vita amittenda timebatur. Sed vbi primùm eam vndam guſtauit,& loqui ſtatim cępit,& doloribus ac febri defungi.

Petrum quoque Carbonettum, & Noſtrum Ioſephum Albertinum Sacerdotio inſignes, per hunc eundem potum metu imminentis mortis excuſſos ſcimus,quem illi peſtilens febris,huic acuta pleuritis incuſſerat.

Verùm tędet paria congerere. Vnum tantùm ſubnectam & inſignius, in Noſtro Hieronymo Dentices patratum. Is quidem labente Aprili in eadem Panormitana Ciuitate

apoplexia inuaſus, omni ſubitò ſenſu deſtitutus fuit:cui experiendo aut eliciendo,varia tentarunt plures, qui accurrerant medici, toto illo decem horarum ſpatio à meridie ad ſecundam vſque noctis,& opem ſuam fruſtra conſumptam aduerterunt. Vna tantùm diuina ſubſidium ægro ſperabatur impertitura, & hanc Noſtri ſedula prece aduocabant. Mortuo ſimilis ita iacebat,quem idcirco tanquam mox abiturum,ſacro inunxerunt oleo. Tunc inſpetatò dexterum is brachium parietem verſus extendit. Nemo non putauit luſtralem tunc aquam illum petijſſe,qua ſe aduerſus antagoniſtam ſuum in periculoſo illo agone muniret, & ipſa eum deuotè inſperſit. Sed cùm iterata brachij extenſione aliud ſe vclle innueret, confuſa flagitatione laceſſiti circumſtantes, Andreæ illi porrexerunt imaginem. Impreſſa ſimulacro oſcula,ſummaque erga illum exhibita veneratio, eius ſe fuiſſe cupientem liquidò comprobauere. Poſt hanc, & altera ei tradita,quam ſiniſtra brachij tenſione in ſiniſtro cellæ pariete fixam videbatur indigitare, eodem quoque affectu recepta. Pugillarē poſtea petijt,neſcio quid ſcripturiens; ſcripſit autem non niſi principem Andreani nominis literam. Tunc ſolerter quidam ex adſtantibus tanquam de re nota cogitans,penetrauit in eius conſilium, & aquam Beati capillis intinctam,illum tunc expoſcere affirmauit. Nactus opportunitatem medicus,pia fallacia inſtillandam illi vitalem potionem è margaritis & vnionibus prętioſam ſuadet, vaſculoque aptat in ſorbitionem. At æger vlla arte decipi abnuens,deglutiendæ,ne labia quidem voluit diducere. Itaq; ſalutarem & cęleſtem quam petierat illi dein propinarunt, & eam ſtatim hians demiſit. Et ecce pluſquam decem horas mortuus reuiuiſcit,ſenſum recipit & vires, vocem promit, effatur dilucidè ac diſtinctè, *O Beate Andrea*. Circumſpicit circumſtantem turbam Patrum ac medicorum, & miratur. Audit quid circa ſe factum;& ſibi vngendo quoq; vacatum; ac tunc primùm ea noſcit & diſcit. Nec plura. Non alius rei

ſe fa-

se fatetur gnarum, quàm sopori indulsisse. In eo obiectum sibi visum, quo, fallente vestigio, præcipiti ruina casurus videbatur in altam & profundam foueam: promptum verò tũc affuisse Beatum baculo suo innixum, à quo ipse in spem erectus, suoque patrocinio, & auxilio, vti quondam eius sobrinus, roboratus. His se animosum verbis experrefactum, totum sanum & valentem, vt nec in omni vita magis, & luculento testamine fateri Beato se vitam debere; & grates habiturum, indefessis laboribus in proximorum salutem. Et certè habuit, industrius vbique animarum operarius.

Hac miraculorum diuagata fama, quisque sibi aliquem ex ijs capillis comparare auidè studebat. Vnde quidã, vt haberet quos petentibus abundè diuideret, alienos quosdam, Andreanis quos possidebat immiscuit. Sed Andreas olim inter viuos promptuarium veritatis, & mendacij osor acerrimus, cœlo iam insertus fucum ocyssimè detexit. Postridiè etenim, fraudis concinnatori curiosiùs intuenti, seorsim interstincti apparuere veri ab ascititijs & adulterinis: Qua secretione ipsum ad erroris sui confessionem adegit, & cõegit.

INSIGNIS ARTHRITICI, ET LORIPEDIS sanatio.

CAPVT XXXIV.

SImon Raus Panormitanus, Apostolicus Prothonotarius, & Abbas S. Luciæ propè Messanam, acribus diu vexatus doloribus fuit, & febri correptus, quæ postea in arthritim transijt; qua demum deiectus fuit, gressus impatiẽs & motus. In lectulo quippe iacentem linteo mouebant (nã vel digito ipsum libare sine ipsius ingenti cruciatu & eiulatu non licebat) extra verò illum, si quò esset commeandum, in gestatoria tantùm sellula. Plurimum ita temporis vixerat; capitis insuper, & stomachi languoribus agitatus, ex-

UNIVERSIDAD GRANADA

pers & exſpes ſalutis, quæ humana nulla ope adduci potuerat, ne ipſis quidem laudatis & medicatis aquis Thermẽſibus. Ad diuinam itaque ventum fuit. Sub id temporis Hieronyma illa Homodei de qua ſupra, illud non vrbe ſolùm Panormitana, ſed ipſa penè tota Sicula Inſula decantatum remedium, aquam ſcilicet ſacris Andreæ lipſanis intinctam, donum Abbati miſit. Hauſtum ipſius non emendatio conſecuta, ſed recreatio tantùm aliqua, & quanta, via indagationi ſterneretur ad Beati geſta, & miracula curioſius perſcrutanda. Eorum Abbas breui compos factus, decernit hũc ſibi patronum aſciſcere; haud dubius facilè per ipſum cęleſte ſibi Numen propitiari poſſe. Et primum clientelæ ſignum, anniuerſarij eius diei celebritatem ſpondet, ſolemni publicoque Noſtri; quòd nondum Andreas Apoſtolico decreto Beatorum faſtis eſſet aſcriptus. Itaque ſacrã ipſe B. Io. Baptiſtę ædem, in qua & Neapolitanorũ erat ſodalitas, ſericis aulęis auroq; intextis iuſſit cõueſtiri, Beati effigiem aureis torquibus, margaritis & vnionibus circũcingi, & collucentibus circũquaq; cereis illuſtrari: adhibitisque nobiliſſimis canendi artificibus, veſpertinas ibi preces magna cęremonia decantari. Mane myſticum ſacrum oblatum eadem ſolemnitate, in quo & Abbas Dominico corpori communicauit, in ſua tamen ſelula, in qua velut in cippo detinebatur. Coiuit omnium pietas, vt ipſi, Dei benignitatem feruidè conciliarent, cuius laudabant tale in Beatum munificentiæ genus. Nec irritæ preces fuere. Sacris operatus domum ſuam Abbas reuertit. Ante eius gradus, dum alteram, vti conſueuerat, geſtatoriam ſellam præſtolatur, in quam tranſuehendus, & ad ſuperiora traducendus; interno quodam affatu & iterata iuſſione vſum ſibi, aſcenſum excluſa aliorum fultura ſeriò imperari. Aſſurgit ipſe primùm, & poteſt: ſentitque per totum corpus velut vitalem quẽdam ſuccum diſpergi; pedibus inſtat, greſſum explicat, & gradus omnes (duodetriginta erant) alacer,

cer,& ſolus inſcendit.Editis omnes vocibus ingeminant Miraculum,& ipſi etiam Barbari falſęque religionis homines, quorum manu geſtabatur. Ad Patrem accurrit Præſidem magnæ Siciliæ Curiæ: & Andreæ potentiã inter gratantium lacrimarum lætitiam admirantur. Nec ingrati Medico; à prandio in eadem illa æde poſt Veſpertinas preces,grates illi agunt & habent.Poſtridie Abbas ſacrum fecit, quod prohibente arthriti multos menſes non fecerat. Viſus non certis tantùm hominibus,ſed Ciuitati vniuerſæ, tanquam ad ſpectaculum ad eius viſum procurrenti. Biennio ſuperſtes fuit, corpore ſemper incolumi & benè valéte,ac in virtutum ſtadio à tanto beneficio accepto fortiùs deſudans. Sed in ipſo metæ flexu,apoſtemate correptus fuit, quo & eius cerebrũ petitum,& ipſe demum extinctus.

Sequitur aliud in diſpari genere non diſpar miraculum. Paulus Caluinus Panormi operas ſuas in ædificijs locare ſolebat,& eo quæſtu ſe ac liberos tolerare.Dum ijs aliquando incubaret,trabs ex alto decidens,dextrum illi femur confregit. Bimeſtre totum iacuit omni prorſus ſpe ſalutis deſtitutus, & vix ſubalaribus lignis fultus & adiutus, pauxillum progrediens.Mendicimoniam ſuam feriatus ab arte,aliorum pietate ſubleuabat: & fuit inter eos qui etiam Andreæ illi inuocationem ingeſſit, publicum in ea Ciuitate miſerorum tutamen.Manè Paulus cùm benè vigil eſſet, cruciamenta illa animi pariter & corporis inter quæ totus tabeſcebat, Beato commendauit.Beatus non auxilio ſolùm, ſed & præſentia adfuit. Nam proprio illum nomine conteſtatus,eius manum iacentis contigit, & bono eſſe animo iuſſit, iam,miſerante Deo,ſanitati reſtitutum. Hoc ipſe gauiſus, alij mirati fuere,in tam ſubita ſanitate. Nam poſtridie ad operas ſuas redijt, & ſcipiones ante Beati imaginem ſanitatis monumentum appendit.

CREBRA ITEM ALIA ET CERTA, VARII generis miracula.

CAPVT XXXV.

NOster Clemens Alonsus, vitę integritate & innocentia admirandus, ac spiritualium magister; in vltima vitæ linea constitutus, mortis iam agonem subierat, sed à lethargo, omni penè sensu amisso, pugnabat dormitabundus contra peruigilem antagonistam. Nostri qui aderant, exeuntem animam sacris precibus comitantes, exsensem posito super illum pio Beati opusculo ipsius quoque manu exarato, illicò & summa omnium admiratione menti restituerũt & pugnę. Excitatus ille, excitatori suo & propugnatori, quanquam recens defuncto, & nullis adhuc in militante Ecclesia honorum decoris honestato, hymnum quo Ecclesia Dei Confessores veneratur, recitandum iussit grati animi testamen. Multa postmodum de insigni Beati virtute, potentique intercessione interfatus, mortales exuuias posuit, magna relicta sanctitatis fama.

Franciscæ Galianæ Panormitanæ lautiusculè aliquando epulanti, officulum è gallinaceo pullo transuersum hęsit in gutture, quod impetu nullo aut vi valebat excutere, fixiùs quippe hęrebat. Ita cùm spiritum haudquaquam posset emittere, aut admittere, & ipsam penè animam in primis labris haberet; supplex ante Beati imaginem cecidit; & statim ante suos pedes officulum.

Cùm septennis puer Antonius Crassus, corpusculo toto immodicè tumuisset, nullaque ei medicorum decreto vitæ spes supereſſet; oleo inunctus ex argenteo lychno ante Beati corpus collucente, quod Neapoli summa religione Panormum fuerat aduectum; à somno, quo statim oppressus, detumescente corpusculo, sanum se affirmauit, & morbi solutum.

Catha-

Catharina Stageria,nõ ſolùm ab humero laborans, dentibus,& brachio,voto concepto argentea dictorum ſimulacra Beato offerendi, ijs defuncta fuit cruciatibus : ſed cùm etiam cardiaco morbo vexaretur , actam pertinaciter , vt aliquando mortua crederetur; appoſita ſuper cor ipſius,pagella ex ſacro eo libro ad cuius præſcriptum pendebat Beatus diurni officij penſum; eo ſtatim reddita fuit immunis.

Biuntiin Apulia Prudentia Sanctoria ophtalmia premebatur; ſed hac vix indolebat præ fœdo tibiæ malo, quod in ſeptem vlcera diducebatur, eaque ſatis fœtida ab emanante pure. Doctè & ſollicitè plura exhibita fuerant remedia . Sed omnis ars medicos deficiebat. Andreas inuocatus , & eius reliquijs crus contactum in Templo,quod Noſtri incolunt . Domum ægra reuertit : ſoluuntur faſciæ , vlcera coiuiſſe apparent,& eorum vix cicatrices comparent.

Gaſpare Cardinali Borgia Neapolitani Regni habenas moderante,aduerſus quemdam deſperatæ improbitatis hominem in Ciuitatis Neapolitanæ diſtrictu habitantem, valida lictorum manus fuit expedita , ne plus inualeſceret ac in vniuerſorum perniciem erumperet . Cætera ſatellitum cohors,facinoſorum veſtigabat,ſuis illum latibulis exturbatura: tres eorum impigrè ad ſtationem ſuam excubabant,quà tranſiturus,& certi coloris equo inſidens,credebatur.Nocte prima,Bernardinus Seriſalis ſcutulato equo inequitans , ad ſua reuertebat.In hunc tres illi ſubitò irruunt, nudumque famulo latus occupant. At is cöercendo equo ſuo intentos excutere eos cepit,& excuſſit.Rati illi,explorato hunc eſſe cui reperiendo incubauerant; anteuertere fugam illius deliberant,vel in ſuas manus illapſuri,vel tunc perituri : Ac deſperatione illum habendi ferociores, pertinaci & perſequaci ira,multa glande plumbea excuſſa ipſum petiere . Inflexit Bernardinus in equi collum ceruicem ſuam, & Beatum calidè inclamauit. Hoc exploſiones moderante,in vicinum viculum fuga delatus ſeruatur. Vidit ibi plurima turba pallium

duobus

duobus ſupra viginti globulorum foraminibus perforatum, ipſum cętera incolumem. Remeauerat Neapolim, & ſilentio Magni Patroni beneficium integebat. Cùm internoctu vim quandam ſibi inferri perſenſit, quò illud publicę faceret notitię: Et profectò propalauit illicò Lauræ Capycię cõiugi. Eademque hora nudipes Beati ſepulchrum adijt; tabula & ipſo pallio rem teſtatus & miraculum; & ſacris quę per hebdomadas multas, in gratiarum actionem & Beati venerationem, Deo offerri curauit.

Prodibat Franciſcus Indellius ad domeſtica ſua negotia obeunda. Viſa tunc inimico eius occaſio illum opprimendi, & ſubitus inuaſit intutum; lethalique vulnere ad cordis lęuam confoſſum, ſeminecem reliquit. Damnata medentium ope auxiliarem ille Beati deprecabundus implorauit, & ea ſe confeſtim aperuit: Vulnus enim intra paucos dies, admirante peritorum ſcientia perfectè conſanuit.

Cum Franciſca Chalcea Neapoli Montis-Leonis Ciuitatem peteret itinere maritimo; à vomitionis impetu, ſui pars ventris quæ vmbilico ſubſtabat è ſiniſtro latere, inflammata primùm vehementer fuit, poſtea etiam valida febri accedente, intolerando ſui dolore diſrupta: ac eo miſeriarum breui ipſa reducta, vt naturæ inde ſordes eiectaret, & quadam vice fętidum par vermium. Vlceris orificium patulum erat magni aurei modulo; & facilè apparuere inteſtina corrupta; quorum portio, ne cętera putreſcerent, reciſa fuit. Medici adhibiti, indomitum malum cenſuerunt, omni ſpe, non ſalutis modò, ſed & vitæ adempta. Caſum ægrę commiſerata Hieronyma Pignatella Duciſſa Monti-Leonis, cui Franciſcę vir erat à ſecretis; vaſculum ei donum miſit, oleo ex lampade ante Beati corpus collucente repletũ, quod Neapoli ſecum ipſa religiosè aduexerat; & mulieres ſubmiſit è ſua familia, quę languentis fidem erga Beatum excitarent, commemorata ſerie miraculorũ ipſius. Harum verbis in ſpem Franciſca roborata, haud languenti fi-

dentia,

dentia,oleo ſe petiit inũgi & ſub Andreę tantùm auſpiciis remedia eo vſque inualida,deinceps adhiberi . Nondum quarta ſupra vigeſimam ab inunctione dilapſa erat hora, cùm ægra melius ſe habere cępit . Tertio verò die euanuit prorſus inflammatio; ęſtus refriguit ; color carnis rubens ac viuidus;redacta inteſtina & retracta : coiuit denique vulnus & cicatricem accepit,omni penitus morbo depulſo;& contra medicorum decreta,tota ipſa ſana,vt non meliùs ante vniuerſum vitæ ſuæ tempus.

Tertiusdecimus numerabatur annus Magdalenæ Raffæ ex quo ſuam ipſa virginitatem Deo ſacrauerat, in cœtu Clariſſarum eiuſdem Ciuitatis Montis-Leonis : cùm morbi atrocitas, qua ad mortem vſque confecta videbatur,in phreneſim deriuauit,eamque ſatis validam . Nam; & ſacro oleo renuit inungi,quæ Angelorum miniſterio , Sancto iubente Spiritu , diù iam ſe inunctam , conſtanter affirmabat . Exinde nulla cibi ſumptio , ſomnus nullus : multorum loquacitas , & inſolentium (nam certè bona virgo, ante maniam, ſatis deuota ſuique tenax inſtituti) in obuias quaſcumque inſurgere ; morſibuſque ad laniatum ipſarum infremere . Confuſa cętera Monialium ſodalitas ac timida : nec alibi , quàm in Odæo , vt vt ab ea ſegrex fieret & elongis , nocturnæ indulgens quieti . Donec earumdem conſultum formidini ; ipſa in compedes vincta & manicas . Quindeno dierum ſpatio ſudauerant medici in eius cura ; & inutiliter : Nec enim quippiam in circumactum inſania caput valebant . Pia tunc Duciſſa , experta cœleſtem prorſus eiuſdem olei virtutem ; eo , & ſua manu, inſanientis tempora , frontem , ſinciput illiniuit , & Beato illam commendauit . Ab vnctione compoſuit ſe ægra ad quietem . Nocte prima cęnauit , & indormiit. Illuceſcente craſtino,videt ſe mentis compotem: mittitque ſtatim , qui rem miraculoſam Duciſſę narrent , & gratias illi habeant ;

quas vnà postea Beato retulerunt. Repetijt illa deinde ſueta mentis exercitamenta; viribusque breui adolescentibus, externis quoque non destitit alacriter prudenterque vacare.

DE BEATI SANGVINE MIRABILIVM *instrumento admirabili*.

CAPVT XXXVI.

QVæ admirando Beati sanguine, qui ex eius corpuscu-lo nondum terræ mandato emanauit, patrata fuere miracula, libet nunc ea & com nodùm, vnum velut in fascem colligare: non quidem singula, quis enim queat? sed aliqua tantùm complexuri. Nam (vti extremo primi libri diximus) in frequenti illa ad funus ipsius accurrentium turba, multi religione tacti, pilos ex illius capite euulserant: euulsione verò, sanguinis aliquæ guttulæ manauerant, & sepulchrale linteum intinxerant. Nihil hic naturam potuisse, ipsa beati senis ætas effœta, frigidissimus Aquilo, quo cuncta rigebant, & subterraneum cæmeterium, vbi plures horas iacuerat, conuincebant. Altiùs tamen figendæ veritati, Hieronymus Thomasius insignis medicus, & Palatinus Comes, incisione rectæ venæ in fronte, & pericranio futuræ coronalis, sanguinem prouocauit; sicubi, ibi certè multarum venarum confluentia reperiendum; neutrius tamen incisione repertum. Hinc fuit liquidò compertum, supra naturam promanasse. Sed, ne quid tentamenti omitteretur, Iasolinus è contra, triduo iam à decessu prolabente, pietatis, & curiositatis cöeuntibus affectibus, exanguem dexteræ auriculæ pelliculam pupugit, vnde statim sanguis guttatim stillauit. Postera demum die nequaquam vltra ex aure, sed ex cranio pridem inciso scaturiuit. Vitrea interim vascula auidè

auidè ſuppoſita illum exceperunt. Fide iſthæc publica illicò fuere roborata, ſtudio & induſtria Iſabellæ Caracciolæ Aquarij Duciſſæ. Nulla itaque ambigendi ſuſpicio patebat, qua, Dei tantùm hoc nutu potentiaque negaretur effectum, vicem rependentis Andreę pro trino vulnere, quo is olim pro creditarum ſibi Virginum tutela fuerat ſauciatus, ſed vberem, ac fœneratam. Adhuc tamen luculentiore teſtimonio id oſtendit Deus. Contigit enim octaua poſt eius obitum die, Petrum Vecchionum primarium Ciuitatis medicum Noſtros inuiſentem, diſpiciendoque ſanguini, qnem idcirco in manibus habebat inſiſtentem, colliquefactum aſpexiſſe, nulloque graueolentiæ ſenſu. Quin, cùm interea circumſtantes ex Patribus, nullum beato ſeni narrarent à Numinis cultu tempus fuiſſe vacuum: peroptanti quoque facillimę egeſtatis ſecuritatem, eorum abdicatione, quę ſunt mortalibus dulciſſima: & quietis tempora interſtincta vigilijs, efferrent, cæteraſque rigidas illius virtutes; ſenſim ſpumeſcere viſus eſt ſanguis, & motu qui ſanguinis eſt proprius inter venas occluſi, manum attrectantis pulſitare. Exinde autem quotannis ferè obſeruatum fuit, & in Eccleſiaſticis tabulis conſignatum, illum qui in Templo noſtro D. Pauli argentea theca incluſus aſſeruatur, anniuerſario eius die ebullire, vel ſaltim colliquefieri, innumero ſpectante populo, in ipſo ſacro Veſtiario: & hoc etiam anno, quo primùm Beati honores publicè Andreæ fuere delati, in ipſa eius Templi ara maxima. Quæ cuncta, vti diximus, pluries collatis Theologorum, & Medicorum ſententijs, indubio miraculo fuere aſcripta.

Edidit porrò Deus hoc ſanguine medio, plurima varij generis mirabilia. Fuerat Antonia Griſonia decennium totum inſano colico dolori pluries obnoxia; ſed is aliquando ſęuior, quartum iam diem penè fatalem ei fecerat. Multa dicebantur & fiebant, ac fruſtra omnis conatus erat. Ioanni Vincentio Capycio Piſcicello viſum, telam Andreę

ſanguine cruentatam ſuper ægram imponere : Imponit, & genua ſupplex ponit Beatum interpellans, ne dilectiſſimam coniugem in certo capitis diſcrimine deſertam velit. Audijt Beatus, nec alio remedio, aut celeriùs conſanuit, quàm iſto: Statim enim conſopita, vt euigilauit, nullum mali indicium apparuit: Quod vterque argentea tabella voluit teſtatum.

Dianoram Perelliam intempeſta nocte ſubitus faucium tumor inuaſit, quem ſecuti mox tremor, conuulſio, dolor: & intercluſo iam ſpiritu vix pauculas ſyllabas poterat eluctari, & balbum loqui. Miſerunt Nobiles ij & pij apud quos diuerſabatur, qui inaſſuetæ celeritatis veſtigijs Sacerdotem accerſeret, apud quem ipſa exitij certa, culpas ſuas expiaret. Sed interea eorumdem conſilio phiala Beati ſanguine pretioſa, illi admouetur; & immunis ſurgit ab omni noxa; illucenteque die eius ſepulchrum, & cum beneficij memoria lętiſſima inuiſit.

Neque aliter factum in Magdalena Barona è coetu Dominicarum Sororum in Neapolitano Cœnobio D. Marię de Sapientia. Ea ante ſextum menſem, dextera aut arefacta aut obſtupeſcente, inutilis ad motum erat. Res nota Chirurgis vndique aduocatis peritiſſimis. Diuino inſtinctu, humanis nihil proficientibus, à Beato remedium efflagitauit. Crucem in adfectam partem eius ſanguine qui & goſſypium tinxit efformat: & impetrauit. Senſit enim repente laxationes ac tenſiones in tota ea parte; quam carne & ſanguine repletam, pro ſuo confeſtim arbitratu mouere potuit, & flectere.

In Franciſcum Artalles de Luna morbo ſacro affectum (quo cùm premeretur, non ante quaternas horas leuabatur) atque adeo exſenſem, impoſuit Iulia Caracciola Burgentij Marchioniſſa lintei centunculum beato ſanguine madidum; & ipſe ſtatim ſenſum recipiens, hęc edidit verba: *Laudetur Beatus Andreas*. Obſtupeſcentibus cunctis, qui ignorantem illum geſtorum compererant, ac

mentis

mentis inopem,& Andream collaudantibus, cuius interceſſu vis illa morbi exitialis fracta fuerat.

Syluium Gallum puellum adhuc non benè fantem,lactis abominatu, quo vnico refici poterat ac diarrhęa exhaultũ; ſuis iam phaleris mors inſigniuerat. Ablactando mordens tunc ſydus obſtabat. Lętitiam amitam,ſed ſatis tunc mœſtam, confugij neſciam, de Andreæ ſanguine cogitantem, qui goſſypio exceptus,argenteo vaſculo ſeruabatur, haud temerariè impleuit ſui fiducia.Puello itaque illum adiunxit, ſtrictim inter ſua brachia complexato. Is autem ſtatim velut in vitam reuocatus,& loqui cępit, & obuios quoſcumq; cibos,ſibique antea minimè guſtatos delibare: aſſeuerantibus medicis,diuina tantùm manu id illi roboris adauctum.

Itidem planè in Beatrice Græca; niſi quòd & oculi etiam huic iam triduum occluſi; pretioſi tamen cruoris attactu illicò recluſi.

Tertium iam menſem immanis quartana bimulum puellum Ioannem Caracciolum depaſta fuerat. Cùmque lenimenti aliquid ſperare licuiſſet, ſacro is morbo repente fuit inuaſus,eoque ad ſolum validè alliſus, omni iam ſenſu deſtitutus.Aduocatus ad triſte ſpectaculum Iulius Cęſar patruus Celentiæ Dux, vultum dolentis non ſuſtinuit contueri: è ſcriniolo tamen ſuo, modicam telæ tramam prompſit Beati ſanguine intinctam,corpuſculo ſuperinijciendam. Eius ſuperiniectu reuiguit ſtatim puer,nec vnquam tali morbo ſuccubuit.Qui tanquam benè gnarus idem eſſe reſtitutæ ſanitatis remedium & conſeruandæ,nulla vnquam arte,ac ne puellaribus quidem quibuſuis illicijs, illud à ſe paſſus fuit diuelli.

Sui etiam bono Dux ipſe,linei eiuſdem expertus fuit ſubſidium. Perturbabatur enim inteſtino aurium dolore; ſed Andream veneratus,hunc illis lineum immiſit: ac ſtatim refuga doloris pertinacia,ibi deſæuit,quamquam intacta ipſi loca adhuc premeret,donec ſingillatim in omnes partes re-

petito

petito contactu,penitus euanuit.

Consopitas ignis flammas excitatura Portia Rogata,fortiusque insufflante,è prunis scintilla exiliens, dextrum eius oculum petijt. Tumultuario auxilio nocitura illi remedia applicata. Præpedita denique medicorum ope, linei particula Andreæ sanguine purpurascente oculo contacto, eius statim ardor desæuit. A somno postea,quo statim correpta, expergefacta;sensit se propemodum curatam; vt vtri oculorum infestus dolor insedisset, nemo iam quantouis accurato intuitu posset aduertere.

Angelam item Ioannam Carafam Sanctę Mariæ de Sapientia monialem, & Barbaram Macedoniam quinquennẽ puellam,lineo isto,sæuissimis capitis doloribus quibus angebantur,scimus fuisse perfunctas.

Sexennis pueruli Caroli Capycij Sconditi valetudinem, intestini quidam dolores attriuerant. Ipsum penè enectum, nullæ medicorum artes alleuabant. Alleuarunt tamen Andreæ sacra pignora, capilli nimirum, & sanguis linea exceptus super illum immissi. Alleuarunt? Pristinæ sanitati integrè restituerunt. Sed ea ad sui solatium puer collo appensa gestitabat; lectumque petiturus,puluinari submittebat,quo suffulciebatur.Mater quæ cum ipso cubabat, subito aliquando & intolerabili cruciatu oppressa, tanquam certũ angoris sui leuamentum,bursam è soporati capite, molliter placidèque sustulit;& ecce anxietas & sensus ablati pignoris,quamquam dormientem Carolum,ad lamenta,& eiulatus cõegerunt; nec prius valuit mater questus & lacrimas, quàm restituto thesauro componere.

Antonia Spinella,& ipsa quoque ingenti febris æstu,quãto perferendo non erat,quippe quæ vix triennium excesserat,amburebatur. Nocte quadam, impetu desiderij moram non ferente,auiam Isabellam Caracciolam Aquarij Ducissam exsuscitat,ac, *Per te*,ait,*ego spes tuas,& quidquid charũ est, Mater,rogo,vt mei senis sanguinem mihi facias quanto-*

cyus

cjus adhiberi. Sic Beatum appellitabat, cuius in ea domo sanguinis ampulla seruabatur. Adhibitus planè fuit eodem temporis momento mirificus ille cruor;& intra quadrantem horæ,febris æstus omnino euanuit. Medici mane aduentarunt,ac velut extra se, pro subita sanitate. At cùm factum acceperunt;nihil mirati aut cunctati;atte sua superantiorē fuisse Andreæ manum asseruere.

Nec silendum,aliquoties etiam insperſa pretioso cruore membra,insperſionis vestigia diu seruasse, nulla absterſione delebilia. In eó quippe sacro Cœnobio sub S.Mariæ de Sapientia inuocatione,Placida Peretta plures menses sub maligna febre ingemuerat,acerrimo quoque renum dolore infestata. Victi medicì,ægram depoſuerant, Sacramentorum administratione ad exitum vitæ præparatam. Petijt ipsa ex eo B.sanguine,qui ibi asseruabatur,renes sibi illiniri & inungi. Ac fuit quidem sanitas rata, & in fœmina grata; sed illud admirandum, quòd expressum ibi Crucis signum, ardentis instar purpuræ diu non mutabili nota indeletile perseuerauit.

Ipsas etiam Tartari potestates, mirificus iste cruor coërcuit,& penitus disiecit. Fuit Laurini, quod oppidum est Lucaniæ Caputaquensis diœcesis,duodennis puella cui nomen Iuliæ Portæ,insolita & grauia perpessa,ijsque iam biennium ferè deiecta. Ignota mali medela, immo & genus: his enim apoplexia,illis hypocondriaca melancholia credebatur: neutrum parenti Doctori medico: Immo hic miserrimam filiam malo inquilino habitatam ac dęmone obsessam, non vana coniectatione suspicabatur. Videbant delicatulam & eneruem, robustorum viribus obluctari, coërcendæ fatigatorum; & rudem literarum Latijque sermonis ignaram, disertè illo respondentem. Ventum ad Ecclesiæ prędidia; & probo Sacerdote in sacra æde adiurante,euocabatur iniustus hospes & ignotus. Exorcismis hic actus, & subactus, quamquam infremens, mox dixit, se iniusta, possessione cessurum.

surum. Percontanti Sacerdoti, *in cuiusnam Sancti potestate esset eijciendus* (vt nempe illius possent opem implorare) Sancti respondit *Andreæ vi se hospitio deturbari: Apostoli* nè, subdidit ille, *an alterius? Neapolitani*, ait hic, & *Confessoris*, ac rursus Exorcista, *sæcularis, an Regularis?* ac tanquam ex composito Andream nostrum describens; respondit, *Regularis*. Statimque horrido præmisso eiulatu reliquias eius afferri flagitauit futuras sui tormentum. Erant vero linei cẽtuncula ipsius sanguine purpurascentia illuc Neapoli allata, præsentissima in illo oppido in desperatis quibusque malis remedia. Horum sarcina grauatus vexator diabolus, exclamat, post horam inde recessurum se, iussusq; signum promittit, ternum sacri æris pulsum, & puellam his dictis in solum allisam reliquit exanimem. Redeunte illa animo, incolumem se læta contestatur. Abnuebat Sacerdos, expertus in antiquam sæpè sedem, fallacia promissi, dæmonem remigrasse. Verùm annuit posteà, cùm intempestæ noctis silentio, oppidanis intentè præstolantibus, & attentè audientibus, terni illi sacræ tubæ sonitus, victoriam Beato gloriosè cecinerunt.

Porrò quæ possent suauem ex hoc sanguine, omni excluso artificio, halantem odorem attestari, prudens & sciens omitto; possem enim tot eiusce rei testes dare, quot in cœnobijs Sanctæ Mariæ de Sapientia, & Sancti Andreæ degũt Moniales, non minus virtute, quàm genere illustres, quarum nonnullæ id etiam iureiurando ante Episcopos dixerunt, illius fragrantia ad pietatem excitas, suasas, inductas: sed lectorem tædio, me superfluo labore eo leuatum.

AN-

ANDREAE GLORIA COELITVS *manifestatur.*

CAPVT XXXVII.

SAtis miraculorum. Multò certè plura dictis superſunt Animi clades depulſæ, Cordis ærumnę temperatæ, Perplexæ curæ explicatæ, Impuræ faces extinctæ. At frequentem eius cultum, probabile eſt, non niſi beneficijs & miraculis prouocatum. Sed cui dicta ſatis non ſunt, nihil erit ſatis. Nunc gloriæ ipſius aliqua teſtimonia narrabimus.

Anno huius ſæculi tertio decimo, Andreę ſanctitate, per miraculorum crebritatem diuagata, anniuerſario die feliciſſimi eius ad Paradiſum tranſitus, parabat nonnullorum ſæcularium pietas publico igne publica lætitię ſigna. Prępoſito Domus Neapolitanæ vbi id innotuiſſet, grandem is pietatis cultum intelligens, quòd cultum ſalutari metu perculſus, diuerteret, dexteritate cuiuſdam ex Noſtris Sacerdotibus impetum cęptorum cohibuit. Ipſo tranſitus peruigilio, dum Sacerdos ille ad aram Sacris operaretur, vbi pretioſum pignus aſſeruabatur, habuit aduerſum Beatum, & obtutu in ſe defixo aperientem pijs queſtibus vocem, ac neglectam ſui curam acriter obiurgantem, & dicentem. *Siccine exacti memoria beneficij, & futuræ opera quam à me ſperatis, vtilitas, gratitudinis officia excludit, populique animum vltroneè ac ſpontaneè deuotum comprimit? Erit qui protegat, Erit qui defendat.* Cohorruit improuiſo territus obiecto Sacerdos, Sacrisque operatus, rem omnem Præpoſito ſuo tremebundus narrauit. Sed huic firmum adhuc, & ratum, quod prudęs decreuerat. Porrò, vt Beatus dixerat. Fuit qui protegeret, Fuit qui defenderet. Terreſtri namque inhibito, ſubſtitutum cęleſte lumen. Suda nox erat, nec cęlum ſtipatum nubibus. Nocte prima, igneus globus ex Aquilonari plaga cœ-

lum inſcendit,ſeſeque paulatim intendens, Paulinam Domum vndequaq; circumcinxit, vrbi toti Neapolitanæ aſpectabilis & aſpectus,ſplendeſcens,nec facilè euaneſcens:nam & clauſtra eius Domus velut mero meridie cernebantur illuſtria,& ad vſque ſeptimam noctis fulgor igneſcere. Fuere in vicinia,qui Domum conflagrare,vel palearum congeries accenſas timerent;& inter Noſtros,qui inuitis Nobis & fruſtra in contrarium obnixis, edita ab alijs lętitię ſigna crederent. Inualuit tamen ſententia, ſuperno fulgorem inductum conſilio;vt vel ſic innoteſceret, quanto homini prępedita fuiſſent in terris honorum decora, cui cœlum ipſum famulatum accurrebat.

Inter Noſtros,qui pro Andreæ geſtis in Eccleſiaſticas tabulas ritè conſignandis cum laude accuratam operam nauarunt,vnus fuit Saluator Ferrarius Licienſis; qúa fini,plura Siciliæ loca veſtigator diligentiſſimus peragrauit. Drepanum cùm peteret,in interuio Deliæ Oppido in febrim incidit. Inde Platiam delatus,vbi Noſtrorum eſt Domus,intellexit ſupremum diem adueniſſe & inconcuſſus expectauit;magnis Sathanæ petitus inſidijs,oppreſſus inſultibus. Audiebatur etenim ſonitus inflictorum ipſius vultui à tentatore impigro colaphorum,oriſque tumor conſpiciebatur. Colluctantis è contra animi ſigna edebantur, in vltimo vitæ diſcrimine totius vitæ fortunam excepturi. Poſt quæ victor ſalutatus, hoſte quem ſæpius protriuerat etiamnum ignominiosè quaſſato. Velut autem præguſtatorio quodam ferculo eius ad quam aſſeſſurus erat menſæ; propridie ſui tranſitus tricenum Beatorum viſitatione ſe recreatum dixit,& ad cœleſtes illas epulas quantocyus inuitatum. Erat eorum trigeſimus, vt ipſemet gaudens edicebat Nolter Andreas, & effulgebat inter cęteros ſplendidè radiatus. Saluatori exinde, non alia fuere verba pręter iſta, *Quàm dulce eſt, incircumſcriptum lumen videre*! in quorum iterata repetitione, Andrea cæteriſque comitantibus, illi ipſi lumini incircumſcripto, vti

ſpe-

sperare licet, fuit immersus.

Dum ad Beati sepulchtum enixiùs quidam oraret, vidit eius simulacrum regulari amictu induti circumquaque fulgoribus & admirabili maiestate circumfusum, caputque ipsius Sole radiatum in quina sese diademata prodente. Et hæc (ne quis euanescentia putaret) Angelicæ manus opera inhęrescere capiti videbantur, & tantùm non infixa esse, vt in quo ipse gloriæ fastigio esset collocatus, appareret.

In alia inclusa Monasterij S. Marię de Sapientia, pristinus iam spiritus ardor elangueſcebat, cœlestesque flammæ magno animi sui mœrore in fauillam abibant. Harum aliquando curarum mole oppressæ, pręsto fuit Andreas illustri vultu splendidoque; ac baculo quo fulciebatur, vti viuus consueuerat, mentum excipiens, atque ad excutiendum tepore m & mœrorem validè ipsam adhortatus. Percontatæ, *ecquid circumfusus ille fulgor significaret? Firmitati*, respondit, *acceptum ferri, & perseuerandi proposito*. Quo illa prouocamento, contemptis mollibus & calcatis, indefesso labore sudoribusque profusis; viriliter & impigrè in virtutum stadio exerceri cępit.

Quo tempore ad indeflexilem Apostolicę sedis normam, Andreę gesta exęquabantur; propitiam Dei benignitatem, vt quàm ocyssimè operi adesset, cùm omnes, tùm præcipuè Neapolitanæ Virgines Cœnobij D. Andreæ enixiùs sollicitabant, ac inter eas vna experta olim Beati Patris ducatum. Septem sacras circuitiones ea fini moniales instituerant. Nocte quadam alteram ex ijs insecuta, illa ad quietem composita, vidit per somnium ipsum Beatum vultu satis præfulgido, & cum eo magnum Ecclesiæ Myrensis Episcopum Nicolaum; ac interno quodam mentis affatu, pari illos in Beatorum sedibus felicitate inaudijt fuisse donatos: in quę verba vigiliæ restituta fuit lætitię cumulata. Eadem aliàs, animum suum edacibus curis maceratum nonnihil refectura, ante Beati imaginem cernuo vultu, ter Dominicam oratio-

nem,ter Angelicam Salutationem pro trino vulnere,quo is olim ſauciatus,recitauit. Noctu iterum illi Beatus per ſomnium obiectus fuit,eiuſque merentis ſpem erexit,quaſi certo iam in ſui tutelam ſuſceptę.Breue oſtenſum fuit;ipſa ſtatim experrecta.Sed inſtaurato mox ſomno, ecce denuo par illud cœlitum Nicolaus,& Andreas, ſuppares ſeſe in gloria vero teſtamine aſſeuerantes.Illa iterato viſo audacior, cellę quoque ſuę benedictioni inſtitit, & hanc lęta obtinuit. Trãquillatum illicò pectus eius,lętitięque iam impar, membra ipſa excitauit:excuſſoque ſopore hęc ſtatim ab ipſa fuere prolata verba,*Benedicamus Domino*,*Deo gratias*. Porrò diu incerta conſilij hęſit,num hęc propalanda, num ſilentio eſſent contegenda;vtrumque enim periculo videbatur obnoxium; ſiue Beato gloriam adimere,ſiue ſibi humanas laudes mercari.Itaque Beatum interpellat, & præſtò hunc habuit, nocte ſcilicet inſequenti,aſpectabilem,Sancto Epiſcopo etiã tunc ſtipatum, idemque inſtaurantem æqualitatis teſtimonium.Adhuc anxia,& cunctabunda hęrebat, & iterum ſomnium:in quo videbatur ad Beati pedum oſcula eniti,ea verò ſibi negari:quin & eum intuebatur vultus ab illa ſuos auertentem, & plurima collata beneficia exprobrantem. His conterrita,& experrecta, ſenſit corporis etiam doloribus ſe immodicè vexatam; ac tunc demum intellexit è diuina eſſe voluntate, arcana illa in Beati gloriam reſerari. Hoc vt primùm decreuit,ſtatim deſęuit cruciatus, ac mitius ſe habere cępit.Reſerauit,& expers omnino doloris.Nocte inſequenti, rurſus (& iam quartùm) Nicolaum vidit benigniter ipſam ad pedum Beati oſcula inuitantem,& allicientem,velut ſcilicet, reſerata iam, toties ſibi manifeſtata Beati gloria, ad ſueta beneuolentię ſigna receptam.

DEVS

DEVS IPSE, EIVSQVE PARENS VIRGO Andreæ apud se potentiam Mortalibus propalant.

CAPVT XXXVIII.

SEd exilia isthæc visa Deo præ ingenti sua in Andream beneuolentia. Quanti enim apud illum fuit, huius potentem sanctitatem mortalibus innotescere, virtutibus, miraculis, apparitionibus? Cumulare cuncta voluit, non ostẽsione tantùm ipsius glorię, sed excitatione etiam, & illectu ad eius patrocinium inuocandum, pollens in omnia, & infractum, cuique impermium nihil. Id nos hoc exemplo imus comprobatum.

In ipso iam vitæ limine constitutus erat Ioannes Cileus probus ac deuotus Sacerdos; extremisque Ecclesię prędidijs munitus, tenuem spiritum & exiturientem sacris adstantium orationibus fouebat. Preces pro ea tunc & calidas fundebat in Templo Nostro Neapolitano Sanctorum Apostolorum Isabella Barilis deuota femina, flectendo Numini, vt pluscu-lum vitę, morienti protenderet. Ad sui solatium, Ioannis bonum, & Andreæ gloriam, hæc ipsa statim egregio viso recreata fuit. Nempè, vt gloriæ Dominus, se ipsi aspectabilem prębberet, circumquaque Angelorum & Sanctorum innumero penè numero stipatum; inter quos & Andreas quoque fulgentissimè radiatus explendescebat, quem tantùm visus Dominus oranti indigitare, ac subdere. *Huic te commenda feruidè, si quid expetiscis, obtentura facillimè quidquid efflagitaueris.* Nihil illa morata, vitam Ioènis eius intercessu institit rogare. Finem porrò precandi, initium sanitatis fecit. Neque enim decens fuisset, aut Andreanæ gloriæ manifestationem, aut supplicis precationem, futuram otiosam. Et accurata obseruatione compertum fuit, eodem prorsus tem-

poris

poris momento,quo illa peracta fuere, confestim reuiguisse morientem,quem breui integrata salute, in multos postea annos superstitem vixisse comperimus.

Cętera sileamus,vt simile à Deipara Virgine factum narremus.Laura de Gatta compare suo viduata, fœtum suum posthumum immaturò edidit & quadrimestre n. Ecce sanguinis fluxio,virium fractio,sensuum abalienatio. Cùm vana omnia in naturam experiretur, Deiparam quæ sub Carmeli nomine colitur,sollicitat,vt clienti suæ opitulatum adueniat. Iter vouet ad eius sacram ędem non longè dissitam à ditionis suę oppido,vbi misera ęgrescebat; & argenteę tabellę testimonium. Auditur. Substitit sanguis;& ipsa prorsus reuixit. Porrò funestauit hanc sanitatis lętitiam, statim recursans morbus, vix inde regressam aggressus & acerbiùs. Nam filiarum cura innubarum inque maxima orbitate extra patrium solum,ardentiùs ipsam angebat. Iam oculi caligare cęperant,& spiritus reciprocatio in pulsu vitę indice, momenta non dies promittebat. Iterum seruatricem suam inuocat,& ex auro intertextam vestem spondet.Visum tunc ęgrę, Virginem velut subagrestiusculo vultu donarij sponsionem acceptasse. Quo ipsa percita gestu,aliquem saltem ostendi efflagitauit, cuius intercessu cunctantem sanitatem apud Deum posset vrgere:& ab eadem Deipara Andream indigitatum. Hunc ipsa interpellans, *O*, inquit, *beata Dei præsentia felicissime,ecce doloribus affectam,& penè confectã; iuua me tuis precibus.Celebrabo te salutis meæ intercessorem appenso vestis anathemate,& picta Virginis,ac Tui imagine.* Hęc mente volutans, sopore statim corripitur. Cùm primũ diluxit,gnaram facit domesticam familiam, à seniculo se sanatam.Putare cęteri mente illam emotam. Ipsa verò non mage verbis, quàm integra incolumitate facti veritatem obstirmare, & Andream celebrare.Neapolim reuertit, vbi contra spem ęstuantiùs febriens, sanguinemque copiosiùs mittens,vicinam ineluctabilem horam expectabat. Nefas

verò

verò videbatur, Beatum violati promissi reum accusare: Fidem certè suam liberauerat, cùm illi tantùm vitę fuisset protensum, quantum expetitum; quanto scilicet opus fuerat filiabus in patria reducendis. Attamen semel sibi deuotam, haudquaquam in extrema vitæ angustia dereliquit Beatus, sed pilei sui clericalis contactu, etiam hac vice sanitate donauit, vario beneficiorum testamine gratissimam.

FAMA SANCTITATIS BEATI, EIVSQVE sepulchri veneratio.

CAPVT XXXIX.

STatim atque relictis corporis exuuijs, Cœlo Beatus hic fuit insertus; nulla tunc mora, omnis sexus, omnis ætatis, omnis gradus homines certatim ad eius sepulchrum adacti fuere: ipso interim opem suam non differente, vt aliàs narrauimus. Quòd verò diuinæ isthæc magnificentiæ monumenta essent, solidæque Andreæ virtutis, cùm semel viguissent, nunquam postea apparuere defloreſcentia; sed auctiora magis in dies, & augustiora. Quapropter Castri-noui incolæ conciues ipsius, anno obitus sui vertente, sacram eo die, publicamque circuitionem, annuente Episcopo Diœcesano Anglonensi instituerunt; ingenti gratiarum actione grati Deo, qui tanto homini illud natale solum feciſſet, quē subsequo suæ benignitatis afflatu, ex ijs, quæ facta aduertebant, intra Sanctorum aliquando album conscribendum consectabantur. Ex eo itaque tempore, magno deuotionis illectu, in sanguinem quisque ipsius possidendum, ossa, capillos, cæteraque eius lipsana inhiauit auidissimè; eorum verò aliquid adeptus, custodiuit religiosissimè.

Ex ipsa etiam vltima Hispaniæ ora, Gallęciæ scilicet Regno, cuius habenas Prorege moderabatur vir eius Aloysius Henriquez, literas ad Neapolitanum Præpositum dedit Ca-

tharina

tharina Luxania,imagunculam repetitura , quam Beato cõmodauerat. Erat verò repetitionis instantia, quòd nollet ea frustrari,ante quam certò sciebat,Beatum sæpius preces fudisse. Baculus quo languida membra suffulxerat , Corneliæ Caracciolæ testamento fuit legatus à Lucretia Suarda, velut antiquæ necessitudinis pignus . Alterum verò nacta Beatrix Tusia donum misit Marię Franciscę Piscarę Castaldæ dilectissimæ filiæ, in Diui Andreæ Cœnobio. Forficulę , quibus aliquot eius capilli pręcisi fuerant,igni postea sacratę fuere, ne cui profano operi deseruientes polluerentur. Argenteum item vasculum,quo exceptus tantùm fuerat sanguis, qui ex inciso eius cadauere guttatim stillauerat , inter pretiosa habuit Catharina Carafa : & cùm sęculum relinqueret, Altissimo in Diuę Marię de Sapientia famulatura;hoc ab ea, in maternę orbitatis solatium Hieronyma Curtis Crypteriæ Marchio eius filia poposcit,& obtinuit . Sellam pręterea ipsius,& lecti stragulum Isabella Caracciola Aquarij Ducissa seruat adhuc, quàm fieri potest religiosissimè : ac cæteri cętera,quibus se magis quàm reliqua pretiosa suppellectili censent prædiuites.

Verùm & plerique parentum , Andreæ nomen filijs suis indunt,non vana credulitate putantes,eiusmodi appellatione , Beati patrocinio illos contradere tutandos . Visuntur etiam puelli eius habitu circumamicti, quem voto exempti sepulchro ipsius appendunt, æternum accepti beneficij monumentum. Imaginem prętera ipsius cùm Moniales,tùm sęcularium plerique allucente iugiter lampade venerantur.

At sepulchrum eius communi omnes pietatis tessera inuisunt,concursu,plausuque. Nec desunt qui nudipedes illuc accedant , eodem quoque habitu repedantes: nec qui & Eccleśię solum quaquà versum lingentes. Cereos alij accendunt sanctitati eius consecratos , hoc modo cultum pietatis explicantes. Flosculis quoque tumulus inspergitur ad sanitates varias repetitis . Et oleum alij expoſcunt luminis pabulum

bulum perpetuò ibi collucentis, vt infirmos ipso illiniant; illinitos sanitati restituant.

Sed enim hoc eius sepulchrum cunctis miseriarum dicitur refugium: & solerti cura obseruatum fuit, nunquam desideratos ibi supplices, aræque aduolutos: ac euentu semper felici, ex varia nempe multorum salute, quos medicinæ docta licet medela curare nequiuerat: siue propter çrumnosorum solatia, pias pœnitentium lacrimas, dulcem sensum pietatis, mentiumque perditarum, & profligatarum mutationem. Ad hæc, profestum ipsius ieiunio plerique celebrant; quorum nonnulli interdicto etiam sibi obsoniorum quorumcumq; cibatu, pane tantùm, & aqua contenti. Noctu alij ante sacra pignora peruigiles; velut cęlestes ibi excubias exercent.

Quotannis verò ipso die festo, inter Missarum solemnia Inclytæ Neapolitanæ Ciuitatis. Sex-Viri argenteum ei calicem trilibrem offerunt, ac sex insuper cereos, eius imagine, Ciuitatisque insignibus decoratos. Adiecta præterea fuere aliquoties finitimarum Ciuitatum, & oppidorum dona, & Religiosorum, ac Sodalitatum; non earum modò, quibus Nostri præsident, sed etiam externarum, cũcta publicæ fidei testimonio recepta. Priuato etiam cultu, multi in eius honorem, quem sibi Patronum adoptant, Officium recitant, quo Ecclesia Confessores non Pontifices cohonestat. Ita omnium animos peruasit indubia de eius sanctitate opinio.

Præclarum tamen eiusce rei testimonium, & quo certè non aliud luculentius, aut loquacius, ipsa anathemata reddunt, ac donaria, quæ aram ipsam circumstipant, totiusque Templi faciem ornant, seu sacro Vestiario conduntur. Sunt hęc (vt minus pretiosa prætream, cerea scilicet, & lignea, ac loculos innumeros, designata morituorum domicilia) argentei calices, vrceoli, coronæ, lychni, vasa, candelabra. Aureę armillę, & monilia, vnionibus pretiosisque lapillis intertexta. Altaris ornatus argenteus pręclaro opere cœlatus.

Aræ eiuſdem veſtis Attalicæ,& ex criſpante auro,ſeu textili. Sacerdotum ſacris operantium amicula holoſerico, & opere Phrygio conſpicua. Beati ſimulacrum argenteum pondo librarum centum: & votiuæ laminę argenteæ ſupra ſeptingentas; quarum plurimæ ſingularum, multæ ternarum, & quaternarum librarum,nonnullæ etiam ſenarum, ac denarum. Quæ omnia labente quartodecimo à Beati obitu anno,ad Epiſcoporum Horatij Myrti Rubenſis, & Hieronymi Campanilis Laquedonenſis,Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Subdelegatorum libram examinata, duodenum millium aureorum ſummam excedebant.

RELATIO EIVS IN BEATORVM Catalogum.

CAPVT XL.

TAnta Sanctitatis Beati fama, eiuſque ſepulchri veneratione,videbatur eius meritis factum ſatis: At non viſum,Dei inexhauſtæ liberalitati:cui inſitum,non exæquare tantùm,ſed ſuperare commeritam noſtris laboribus mercedem. Admiſſo itaquè ad indeficientem boni totius guſtatum,voluit adhuc Deus in militante quoque Eccleſia id luculenter innoteſcere. Et opportunis inſpirationibus Principum aliquot corda permouit;qui, ſeu beneficio exciti, ſeu ſanctitatis fama illecti,pro eius in Sanctorum numerum relatu,apud Apoſtolicam Sedem contenderent. Fuere inter cæteros,Philippus III. Rex Catholicus, ac Ludouicus Chriſtianiſſimus. Margarita Gonzaga Ferrariæ Dux. Iſabella Infans Sabaudię,ac Mutinæ Princeps. Maria Magdalena Archidux Auſtriæ, & Magni Etruriæ Ducis vxor. Carolus quoque Emanuel Sabaudiæ,Ferdinandus Mantuæ, & Raynutius Parmæ Duces. Necnon & Inclytę Neapolitanorum, & Panormitanorum Ciuitates. Imbribus porrò diuinæ gratiæ repentè deiectis,Pontificij pectoris ſolum, rigidum alioqui,

qui, vt rem tanti momenti decebat, molliri visum fuit, venæque fontium arentes redintegrari, & infuso per occulta nutrimento renouari. Trium etenim Pontificum, qui interea in Petri cathedra consedere, nemo non in Andream fuit munificus, nemo non propitius. Mortales hic exuuias sub Paulo V. posuerat; & sub eo primum testes de eius sanctitate ac miraculis recepti fuere in varijs Italiæ Vrbibus. Gregorij postea XV. iussu, qui illi in Pontificatu successit; Apostolici Palatij Auditoribus delegatum, vt Apostolica auctoritate eorum dicta repeterent. Quod hi per Subdelegatos Episcopos, ad præscriptam sibi normam cuncta exercitos, perfecerunt. Benefico interea Numini supplicatum fuit, indicta publica per vniuersam Religionem oratione à P.N. Vincentio Giliberto Præposito Generali, vt non dispari animi propensione, ac celeritate, & ipsi quoque Auditores, ac S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præfecti, ad quos è Curię stylo deuoluenda erat causę cognitio, in ipsam essent affecti: & annuente eo, impetratum. Ex humanis etenim sublato Gregorio, ad Apostolatus apicem vniuerso Orbe plaudente, qui nunc præsidet Vrbanus VIII. euectus fuit. Valuit hic, & voluit, antiqua ingentiaque in Religionem nostram beneficia, maximo isto obsignare. In Auditorum quippe suffragia etiã Cardinalium sententiæ consenserunt, insigni studio & vigili industria pro suo in B. & Religionem affectu Caroli Emanuelis Cardinalis Pij; postquam Vrbe cessisset Tiberius Cardinalis Mutus, pluribus egregiè in eo negotio functus. Has Christi Vicarius Decreto suo roborauit, cùm declarauit, *ANDREAM VIRTVTIBVS, AC MIRACVLIS SVIS, SANCTITATISQVE FAMA ID MERITVM, VT BEATVS DICI POSSIT, DIGNVSQVE CENSERI, QVI IN SANCTORVM CATALOGVM, PVBLICO VNIVERSAE ECCLESIAE CANONISMO POSSIT REFERRI. INTEREAQVE CELEBRANDAS IN EIVS CVLTVM MISSAS, OFFICIAQVE RECITANDA*

IN TEMPLIS NOSTRIS, EO RITV, QVO ECCLESIA CONFESSORES NON PONTIFICES COHONESTAT, ET VENERATVR. Ergo, fauente Deo, ſalutari quidem exitu res terminata fuit, ſed extraordinaria, pauciſque conceſſa felicitate, laus meritorũ cumulata gratia celeritatis. Quanquam etenim tunc ſextus tantùm ſupra decimum annũ à Beati tranſitu flueret; adhuc tamen ſi tempora diſpiciantur; in quibus primùm res agitari cœpit, ac ea demantur, quibus bis Petri ſedes vacauit, fuitque noua Romanæ Aulæ facies; exigua ſupputatu relinquentur. Ex eo certè, quod (vt huius Hiſtoriæ initio dicebamus) feſtina accurrerit in Iuſti huius mercedẽ, Dominica benedictio.

Vt primùm Pontificium diploma vulgari cępit; Noſtri de Beati oſsibus in ſublime eleuandis, ex humili, in quo iacuerant loco, deliberauerunt. Contigit autem non fortuitò, ſed occulta Numinis prouidentia, eleuationem ad vſque III. Kalendarum Octobrium differri, qui dies in Eccleſiaſticis faſtis Michaëli Archangelo ſacer eſt. Fortè, vt, ſauciatus olim trino ſæuoque vulnere Andreas, ne Dęmonis morſibus obijceret Sanctimoniales inuicti illius cęleſtis militiæ Principis tutelæ cõtraditas; primitias publici in terris cultus, eo prorſus die conſequeretur, qui huic eſſet dicatus; accepti ſcilicet beneficij memori; ideoque in conſortium gloriæ ſuæ, illo ipſo die illum aſſumenti. Itaque peruigilio D. Michäelis (quod Noſtris ſolemne ieiunio fuit) ex angulo Cappellę, in qua eouſque iacuerant, ad Altare, quod ponè Aram maximam erat extructum, incenſo flagrans odore, argenteis candelabris, & vaſculis pretioſum, cereiſque collucentibus illuſtre, operisque Phrygij ornatu decoratum, Sacerdotum humeris ſublata, ac repoſita fuere. Ex quo prorſus momento ad vſq; veſperam ſequentis diei, ad beata illa pignora alterna Noſtrorum ſupplicum viciſſitudine, velut excubiarum ritu aduigilatum fuit. Illuceſcente craſtino, adiectus fuit magnus

popu-

populorum concurſus, ſanctas Reliquias deoſculantium, coroniſque contingere ſatagentium. Integræ etiam Religioſorum familię, agminatim illic cernebantur in genua prouolutę, quorum pleriſque pius animi ſenſus lacrimas eliciebat.

Parabat Neapolitanorum deuotio in ſacra, quam pręſtolabatur circuitione, Parentis ſui memoriam magnifica frequentique arcuum erectione, ceu in Triumphi ſpeciem, per publicas Ciuitatis vias honeſtare. Sed dehortantibus Noſtris, quòd ſcilicet nondum Andreas in Sanctorum album eſſet adſcriptus; id tantùm fuit permiſſum, vt deducendo ad prędtitutum Altare, quòd Templum commeantibus eſſet anguſtum (ingens quippe multitudo coiuerat) dilatarentur ſpatia circuitionis; ac tanta paterent, quāta Templi ac Domus ambitu cingebantur. Quà inceſſum fuit, ſolum frondibus cernebatur conſtratum; parietes aulęis ac periſtromatibus, pictiſque inſigniter imaginibus ornati; cœlum velo bracteis intertexto ſplendeſcens. Ac in quatuor interuijs Eccleſijs, totidem arę, quàm religioſiſsimè exornatę aſſurgebant.

Pompam omnem prędcedebat inſigne labarum è textili ſerico rubro, interſitis aureis ſtellulis radiante, quod alieno robori innixum, è Spinella familia, Ferdinādus, Tarſenſium, & Scipio, Cariatenſium Principes circumferre fingebant. Labarum turmatim ſequebantur Nobiles Viri ad centum quinquaginta. Poſt eos Simphoniacorum Chorus. Tùm Noſtri ad octoginta ſupra centum. Et iterum Simphoniaci. Demū beata pignora arcę occluſa, Sacerdotum humeris ſublata, quę Attalica veſte circumquaque amiciebantur, quāq; vmbella contegebat, cuius haſtas Sex-Viri Neapolitanę Ciuitatis excipiebant. Ponè illa, Dux Albanus Prorex, Conſiliorum ſuorum à ſtatu, & Procerum, ac Nobilium ſupra trecentos, comitatu magnificus. Summa omnes incedebant reuerentia, ſumma religione; aperto ſcilicet capite, & accenſo

cereo

cereo manus impliciti. Prodeuntem à maiore Templi ianua arcam, tres Regiæ arces æneorum tormentorum diſploſione ſalutatum aduenere. Sic ambitum omnem Templi ac Domus, confertiſſima nobiliſsimaque corona circumdedit. Reuectam ad Altare arcam, duodecim Epiſcopi ſuis manibus è Noſtrorum humeris excepere: recitatisque è cęremoniarum libello precibus, venerabundi adorauere. Ea Veſpera & quæ ipſam inſecuta fuit, certatim omnes ingentis lętię ſigna accenſis in ſublime ignibus edidere; ac prę cęteris Religioſorum nonnullæ Domus, ac Sanctimonialium.

Recurſu Natalis Beati, qui in IV. Iduum Nouembrium incidit; ſolemniore ornatu Templum ipſum explenduit. Icones quippe, hieroglyphica, & emblemata, facię eius vniuerſam, ac ipſum etiam laqueare operiebant: & quę his nudata erant, attalico ſtragulo conueſtiebantur. Argenteis vaſis, & candelabris cuncta radiabant: facibusque vbique collucentibus ardebant. Arę omnes, Phrygij operis ornatu, vmbrarum opacitate pretioſo, ac intertextis floribus variegato, diteſcebant. Ipſa arca, lazulo lapide, iaſpide, & achate mirè fabrefacta erat. Simulacrum pręterea Beati argenteũ, vbi & eius lipſana, in ara maxima patebat adorandum: E cuius regione hierotheca erat argentea, in qua trinæ cernebantur ampullę venerandi cruoris, qui è defuncti manauerat cadauere, ſpumeſcentis, & colliquefacti. Integra dierũ hebdomade, inter ſuaues concinentium choros, in eius honorem ſolemnia celebrata ſunt, & Panegyricæ conciones habitę, à ſupremi faſtigij variorum Ordinum Concionatoribus, ingenti ſemper populo Aedem ſacram implente. Cõpertum eſt autem curioſo nonnullorum ſupputatu, diligentique; in eius Feſti pompam expenſa, eaque haud emendicata, ſed voluntaria pietate oblata, vicenum aureorum milliũ ſummam exceſsiſſe.

ASCI-

ASCISCITVR PANORMITANAE VRBIS *Protector.*

CAPVT XLI.

EST Panormus nobiliſsima Siciliæ vltra Pharum Ciuitas, & antiqua Regum ſedes: in qua nihil eſt rerum ſecundarum, quod non ipſam circumfluat. Per eam tamen ſub hoc tẽpore infauſto nauigij ex Aphrica appulſu, atrox lues, contagionè vagata, multiſque Ciuium abſumptis, fuit immanè graſſata. Flectendo Numini, inopiæque pauperum ſubleuandæ, multa patrabantur, & egregiè à Ioannettino Cardinali Doria Archiepiſcopo, Regnique totius Præſide (qui audita Ciuitatis calamitate, ſua ſanitate deſpecta, quã vacillantem per aquas Thermenſes vtcumque fulciebat, ſtatim feſtinus accurrerat) multa à pijs Patriæ Patribus, ſiue Senatoribus. At, quod caput erat, adinueniendi Sacramentorum adminiſtros, ſpes nulla erumpebat: quantacumque enim prece, & largi etiam ſtipendij oblatione, ob ſerpentem perpetuò cladem, deteriorum quoque minitatricem, cuncti deterrebantur. Noſtri vbi id ſibi compertum, roborato ſpiritus feruore, Senatores adiere, ſeſeque vltroneos epidemicorum miniſtros obtulere. Poſtridie quàm duo ex ijs, Campum qui D. Lazari dictus fuit, petijſſent, Neapoli aduenit Petrus Gheuara, Panormitanus Præpoſitus, à Ciuitatis ingreſſu validè excluſus, pertinaci tamen ſua petitione, tandẽ in eam admiſſus. Is prudentia & charitate, qua erat prædituſ, ſucceſsiua Noſtrorum ſortitione non ceſſauit vbique decumbẽtibus induſtriam operam ſolicitus miniſtrare, eo maximè tempore, quando nullius adminiculo hæc facitabant: Antequam ſcilicet ipſorum exemplo excitati alij ex aliarum Religionum cœtibus, ſeſe illis adiunxiſſent.

Duodecim ex Noſtris in ea clade arrepti fuere: ſed &

quinque

quinque etiam correpti. Sacerdotes nempe duo, Alexander Trottus Ferrarienſis, & Ioſeph Mignia Panormitanus: robuſto vterque ſpiritu, & aſperrimo indutus cilicio; morboque licet inuaſus, ac ſacro vnctus oleo, adhuc tamen decumbentium miniſter. Et ille pręterea obeuntium cadauera ſepulturę mandare, & in lactentium ora, ſuis ipſe manibus caprinum lac ſuetus inſtillare, cùm interim ad maiorem ſui cruciatum ferrea catena eſſet conſtrictus. Hic verò pręguſtatorio poſtea ferculo, cœleſti muſica ad ſempiterna gaudia diutiuſculè inuitatus. Tres autem ex Fratrum Laicorum Ordine, Ioſeph Scarſella Drepanitanus, Profeſſus, & Blaſius Natalius, ac Franciſcus Ieracius Panormitani, qui ſub tyrocinio probabantur.

Molliendę diuinę irę, & in odium peccatorum arman dis Ciuibus, publica oratio à Gheuara in Templo noſtro indicta fuit, & integro fere anno nunquam intermiſſa. Singulis enim diebus inter Veſperarum recitationem, per ſacra æra coacto ibi populo ante auguſtiſſimam Euchariſtiam, quæ ad orantium ſolatium inter collucentes cereos patens adorabatur, preces fundebantur feruidę. Trimeſtre pręterlapſum erat ab inſtituta eiuſmodi ſupplicatione; cùm Cardinalis iuſſu, identidem fecerunt ſed de mane, Parochię omnes; reliquęue Regularium vtriuſque ſexus Eccleſię. Noſtri Veſpere vt ſolitauerant; ac rurſus mane: vegeto ſemper & alacri ſpiritu.

XV. Kal. Nouembrias, Templum noſtrum adiuit Cardinalis, & cum eo Senatus Vrbis, hymnum Deo in gratiarum actionem dicturi pro Andrea in Beatorum catalogũ relato. Actis Deo gratijs, Cardinalis promouendę Beati glorię, & oſtendendo erga Noſtros affectu nequaquam deſes, allocutus Senatores, vehementi eos ſuaſu impulit, vt Andream ſibi tabis deprecatorem vouerent: & cuius tutamen multimoda eouſque beneficiorum ſerie fuerant experti; hunc ſibi peculiarem Patronum aſciſcerent: quem pręterea ſciebant

ex eo

ex eò esse Religiosorum cętu, quorum plerosque eiusdem Ciuitatis bono, martyrij tunc candidatos licebat appellare. Post quatriduum, Senatorum pietas, eximiusque in Religionem affectus, publico decreto, communique omnium plausu Andream Panormi Patronum acclamauit: & post ipsum alios.

Vix paucorum dierum interuallo, concepto etiam voto obstrinxit se Ciuitas, impensuram operam suam, vt quantocyus Andreæ Officia & Sacrificia, in singulis quibusque Panormi Ecclesijs decernerentur: vti breui Pontificis benignitate eiusdemq; Doriæ patrocinio decreta fuere, ceu Patrono & Protectori.

Quod ad luem attinet, Andreæ inuocatu collata fuerant beneficia nonnulla, eaque non vulgaria. Compertum tamen fuit, tantum pœnarum non à Deo vsurpatum Panormitanis perdendis, sed emendandis, seruandis, & in Conciuis suæ Sanctæ Rosaliæ venerationem excitandis. Diù nobilis hæc virgo, ante annos viginti supra quadringentos intra Peregrini montis cauernas latitauerat. Erexit tunc caput, & nota insurrexit, prompto & cito in Conciuium suorum auxilio. Ac temperauit statim lues in eos sęuire, quos haustu aquæ eius lipsanis intinctæ videbat refectos. Vbi verò, concepto voto, solemnis ei pompa decreta fuit, & anniuersaria veneratio: agnouerunt omnes illico ipsam propitiam ac tutelarem, tranquillantem omnes æstus, exaudientem intimos gemitus, excipientem suspiria miserorum, & abstergentem eas lacrimas quas putauerant fore perennes.

Verùm neque hic beneficiorum quibus à Senatu cumulati fuimus, finis. In recentis quippe Patroni sui veneratione, perpetuam centum aureorum statuit largitionem, quotannis in eius natalis festo, publico nomine in Templo nostro erogandorum, vbi pretiosa eius costa asseruatur. *Quòdque* (vt diplomatis habent verba) *Nostri primam & inaficientem operam in ea cladis iactura præstitissent; ac alios quoque*

ſuo exemplo ad id genus obſequiorum excitaſſent, prouocaſſent, traxiſſent. Quòd item Xenodochiorum regimini per annum præfuiſſent. Et expenſas haud mediocres tam in alimentis, quàm in ſuppellectili ac veſtibus, cæteris exhibitas, alacriter reſpuiſſent. Et ipſis etiam domibus tabifica putredine purgandis, publiciſque donarijs in pauperum vſum diſtribuendis, indefeſſis viribus vacaſſent. Vtque ab ijs inſumpta, inuitis aliquo modo compenſarent. Decreuit itaque Senatus ea liberalitate, Beato cultum; Sibi magnificentiam; Noſtris grati animi teſtamen.

EVM SIBI NEAPOLITANA CIVITAS in Patronum adoptat.

CAPVT XLII.

MVltis ſanè pietatis monumentis, ijsque pręclaris, cùm priuatim, tùm publicè, ſuam erga Beatum reuerentiam, Neapolitana Ciuitas fuerat conteſtata, frequenti nobis narratione cõmemorata. Pronior tamen ſemper in eius cultum, adhuc longè dictis eminentiora, tacita moliebatur. Ex eo enim prorſus tempore, quo is miraculis inclareſcere cęperat, ſuique in Ciuitatem patrocinij ſigna edere; vna cuncti ſententia velut occulta quadam animorum conſpiratione, ipſum aliquando in peculiarem Vrbis Patronum adoptandum credidere. Cęterùm diuina humano more metiẽtibus; id voti potius erat, quàm ſpei: imò ne voti quidem: cùm ſuperfluum videretur, id optare, quod expetere nemo cum ratione poterat. Octo enim tantùm eouſque ſibi Neapolis aſciuerat tutelares: quos & quantos Diuos! Inclytum martyrem Ianuarium: Epiſcopos alios quinque: Agnellum Abbatem toties ſibi viſum è ſuis mœnijs Saracenos præcipiti ipſorum ruina deturbantem: & Eccleſię lumen Thomam Aquinatem; & hunc poſt trecentenarium ferè ſui in San-

Sanctorum Catalogum census.

Fouebat interea Deus rudimenta quædam spei in suorũ mentibus familiarium. Quædam enim non genere magis, quàm virtutibus illustris; à mundi cœtu secluſa, & in cœnobium Monialium sanctitate venerandum recluſa; postquam se Christi corpore aliquando refeciſſet, intenta contemplationis dulcedini, vidit Beatum Christi pedibus aduolutum; dextera Religionem, siniſtra Neapolitanam Ciuitatem arctiſſimè complectentem. Putauit autem eo viſo, indicatam ſibi parem Andreæ in Religionem ſuam, & in Ciuitatem tutelam: pro quarum salute oblatas ab illo preces haud fuiſſe irritas, ex ipſo Christi vultu coniectabatur satis in supplicẽ benigno, vtque rogatorum liberalem largitorem decebat. Lactabat bona hęc spes eius oſtenti conſcios.

Fortius tamen spei adminiculum quodque ipſam validiùs poſſet excitare & erigere, alterum fuit eiuſdem Sãctimonialis viſum. Iteratò enim hęc à ſacra Synaxi, ſolitaria in ſe recedens, Christum habuit obtutui ſuo apparentem: Sanctisq; Patronis Ianuario Præſuli, & Thomę Doctori iubentem, vt Andream medium inter ſe collocarent; collocatum cãdidiſſima veſte amicirent, amictum ſex reliquis Tutelaribus intermiſcerent. Quo facto, prolixiore cunctos, Christi intuitu recreatos: ex cuius vultu ſplendidiſsimi radiabant fulgores, tanquam ad maieſtatis oſtenſionem in periucundo illo ſpectaculo.

Nota hæc nonnullis, quibns hac futurorum expectatione perfrui, non exiguum erat ſperandi delinimentum, nec planè inualidum incitamentum, ad illud elaborandum, quod ſperabatur. Sed obſtructi videbantur aditus, & imperuij. Reſerauit tamen eos, & opportunè, qui potuit, Deus. Labente ſiquidem anno Iubilęi, ipſo Septembri & anniuerſario Andreę in Beatorum Catalogum relatus, intimo quodam mentis impulſu, parique impetu, Nobiles aliquot, Noſtros adiere: breuique facturos ſeſe ſpopondere vt Beatus intra Nea-

politanorum Tutelarium numerum cooptaretur. Noſtri in arduo conſilij decreuere, primùm impenſiore prece Deum rogandum, vt in cęteris, ſic in hoc pręcipuè negotio, Religionem protecturum peculiari ſuæ prouidentię nexu ſibi deuinctam. Tùm ineundum cum Nobilibus alloquium. Flexo per Orationem Numine inita conſultatio ipſa die D. Ianuario Protopatrono ſacra. In ea ſpei radijs affulgentibus, non inania fuiſſe viſa, quibus innixi fuerant, apparuit; aditus enim, qui cernebantur obſtructi, peruii patuerunt ac reſerati. Indictum itaque fuit publica authoritate publicum Concilium.

Mos eſt Neapolitanorum; vt grauiora Ciuitatis negotia, à Nobilibus in quinque Confeſſoriis, ſiue, vt appellant, Sedilibus, à Popularibus in ſua Platea, agitentur. VII. Kal. Octobrias, inter Octauas eiuſdem D. Ianuarii, Nobilium Concilium coactum fuit, ac poſtridie Popularium. Suffragantium numerus trecentenarium ſuperauit: agminatim etenim cõfluebant omnes: nam ſuffragio conciliare ſibi velutque vincire putabant Beatum. Quin & nonnulli filiorum-familias, emancipari ſe à parentibus petierunt; vt patria exempti poteſtate, ſuffragij iure potirentur. Coiuit autem omnium ſententia; Beatum, maximo Ciuitatis bono, in peculiarem eius Patronum aſcribendum: tanta ſuffragantium lætitia; vt diſſoluto Concilio, occurſus gaudentium plurimorum, neminem paſſus fuiſſet, tanquam in communi gaudio, ſolum lætari. Id vbi publico Ciuitatis nomine ad Illuſtriſſimum Cardinalem Carafam Archiepiſcopum; & Excellẽtiſſimum Ducem Albanum Proregem delatum fuiſſet; pari vterque ingentique gaudio, pro ſuo in Beatum & Ciuitatem affectu, fuit exhilaratus.

Reſcribenda erat electio in publicas tabulas: & nullo quidem artificio incidit ea reſcriptio in diem vigeſimum nonum menſis, Archangelo Michãeli dicatum. Fortè vt anniuerſaria hac pompa, cœleſtis militiæ Principis beneficus in

Andream

Andream animus rursus explendesceret, vulneratum quō-dam pro Virginum custodia, sub eius inuocatu sacrarum. Conuenerunt ea die in Templum nostrum Paulinum aliquot è singulis quibusque Nobilium Confessorijs,& ex Populari Platea,vt vocant,Deputati,nouem ac triginta,ante aram, maximam,vbi totidem Sedilia prostrabant, totidemque puluinaria,vtraque ex serico villoso,super pauimentum variegato tapete constratum. Adorabatur in Altaris dextera Beati simulacrum argenteum eius lipsanis venerabile; & è regione argentea hierotheca eius sanguine pretiosa. Sedato populi tumultu,qui innumerus confluxerat, Ciuitatis tabellio elata voce electionis instrumētum confecit, quo ipsa eum sibi Patronum adoptabat. Quod postea iureiurando ad sancta Dei Euangelia fuit roboratum.

Excussit porrò vniuersæ adstantium multitudini dulces lacrimas pietatis,tot beneficiorum auditio in instrumento refricta, quibus à Beato affatim Ciuitas cumulata, seu viuente,in sexagintannali ferè eius incolatu; seu inter Cœlites translato,dum ad beata illius pignora, quibus tanquam pretioso thesauro ditescit,supplicabunda sueuit accedere. Et in spem quoque quisque erectus,potenti ipsius apud Deū intercessu, Ciuitatem in auita Religione veroque Dei cultu, quo ab ipso Apostolorum Principe dum Antiochia Romam peteret,fuit imbuta,firmiter conseruandam. Philippum Regem, columen & præsidium nominis Catholici, diuturna felicitate in fastigio maiestatis consessurum. Ciues in antiqua erga Regem fidelitate nunquam vacillaturos. Ipsorum inter se odia quæcumque abolenda. Erumpentem vnde vnde seditionem,maturè proterendam. Bella,famem,pestilentiam,cæterasq; humanæ miseriæ calamitates, quàm longissimè eliminandas. Antistites iustitiæ Magistratus, scientiæ,& conscientiæ luce circumfundendos. Et omnia demum Ciuitati bona ex hoc Patrocinio fore deriuanda.

Postea hymnus in gratiarum actionem Deo dictus, Præ-

posito Domus præcinente,symphoniacis succinentibus inter tubarum & sacri æris sonitus, bellicorumque tormentorum disploſiones. Ac demum Collectę sacræ recitatæ. Harũ postrema erat pro Ciuitatis protectione inuocatis eius Tutelaribus,quorum vltimus erat noster Beatus; cuius audito nomine,populi deuotio vltra se cohibere non valens,exclamauit elatè, *Beate Andrea Protector noster ora pro nobis.* Ea vespera,& binis quæ ipsam insecutæ fuere;plateæ,fora, Sacratę & profanę domus igne micanti flagrarunt,gaudij lętitiæquæ indice. Intra eius celebritatis octauas,insigne labarũ è textili serico rubri coloris, publico nomine Beato fuit ab eisdem Deputatis oblatum: quo ipsius erga Ciuitatem tutela,quam propitio vultu respiciebat; miro artificio exprimebatur. Ascito inter Neapolis Tutelares Andrea, paulò post asciti fuere & alij.

Verùm,magnifica venerationis obsequia, in Beati honorem exhibita,fusiùs alijs narranda relinquimus.Fuerunt autẽ plurima: non hic tantum vbi eius velut natale solum; sed in ipsa etiam Vrbe,ac Matriti in Hispania à Catholico Rege, integra dierum hebdomade: itemque Mediolani, Venetijs, Florentiæ,Patauij,Panormi: atque vt semel dicam, vbicũq; minima hęc omnium Religio sedem hucusq; fixit & domicilium;frequenti semper admirandorum multitudine,inclarescentem eius Beatitudinem comprobante.Nobis satis fuerit, hac scriptione,quam ipso B. in primis fauente ad calcẽ perduximus,legentium animos ad eius inuocationem inuitasse, allexisse ad venerationem,seriò cogitaturos, & cum fructu:

QVANTA EVM GLORIA MANEAT IN COELIS, QVI TALITER HONORATVR IN TERRIS.

FINIS.

IN-

INDEX
MATERIERVM INDICE PRAETERMISSO,

facilè ex ipsis Capitum Titulis obuiarum, Personarũ tantùm catalogus texitur (quanquam nec omnium) quarum hic aliqua mentio. Et ipsa prius Beati Vita per Anacephaleosin contrabitur.

Prior numerus librum, posterior Caput indicat.

ANDREAS AVELLINVS

Nascitur lib. 1. *cap.* 1.
Pius inter cunas. ibid.
Virginitatem tuetur. ibid.
Clericali militiæ ascribitur. 2.
Docet catechismum.
De vita periclitatur. 3.
Neapolim petit.
Inhiat honoribus.
Tela in sui puritatem retundit.
Vouet Virginitatem.
Legum laurea donatur.
Sacerdotio insignitur. 4.
Vacat animarum expiationi confessionum auditione.
Famescit gloriam, & cõercetur.
Foscarenum suo fructu cognoscit.
Marinonio sui imperium tradit. 5.
Spiritus incrementa in vigesimo septimo suæ ætatis anno.
Mendaciolo veritatem obnubilans forum detestatur. 6.
Laborat, sed perperam in Virginum custodia. 7.
Captis insidias euadit.
Et alia castitatis tentamenta.
Orans à parricida minimè læditur.
Vulneratur in facie.

Diuina

Diuina in eius percußores vindicta.
Religioni nomen dat. 8.
Phreneticum curat, & cum forti patientia.
Petit Vrbem. 9.
Iacobi Molani palæstrites. 10.
Tyronum Magister. 11.
Cogitat Hispanias. 12.
Præpositus Neapolitanus.
Subit dæmonum odia. 13.
Mediolanensis Domus Vicarius. 14.
Præpositus Placentinus. 15.
Sudat in Pœnitentium Domo.
De fama periclitatur.
Farnesiis reuerendus.
Galliæ Cisalpinæ Visitator. 16.
Ab equo excussus, sed illęsus.
Afflictus à Baptista Vernacia leuatur. 17.
Solario sui habenas tradit. 18.
Præpositus Mediolanensis. 19.
Sancti Caroli testimonio decoratur.
Augustissimam Christi humanitatẽ videt. 20
Præpositus Placentinus iterum.
Solarii animam cœlum petiisse testatur.
Neapolitanus Præpositus. 21.
Sedat eius Ciuitatis tumultus. 22.
Visitator Romanus, & Neapolitanus. 23.
Aegrescit, & miro modo sanescit. 24.
Vicepræpositus Neapolitanus.
Consolatores habet, & Adiutores, Augustinum, Dominicum, ac Thomam Aquinatem. 25.
Vicinam suam mortem prædicit. 26.
In Altari Apoplexia corripitur. 27.
Pugnat cum Diabolo, & vincit.
Obit placidè.

Funus

Funus ipsius communi concursu. 28.
Auris incisio,& sanguinis emanatio.
*Exterior ipsius facies.*29.

ANDREAS *Prudens in omnium spirituali ducatu. lib.* 2. *cap.* 1.
Spiritus optimè discernit. 2.
Hypocrisis monstrum detegit.
Abstinentia mirabilis. 3.
*Patiens in varijs languoribus.*4.
*Mansuetus in inimicos,& Nepotis homicidas.*5.
Locutionis subrusticæ,sed flexanimæ.
Virtutum suarum contector. 6.
Honorum,& Episcopatus fugitans.
In gloriam vanam armatus.
Varijs timoris angustijs torquetur. 7.
Paupertatem vouet. 8.
Alienæ paupertatis inuidia maceratur.
Custos illibatæ virginitatis. 9.
Multibi pro ipsa pugnat.
Perpetuus otij osor.
Momentorum temporis auarè comparcus.
*Promptus in obsequendo.*10.
Vouet assiduam voluntati suæ refragationem.
Perpetuum orationis miraculum. 11.
Gratus erga Benefactores.
In itinere meditans extra sensus rapitur.
Oratione pluuiam inducit, & abducit.
Experitur Angelorum præsentiam.
Ex oratione,defunctorum statum vestigat.
Multa multis prædicit. 12.
*Arcana cordis intuetur,& absentia.*13.
*Vouet nunquam se è Religione abripiendum.*14.

INDEX.

Amat Concionatores, & Scholasticos.
Instituto tenaciter adhæret.
Asperrimè cubat.
Corpus seuerè flagellat.
Vouet quotidianum gradum ad perfectionem.
Silentium arctissimè custodit.
Orat, cæteris genio indulgentibus.
Potestatem in Dæmones exercet, quorum idcirco odia subit. 15
Diuina, maxima pendit veneratione. 16.
Eximiè colit Dei Matrem.
Incruento Sacrificio multa fert accepta.
Christi passionem iugiter meditatur.
Sollicitus est, vt omnes Christo lucrifaciat. 17.
Laborat variè in proximorum salutem.
Varia scribit, piaque opuscula.

ANDREAS VIVENS liberat à varijs languoribus Principem S. Boni. 3. 1.
Ab oculo Catharinam Luxaniam. 2.
Patriam ab incendio. 3.
Ab Apoplexia Victoriam Albertinam. 4.
Ferocientem equulum baculo compescit obiecto. 5.
Ventorum vim suo arbitratu dirigit.
Cœlesti fulgore à pluuia tutatur. 6.
A casu Galdium, socium à periculo liberat. 7.
Multasque puerperas, & languentes. 8.
MORTVVS liberat à naufragio plurimos. 9.
Mortuum ad vitam reuocat. 10.
Monialem variè languentem sanat. 11.
Claudicantem corrigit. 12.
Cæco visum restituit, auditum surdo. 13.
Inauditos morbos curat. 14.
Vlcus tibiæ sanat. 15.

Mor-

Mortuos alios vita donat. 16.
Efferatam cædem prohibet. 17.
Furiosum menti restituit. A casu alium liberat. 18.
Claudicantium gressus explicat. 19.
Anginam, exanthemata, & cæphalalgiam curat. 20.
Dæmonum hospitio obsessam eximit. Gutturis tumorem æquat. 21.
Occultum scelus retegit. 22.
Aurum multiplicat, & sericum. 23.
Floccum oculi, & glandulas carneas submouet. 24.
A desperatis morbis plures eripit. 25.
Multosque à patrando scelere. 26.
Vestium suarum contactu multa confert beneficia. 27.
Calceo item & solea. 28.
Medetur animi morbis. 29.
Apparet multis. 30.
Duracino persico multa patrat. 31.
BEATI Imago odorem emittit, ac sudorem splendescit, ac mouetur. 32.
Capillus ex igne exilit illæsus. 33.
Quo multa conferuntur dona.
Veri secernunt se ab ascititijs capillis.
Arthritici, & Loripedis curatio. 34.
Lethargi excitatio. 35.
Aliaque insignia miracula.
BEATI sanguis spumescit, pulsitat, & multoties ebullit. 36.
Innumeros sanat. Dæmonem fugat.
BEATI gloria cœlitus manifestatur. 37.
Num suppar videtur S. Nicolao Episcopo.
Eiusque Deus, & Virgo patrocinium indigitant. 38.
Fama sanctitatis eius, & sepulchri veneratio. 39.
Refertur in Beatorum Catalogum. 40.
Patronus Panormitanæ Ciuitatis. 41.
Cui succurrit in tabifica lue.

INDEX.

Neapolitanæ Ciuitatis Protector.42.
Officio cultus & Missa in dictarum Ciuitatũ omnibus Ecclesijs.
Variæ ac solemnes pompæ in eius celebritatibus.

A.

ABundantia Stinca per Beati vestem brachio solidata. lib.3.c.27.
Albertus Ciminellus cœcus lumen recipit.3.13.
Alexandri Peretti Card.à Montealto deuotio in Duracina poma B.manu plantata.3.31.
Aloysius Lippomanus Marinonij educator.1.5.
Vacillat in Instituti nostri arctitudine.1.9.
Alphonsi Salmeronis testimoniũ de Marinonij concionibus.1.5.
Angela Ioanna Carafa capitis dolore per B.sanguinem liberatur.3.36.
Angelæ Mariæ Columnæ carneæ glandulæ è capite submouentur.3.24.
Anna Maria Grimalda splẽdorẽ in B.imagine aduertit.3.32
Anna Maria Caracciola halantem ex B.imagine odorem sentit.3.32.
Antonia Grisonia colici doloris expers.3.39.
Antonini Crassi tumor, oleo ex B.lychno sublatus.3.35.
Antonius Solerius Foscareni Præceptor.1.5.
Archangela Maria Pignatella capitis dolore leuata.3.11.
Augustini Card.Cusani in B.reuerentia.1.19.
Procurator insignis Apostolici Indulti.ibid.
Mittit B.Episcopales vestes, piè ab ipso delusus.2.6.
S.Augustinus B.in afflictione solatur.2.25.

B.

BArbara Macedonia capitis dolore perfuncta.3.36.
Baptistæ Vernaciæ de Auellino testimonium.1.16.& 17
Angustijs pressum solatur.1.16.
Beatrici Græcæ occlusi oculi panduntur, lactis nausea tollitur.2.36.

Beatrici

INDEX.

Beatrici Mocciæ apparet B. & fratris incolumitatem ſpondet. 3.30.

Beatrix Carafa Pauli IV. ſoror. 1.12.

Petit eodem, quo Marinonius die, è vita egredi, & impetrat. ibid.

Beatrix Tolfia B. viuentis imaginem veneratur. 3.8.

Beatrix Tuſia B. baculum Moniali donat. 3.39.

Bernardinus Seriſalis plumbeis glandibus B. inuocato eripitur. 3.35.

Bernardus à Summa Concionator S. Franciſci de Obſeruantia à naufragio liberatur 4.9.

C.

Camilla de Vito in ſæuis doloribus B. baculo ſanata. 3.25

S. Caroli in Religionem propenſio. 1.14.

Qui in Quirinali Domo noſtra ad Sacerdotium ſe apparat. ibidem.

A Cardinali Sirleto intima Noſtrorum rimatur. ibid.

Mediolanum Noſtros aduocat. ibid.

Graſſante lue tabifica Noſtrorum auxilia experitur. 1.19.

Quos in aptiorem locum transfert. ibid.

Vaticinium B. de eo in Sanctorum catalogo aſcribendo. 2.12.

Et lacrimæ ipſo mortuo. 2.17.

Carolus Capycius Sconditus internis doloribus enectus, ſanitati reſtituitur. 3.36.

Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, inſtat pro B. in Sanctorum numero referendo. 3.40.

Caroli Emanuelis Card. Pij labores pro Andrea in Beatorum catalogo referendo. 3.40.

Carolo Vaccario claudo explicantur greſſus. 3.19.

Carolus Vitus ad vitam reſtitutus. 3.36.

Catharinæ Carafæ maritali iugo preſſæ, prædicit B. Religionem. 2.12.

Apparet ſæpius B.3.30.
Habet eadem inter pretioſa, vaſculum vbi B. ſanguis fuerat exceptus. 3.30.
Catharina *Creſci auditum recipit.* 3.13.
Catharina *Luxania ſanitatem filiorum impetrat.* 2.13.
Ab oculo laborans, contacta B. manu doloris ſit expers. 3.2.
Ex vltima Hiſpania, Imagunculam B. commodatam repetit. 3.40.
Catharina *Ordoñez Ortiſia cephalalgia liberata.* 3.20.
Catharina *Stagera cardiaco morbo eximitur.* 3.35.
Chriſtophorus *Cerratus B. videt, & ſanitatem recipit.* 3.30.
Chryſoſtomæ *Caraſæ Atripaldenſium Ducis, in B. beneficia.* 2.8
B. prædicente ad mortem ſe apparat. 2.12.
Perpetua literarum B. geſtatrix. 2.17.
Corneliæ *Caracciolæ fœdum vlcus tibiæ ſanatur.* 3.15.
Cornelij *Muſſi Epiſcopi Bituntini de Marinonij concionibus elogium.* 1.5.

CLERICI REGVLARES.

BEATVS CAIETANVS THIENAEVS *Religionis Parens.* 1.1.
Alexander *Trottus inaudita patrat in tabifica lue Panormitana.* 3.41.
Et vitam quoque tradit.
Alphonſus *Oſorius, Epidemiæ morbo laborantibus inſeruiens, occumbit.* 1.13.
Ambroſius *Baronus ſpiritum Deo reddit, addictus curæ tabificæ lue decumbentium.* 1.13.
Andreas *Molpheſius ab Auellino ad Religionem aduocatus.* 2.7.
Andreas *Piſcara Caſtaldus B. rogatu ſcripta eius omnia expendit.* 2.17.
Vniuerſæ Religionis Præpoſitus.
Antonius *Agellius, Sirleti Card. diſcipulus.* 1.14.
Vaticanorum Bibliorum correctioni, & Conciliorum editioni

Præ-

Præfectus.ibidem.
Bernardinus Grasselius angina liberatus. 3.20.
*Bernardinus Schottus S.R.E.Cardinalis.*1.9.
Vnus inter multos in Instituti nostri difficultate, minimè vacillans.ibid.
Epistola eius de regulari disciplina. ibid.
Græci, Hebraici, & Kaldaici sermonis gnarus. ibid.
Theologus trium Apostolorum Legatorum. Cæsari charissimus.
Pugnat contra Germaniæ Interim.
Paulo IV. à Confessionibus.
Pontificia diplomata signat Piscatoris annulo.
Eius familiare symbolum.
Cassinatibus intrinsecus.ibid.
Abest sponte à Conclaui. 1.23.
*Blasius Natalius pestilentia confectus.*3.41.
Clemens Alonsus per B.opusculum à lethargo excitatus. 3.35.
Franciscus Damorius inconfessum scelus B.pandente cognoscit. 3.22.
In mortis agone à tutelari Angelo insigniter munitus. ibid.
*Franciscus Ieracius in obsequio tabe languentiũ moritur.*3.41
*Gregorii Sanctij Episcopi Belcastrensis testimonium de Diaboli in B. insidiis.*2.15.
*Hieronymo Dentices egregium à B.in apoplexia auxiliũ.*3.38.
Hieronymo Lanfranco obeunti, multi ex Nostris coronati occurrunt. 1.21.
Hieronymus Toraltus miro modo ad spiritum à B.flexus. 2.1.
*Iacobus Molanus perpetua morum censura.*1.10.
Pius eius astus, vt in Religionem reciperetur.ibid.
Obitus.Pugna cum Diabolo, & victoria.ibid.
Iacobi Torni virtutes. 1.27.
Victoriæ multarum cum Dæmone concertationum.ibid.
Visio Diaboli in Andream morientem sese conantis.
Corpus adhuc flexile, & incorruptum.ibid.
*Ieremias Ysachinus in aula Pauli IV. & ab intimis eius consilijs.*1.9.

Paupertas eius in aula. ibid.
Cardinalis designatus.
Mediolanensis, & Venetæ Domus Rector.
Epidemicis ministrat.
Eo Epidemiæ morbo occumbit. ibid.
Ioannis Marinonij natales. 1. 5.
Educatores. ibid.
Canonicatus S. Marci Venetiarum.
In Religionem ingressus.
Profectio & Præfectura Neapolitana.
Abstinentia. Vigiliæ. Flagella.
Virginitas perpetua, & Paupertas.
Experimenta diuinæ prouidentiæ.
Humilitas.
Archiepiscopatus Neapolitani renunciatio.
Patientia in iniurijs, & languoribus.
Precandi assiduitas. Deuotio.
Zelus salutis animarum.
Dæmonis in eum odia.
Insigne insignium Virorum de eius concionibus testimonium. ibidem.
Obitus. 1. 12.
Meditatio de quinque Domini plagis.
Ioannes Scorcouillus peculiaris B. filius. 1. 13.
Præpositus generalis Religionis. ibid.
Ioannes Antonius Angrisanus Præpositus generalis, effosso post annum B. corpore, nullum in eo tetrum odorem aduertit. 1. 28.
Ioannes Franciscus Solarius spiritualium Magister. 1. 18.
Et Andreę quamquam veterani. ibid.
Suprema eius concertatio, & victoria. 1. 20.
Anima cœlum petens B. teste. 1. 20.
Ioannes Franciscus de Ponte baculo B. senis terriculatus. 2. 13
Iosephus Albertinus pleuritide exemptus. 3. 33.

Iosephus

Iosephus Mignia in Campo D.Lazari tabe oppreßus inseruiës obijt.3.41.
Diuturna musica ad cœlum inuitatus.
Iosephus Scarsella occumbit in pestilentium seruitio.3.41.
Iulius de Ponte vltroneus Epidemicorum minister.3.13.
In eorum cura occumbit.ibid.
Ludouicus Thomasius insignis Verbi Dei prœco, & Apostolici Palatij concionator.2.12.
Pulso per Beatum languore, ad prædicationem accingi iubetur. ibid.
Eius rogatu, scripta eius omnia percurrit.2.17.
Matthæus Bencius Tauruſij, & Bellarmini Card. sobrinus, Marcelli II. nepos.1.24.
Ex aula in Religionis caulam. ibid.
Vouet ne ob purpuram quidem è Religione se egressurum.
Supremum diem, & morbi genus diuinitus intelligit.
Eximia eius paupertas, & carnis afflictatio.
Funus perpetua statione, columba comitata.
Michäel à Consulibus Episcopus Soranus, Andreanæ cum Dæmonibus pugnæ interest.1.13.
Nicolaus Zechius Legum interpres magnæ vir humilitatis.2.1.
Paulus Aretius Philosophus, Iurisperitus, & Theologus.1.8.
Neapolitani Regni Consiliarius indeflexique vir iudicij. ibidem.
Marinonij filius.
Sæculo nuncium mittit, ac Religionem ingreditur.
Pauperum in eius ingressu lamenta.
Obedientia adactus saeris initiatur.
Præpositus Neapolitanus.2.12.
Humilitas eius, ac Episcopatuum fuga.1.8.
Legatio in Hispaniam.1.12.
Episcopus Placentinus.1.15.
Nostros illuc, & Andream aduocat.

Vigil in Pastorali munere.
Pœnitentium domum instituit.
Vt à B. contra vanam gloriam munitus. 2.6.
S.R.E. Cardinalis. 1.14.
Archiepiscopus Neapolitanus. 1.15.
Monasterij S. Archangeli destructor. 1.7.
Andreæ testimonio Sancto Carolo in pastorali cura æqualis. 5.15.
Pauli Pignatelli in Italica lue labores. 1.13.
Paulus Tolosa Archiepiscopus Theatinus insignis concionator. 2.11.
Nuntius Apostolicæ Sedis apud Ducem Sabaudiæ.
Andream vocat perpetuum Orationis miraculum.
Studia eius, ne Episcopatu insigniretur.
Videt mortui B. manus: non videt imperfectionibus obstrictus.
Paulus Papa IV. Archiepiscopus Neapolitanus. 1.7.
Plus B. Caietano, in Religionis erectione laborans. 1.8.
Ieremiam Isachinum asciscit à sui cordis intimis. ibid.
Cui sacram Purpuram designauerat.
Pauli in Consanguineos iustitia. 1.9.
Regularis disciplinæ zelus.
Catholicæ fidei reparatio.
Pontificatus auspicia, à pulsis Vrbe Nepotibus. ibid.
Petrus Foscarenus Parisiensis Doctor, & Cancellarius Baiocensis. 1.4.
Religionem ingreditur.
Baiocensem Episcopatum respuit.
Expirat in ea verba: Quia apud Dominum misericordia, &c.
Petrus Gueuara contendit pro sui intromissione in Panormitanam Ciuitatem tabe laborantem. 3.41.
Industrius pro decumbentium spirituali salute procuranda.

Reſpuit oblata temporalia ſubſidia.
Saluator Caracciolus Marinonij diſcipulus. 1.12.
Inuitus ad Compſanum Archiepiſcopatum trahitur.
Appellatur à B. Sanctus.
Saluatoris Ferrarij agones cum Dęmone. 3.37.
Obeuntem Andreas, & vigintinouem è cœlo accurrentes roborant.
Expirat in ea verba: Quàm dulce eſt incircumſcriptum lumen videre.
Sebaſtianus Mancinus S. Philippi alumnus. 1.14.
Decenni permittit Sanctus quotidianam Euchariſtię ſumptionem.
Et iubet Religionem noſtram ingredi.
Tranſitus eius ſtatim poſt vota ſolemnia vix emiſſa.
Thomas Goulduellus Anglus, patria ob Catholicam fidem extorris. 1.12.
Neapoli ſolemnia in Religione vota emittit.
Cardinalis Poli in Anglia Legati ſocius.
Epiſcopus Aſaphenſis.
Præpoſitus Neapolitanus.
Tridentum ad Concilium miſſus.
Et in Belgium ad Anglorum Catholicorum reparationem. ibidem.
Vincentius Gilibertus P. N. Præpoſitus Generalis. 3.40.
Vincentius Lucatellus Legum interpres, & Papæ Referendarius. 2.13.
Vincentio Tuſio Epiſcopo Vritano, vicinam mortem B. prædicit. 2.12.

D.

Decij Card. Caraſæ Archiepiſcopi Neapolitani in Aretij vitam inquiſitio. 1.8.
In B. pietas. 3.42.
Diana Bottis calceo B. varijs languoribus erepta. 3.28.

INDEX.

Diana Spinella Princeps Sancti Boni, dilaudato Andrea de eius amore periclitatur. 2.6.
Languoribus liberatur. 3.1.
Dianoræ Carilliæ tumor gutturis æquatur. 3.21.
Dianoræ Claramontiæ incredulitas, B. apparitione sublata.. 3.30.
Dianora Perellia multis malis immunis per B. sanguinem 3.36.
S. Dominicus Beato ex equo delapso auxiliatum accurrit. 1.25

E.

EVgenia Molignana claudicans correcta: cui lateris costæ suo loco restitutæ. 3.12.

F.

Austina Caracciola cephalalgia exempta. 3.20.
Ferdinandus Mantuæ Dux, B. Canonizationem calidè petit. 3.40.
Franciſca Chalcea in umbilici disruptione oleo lampadis B. solidata. 3.35.
Franciſca Galiana os in faucibus hærens emittit. 3.35.
Franciſcus Artalles de Lunà à naufragio liberatus. 3.9.
Et morbo sacro. 3.36.
Franciſcus Petrellius febriens sanescit. 3.31.
Franciſcus Maria Sifulus surdus auditum recipit. 3.13.

G.

GAleatij Florimontij Episcopi Suessani elogium in Marionij conciones. 1.5.
Gaſparis Sadoleti vacillatio in Instituto nostræ paupertatis amplexando. 1.9.
Gregorius Papa XIII. Aretium in Neapolitanum Archiepiſcopum elegit. 1.8.

INDEX.

Gregorij Papæ XIV. iudicium de Noſtris in Epiſcopatum aſſumendis. 1.23.
Cum B. agit familiariùs. ibid.
Gregorij Papæ XV. ſollicitudo pro Andrea in Sanctorum numerum recenſendo. 3.40.
Gulielmus Cardinalis Sirletus inter Noſtros degens. 1.14.
Agellij, & aliorum in Hebraicis magiſter.

H.

Helenæ Aldobrandinæ Ducis Montis Draconis puellulum moriturum B. prædicit. 1.12.
Hieronyna Corſaria ab inauditis malis erepta. 3.14.
Hieronyma Guazzaluta vicinâ B. mortem ab ipſo audit. 1.26.
Eius contra Dæmonem victoria B. adiutorio. 2.15.
Hieronyma Homodei per B. calceamen apoplexia immunis. 3.28.
Alijs morborum generibus per capillos. 3.33.
Hieronymi Card. Seripandi teſtimonium de Marinonij ſpiritu. 1.5.
Hyppolyta Capycia Piſcicella in partu adiuta. 3.8.

I.

Iacobi Lainez de Marinonio teſtimonium. 1.5.
Iacobus Sadoletus in Inſtituto paupertatis noſtræ trepidus. 1.9.
S. Ianuarius Protopatronus Neapolitanus apparet, B. reliquis Patronis intermiſcens. 3.42.
Ignicus Daualos Piſcariæ Marchio ſudorem in B. imagine aduertit. 3.32.
Ioanna Capycia Scondita ab immani vlcere libera per B. baculum. 3.25.
Ioanna Caſtriota Nuceriæ Dux B. chariſſima: ſancta fœmina ipſo teſte, & ſanctitatis ſpeculum. 1.23.
B. Epiſtolæ ſuam tribuit ſanitatem. 2.17.

INDEX.

Ioanna Ciceria Dæmonum hoſpitio liberata. 3.21.
*Ioannes Auellinus B.Pater.*1.1.
Ioannes Benenſis Marinonii educator. 1.5.
Ioannes Caracciolus quartana,& comitiali morbo exemptus. 3.36.
*Ioannes Cileus penè vitæ expers reuiguit.*3.38.
Ioanni Iauano claudo greſſus explicantur. 3.19.
Ioannettini Card. Doriæ ,proprię ſalutis contemptus,vt gregi ſuo Panormitano ſuccurrat. 3.41.
Vigil ſollicitudo,& inſignis charitas in tabifica lue.
Maxima erga B.deuotio.
Ioannes Baptiſta Capycius Galeota , angina & exanthematibus liberatur. 3.20.
Ioannis Baptiſtæ Cicinelli recurui artus B. veſte laxantur. 3.27.
*Ioannes Baptiſta Rota B.viuentis imaginem veneratur.*3.8.
*Ioan.Franciſci Lombardi Canonici Neapolitani teſtimonium de Marinonij concionibus.*1.5.
*Io.Maria Talliaferreus S.Caroli familiaris.*1.20.
*Studium eius araneas ab eius cella abigendi cöercet B.*2.8.
Oſtentum humanitatis Chriſti propalat illi B.ibid.
*Et vicinam ſui mortem.*1.26.
Io.Paulus Orlandius ſupernum lumen, & àpluuia tutamen cum B.experitur. 3.6.
Incommoda quibus ad rei teſtimonium fuit adactus.ibid.
*Io.Vincentij Capycij Piſcicelli obſequia in B.*2.4.
*Ioſephus Galdius ex equo delabitur inoffenſus.*3.7.
Ioſephus Xibechius ad vitam reuocatur. 3.16.
*Iſabella Barilis,Andreanæ interceſſionis potentiam Deo monſtrante cognouit.*3.38.
Iſabella Caracciola Aquarij Dux mortem viri à B.præmonita. 2.12.
*Sepulturam B.remoratur.*1.28.
Iſabellæ Caraſæ Cerciæ Duciſſæ prædicit B.Religioſum ſtatum. 2.12.

Et

Et instantem sui mortem. 1.26.
Isabella Genuensis in desperato morbo sanitati restituta. 3.8.
Isabella Gonzaga Aragonia Hostiliani Princeps, B. sepulturã dehortatur. 1,28.
B. calculos scirrho supponit, ac detumescit. ibid.
Isabella de Ponte octogenaria à morte liberata. 3.25.
Isabella Sabaudiæ Infans apud Sedem Apostolicam pro B. Canonismo instat. 3.40.
Deuota in Duracina poma B. manu plantata. 3.31.
Iuliæ Basurtę sericum & aurum B. dicatum multiplicatur. 2.23.
Iulia Porta Dæmonum bospitio liberatur. 3.36.
Iulius Cæsar Caracciolus Celentiæ Dux B. viuentis imaginem veneratur. 3.8.
Sanescit ob aurium morbo. 3.36.
Iustina Lampugnana inter prostitutas Deo inseruit. 1.15.
Eius in morte phrenesim prædicit B. 2.12.

L.

Laura Gatta infirma sanescit. 3.38.
Virgo Carmeli, Andreæ intercessionem illi indigitat. ibidem.
Lauræ Girondæ parturienti apparet B. 3.30.
Laura Rota à capitis dolore libera per ferreæ catenæ frustula, qua B. sua alligauerat ilia. 3.20.
Lucretia Carafa Corleti Marchio è faucibus mortis erepta. 3.25.
Lucretia Manella immunis à capitis dolore per aurantij florẽ, quo B. sepulchrum fuerat ornatum. 3.20.
Lucretia Suarda ad ignoscentiam à B. roborata. 2.13.
In Apoplexia sanatur à B. 3.8.
B. baculum legat Corneliæ Caracciolæ. 3.89.

Ludo-

Ludouicus Galliarum Rex, instat pro Andrea in Sanctorum catalogum referendo. 3.40.

M.

Magdalena Barona preces pro B. defuncto recitans apiculam habet libello insidentem. 1.28.
Cruciata doloribus, vt eis fuerit exempta. 3.25.
Magdalena Raffa expers mentis sibi restituitur. 3.35.
Maria Caracciola Vici Marchio B. ossiculo in partu liberata. 3.25.
Maria Fraciſca Piſcara Caſtalda variè, & immanè languēs, ſanitati & languori reſtituta. 3.11.
Mariæ Magdalenæ Auſtrię Archiducis, & M. Etruriæ Ducis, pro B. canoniſmo inſtantiæ. 3.40.
Mariæ Luſitanæ, Principis Parmenſis erga B. deuotio. 1.15.
Eorum ad inuicem Epiſtolæ.
Meditationis puncta ex eius literis excerpit. ibid.
Maria Paladina motum in B. imagine aduertit. 3.32.
Marianus Boniannus, caſu, & ruina liberatur. 3.18.
Margarita Gonzaga Ferrariæ Dux pro B. canoniſmo ſollicita. 3.40.

N.

Nimphæ Meſſiniæ nares exeſæ Beati capillis ſanatæ. 3.33.

O.

Octauij Ducis Parmenſis ſiniſtra de B. opinio. 1.15.
Nudata eius virtute, in illius amorem eximia propenſio. ibid.
Orpheus Iauanus furioſus menti reſtitutus. 3.18.

Pauli

INDEX.

P.

Pauli Caluini Loripedis ſanatio. 3.34.
Pauli V. de B. Canoniſmo ſollicitudo. 3.40.
Deuotio in duracina Perſica eius manu plantata. 3.31.
Petrus Carbonellus peſtilente febre immunis. 3.33.
Petrus Vecchionius, ſpumeſcentem & pulſitantem B. ſanguinem aduertit. 3.36.
Petrus Angelus Brunus puſtulis mundatus, & papulis. 3.27.
Petrus Paulus Colellius ad vitam reuocatus. 3.10.
Philippus II. Catholicus opima Sacerdotia Aretio offert illa reſpuenti. 1.8.
Philippus III. ſtudet pro B. canoniſmo. 3.40.
Philippi IV. pietas in Beatificationis feſto. 3.42.
S. Philippus Nerius Quirinalem Domum frequentat. 1.14.
Sebaſtianum Mancinum inſigne innocentiæ decus illuc ablegat. ibid.
Pius Papa V. Aretium Placentinæ Eccleſiæ præficit. 1.8.
Et in Cardinalium Collegium cooptat. ibid.
Placidæ Perettæ renes, B. ſanguine illinitæ, vnctionis veſtigia ſeruant. 3.36.
Pompilio Tufio flocus oculi ſubmouetur. 3.24.
Portiæ Caracciolæ Montis Mileti Principis carneæ glandulæ ſublatæ. 3.24.
Portiæ Rogatæ oculus penè combuſtus integratur. 3.36.
Prudentiæ Sanctoriæ ophthalmia, & vlcera ſanata. 3.35.

R.

Raynutius Dux Parmenſis ſexennis, B. diſciplinæ à matre traditus. 1.15.
Ad pietatem frequenti literarum ſcriptione à B. efformatus. ibid.

Effigiem B. adhuc viuentis colit. 1.29.
Instat pro eius sanctificatione. 3.43.
S. Rosalia Virgo, Panormitanæ pestis auerruncatrix. 3.41.

S.

Scipio Card. Rebiba Neapolitanæ Ecclesiæ pro Io. Petro Carafa moderator. 1.7.
Beatum, Monialium cœnobio præficit. ibid.
Simonis Rai arthritici insignis curatio. 3.34.
Syluius Gallus diarrhæa liberatus. 3.36.

T.

Tiberij Card. Muti labores pro Andrea in Beatorum catalogum referendo. 3.40.
S. Thomas Aquinas afflictum B. solatur. 1.25.
Beato ex equo delapso auxiliatum accurrit. ibid.
Apparet cum D. Ianuario, B. Patronis Neapolitanis intermiscens. 3.42.
Tullij Crispoldi in nostræ paupertatis Instituto amplectendo vacillatio. 1.9.

V.

Victoria Albertina septuagenaria ab apoplexia liberatur. 3.3.
Victoria de Lagni in partus periculo adiuta. 3.8.
Victoria Lagonissa à puerperio exsensis, saluti restituitur. 3.27.
VRBANVS VIII. PONT. O. M. BEATORVM CATALOGO ANDREAM ASCRIBIT, ET PVBLICOS EI HONORES DECERNIT. 3.40.41. & 42.

FINIS.

IMPRIMATVR.

Lęlius Taſtius Vicarius Generalis Neapolis.

Taruſius Taruſius Congregationis Oratorij Deputatus.

M. Fr. Dominicus Grauina Ordinis Prædicatorum, Curiæ Archiepiſcop. Theolog.

NEAPOLI,
Ex Typographia Lazari Scorigij. M. DC. XXV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Emendanda.

Fol.	14.	*linea* 5. *Commiliones.*	*Corrige commilitones.*
	29.	4. *Sollicituſque.*	*Sollicitiùsque.*
	43.	4. *alia*	*Dele.*
	63.	14. *Vigeuanenſi.*	*Vigleuanenſi.*
	72.	6. *Oſſunẽſiũ, Duce.*	*Oſſunenſium Duee.*
	76.	33 *deerare.*	*deerrare.*
	77.	15. *ſuccidaneis.*	*ſuccedaneis.*
	221.	11. *inductus.*	*inductis.*
	226.	24. *examine.*	*examini.*
	279.	6. *atte.*	*arte.*
	289.	16. *Ciuitatis. Sex-uiri.*	*Ciuitatis Sex-uiri.*
	295.	20. *Gheuara.*	*Gueuara. Et aliàs etiam.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA